




Haley

THESAURUS RESOLUTIONUM SACRÆ CONGREGATIONIS CONCILII

QUÆ CONSENTANEE AD TRIDENTINORUM PP. DECRETA ALIASQUE JURIS CANONICI SANCTIONES

MUNUS

SECRETARII EJUSDEM SAC. CONGREGATIONIS OBEUNTE

R. P. D. ISIDORO VERGA

PRODIERUNT IN CAUSIS ANNO 1879

PROPOSITIS

EPISCOPIS EORUMQUE VICARIIS, CAUSARUM PATRONIS, AC ALIIS IN ECCLESIASTICO FORO VERSANTIBUS APPRIME UTILIS AC NECESSARIUS

TOMUS CXXXVIII.

DUPLICI INDICE LOCUPLETATUS

ROMÆ
EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA
S. C. DE PROPAGANDA FIDE
MDCCCLXXX.

INDEX
ALPHABETICUS CAUSARUM

QUAE IN SACRA CONGREGATIONE CONCILII PROPOSITAE FUERUNT ANNO 1879 PER DIOECESES DISPOSITUS.

FINIS

Die Sabbati 25 Ianuarii 1879 in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua praeter alia proponentur infrascripta Dubia, iuxta morem eiusdem Sacrae Congregationis de iure resolvenda.

—

COMPOSTELLANA DISPENSATIONIS MATRIMONII. = In superioribus plenariis Comitiis diei 14 elapsi Decembris 1878 alacri contentione isthac causa exagitata, ad Dubium tunc propositum « *An sit consulendum SSmo pro dispensatione matrimonii rati et non consummati in casu* », placuit EE. VV. rescribere « *Affirmative* ». Ad instantiam Defensoris vinculi novam obloquendi veniam concessi; et Emus Cardinalis Praefectus opportunum existimavit disponere, ut controversia revocaretur ad trutinam in praesenti conventu rescribens sub die 7 huius mensis « *Reproponatur in prima* ». Novas exinde animadversiones Vindex matrimonii obtulit; et nunc pro meo officio earumdem compendium de more exponere praestat. *Sess. 24 cap. 1. de Ref. Matrim.*

Praecipua thesis, quam ex praecedentibus documentis, atque ex aliis praesertim in *Responsione* Oratoris mulieris ad praeeuntes *Animadversiones* noviter deductis, demonstrandam assumit Defensor, in hoc consistit, quod iudicialis processus adhuc multiplicibus et substantialibus vitiis laborat, ita ut inconsummatio matrimonii nullius certitudinis corroboretur demonstratione.

Ad quamlibet vel minimam dubitationis umbram diluendam, quod disciplina in H. S. O. constanter observata in causis dispensationis a matrimonio rato et non consummato, ea examussim semper fuit et adhuc est, quae ex Constitutione S. M. Bened. XIV *Dei miseratione*, atque ex *Instructione* S. Congregationis 22 Augusti 1840, utcumque principaliter in causis nullitatis matrimonii, praesertim ex capite impotentiae evulgatis, promanat. Integro propemodum saeculo ante Benedictum XIV exagitata causa nullitatis matrimonii in S. C. EE. et RR. de mandato Pont. Alexandri VII, et temperamentum suggerente Card. De Luca, praetermissa nullitatis quaestione, supplicatum fuit Pontifici pro dispensatione, atque eodem *De Luca* teste

disc. 9 de matrim. num. 7. « *ita sequutum fuit, praevio iuramento coram eodem Archiepiscopo praestito, tam ab ipsis coniugibus, quam a septima manu coniunctorum, ac etiam relatione obstetricum (dum de virgine agebatur) iuxta Canonum dispositionem, super mulieris virginitate, ac matrimonii non consummatione* ».

Evulgata a Bened. XIV percelebri Constitutione *Dei miseratione* pro rituali ordine in causis matrimonialibus servando, et pro institutione Officii Defensoris Matrimonii, in eo quod causae dispensationum reservatae sunt iudicio Summi Pontificis, atque earum *examen* vel H. S. O. vel aliis specialibus Congregationibus remittendum consulitur, haec S. Congregatio semper persimilem, ut antea, iudicialem ordinem observavit. Ita in causa subsequente Benedictinam Constitutionem idest *Corduben. Dispensationis* 22 *Novembris* 1760; atque ita etiam in alia causa proxima praeeunte Instructioni H. S. O. 1840, videlicet *Neapolitana Dispensationis Matrimonii* 15 *Septembris* 1827.

Est autem omnibus explorata haec eadem Instructio; quae utcumque et ipsa, infrequenter de eo tempore occurrentibus dispensationibus, praecipue pro causis nullitatis matrimonii ex impotentia edita fuerit, nihilominus haud obscure innuit ad causas dispensationis esse extendendam, in quibus non de nullitate, sed de dissolutione vinculi disceptatur, tunc cum praemoneat, tutas constituere velle normas iudicibus « in causis omnium gravissimis, in quibus « agitur de sacramenti validitate vel nullitate, *ac de dis-* « *solvendo vinculo matrimoniali* ». Ex quo vero in huiusmodi causis, ceu praemonet eadem Instructio §. *Cum* « *non de iure alterutrius partis tantum, sed praecipue de Sacramentali vinculo dissolvendo agatur* », hinc ad religionem Sacramenti protuendam indeclinabilem unusquisque admittere debet ritualem ordinem in eadem Instructione praescriptum; eaque insuper necessitate, ut eodem neglecto nullitas actorum omnium, ad sensum Benedictinae Constitutionis a S. H. O. comminata sit; « ad removendas fraudes, « quae coniugum malitia, vel collusione saepe oriebantur, « S. M. Bened. XIV in Const. Dei miseratione processum « conficiendum esse praecepit *sub poena nullitatis omnium* « *actorum, ut probationibus undequaque accuratissime cumu-* « *latis*, in causis huiusmodi omnium gravissimis... iudi- « ces in proferendo iudicio tuti acquiescere possint ».

Isthanc porro disciplinam adhuc esse in honore, quin aliae innumerae proferantur causae persimiles, perabunde demonstrat ipsum rescriptum S. Congregationis in hoc iudicio die 9 Iulii superioris anni 1878 elicitum, dum confectione processus Emo Archiepiscopo Compostellano demandata, nedum Benedictinam Constitutionem servari fuit iniunctum, verum etiam, *pro norma servanda in confectione processus,* praenotatae Instructionis exemplum est de more ad eumdem transmissum « *ac praesentibus literis uniatur Instructio pro norma servanda in confectione processus* ».

Inter potissimas eiusmodi normas illa est, quae iuramentum coniugum et examen septimae manus praestituit, quod porro examen conficiendum est non quidem quomodocumque pro arbitrio inquirentium, sed *iuxta canonum dispositionem*; atque id tum ex veteri disciplina, teste eodem *Card. De Luca cit. disc.* 9 *num.* 6 « *iuramento praestito tam ab ipsis coniugibus, quam a septima manu coniunctorum iuxta canonum dispositionem* », tum quoque ex vigenti praxi, teste *Instructione* praelaudata §. *Cum itaque* « processus acta non ad instar aliorum iudiciorum, « praesertim civilium, sed *iuxta Sacros Canones,* et citatam « S. M. Bened. XIV Constitutionem, et praesentem In- « structionem erunt efformanda ».

Explicitae ac propatulae alioquin sunt sacrorum Canonum praescriptiones, quae iuramentum coniugum respiciunt; disponunt enim ut praeter confessionem inconsummationis in petitione dissolutionis connubii emissam, *cap.* 5 *De frigid. et malefic.* « *si quod numquam se invicem cognoverint, ambo fatentur* », uterque coniux hoc examussim debeat iuramento obfirmare « *tactis sacrosanctis Evangeliis, uterque iureiurando dicat, quod numquam per carnis copulam una caro effecti fuissent* ». Sed quod Maria Dolores iuraverit se numquam carnaliter cum Henrico eius sponso commiscuisse, ex actibus processualibus nullatenus eruitur. Subiit enim suum examen coram iudice inquirente in Curia Emi Card. Vicarii ex delegatione Emi Archiepiscopi Compostellani; sed neque in interrogatoriis eidem exhibitis, neque in suis responsionibus de inconsummatione fit sermo. Neglecta igitur est explicita ac praeceptiva sacrorum canonum ordinatio; hinc substantiali vitio infectus est processus.

Nec minus graves sunt quidem omissiones quoad examen septimae manus occurrentes. Testes enim ad eamdem manum conflandam desumendi sunt ex utroque coniugum latere, cit. Instructio §. *Expleto « Deinde procedendum erit ad examen septimae manus, hoc est propinquorum ex utroque latere »*. Contingit verumtamen aliquando, ut alteruter coniux vel negligens vel contumax reddatur; sed tunc supplere debet officium Defensoris Sacramenti, cui incumbit iuxta Constitutionem Bened. XIV §. 6 « *matrimonii validitatem tueri, eaque omnia deducere, quae ad matrimonium substinendum necessaria censebit* »; ita ut, si ipse ex actibus iam confectis dignoscat alias esse personas, quae de re instructae apparent, illas etiam, haud obstante locorum distantia, atque vel instante, vel silente parte, citare debeat, ut subiiciantur examini; hoc praecipit praelaudata Instructio §. *Si alios: « Si alios etiam Defensor « matrimonii ex actis iam confectis deprehendat de re in« structos, hos etiam citabit, ut examini subiiciantur.* Si « qui forsan absentes noscantur, qui commode ad Civi« tatem accedere nequeant, etiam ob distantiam locorum, « vel ad partis instantiam, *vel ea silente, ad instantiam « Defensoris Matrimonii erunt* ab Episcopo illius dioecesis, « in qua morantur, *examinandi* iuxta interrogatoria ab « eodem Defensore conficienda, et clausa ac obsignata « transmittenda ».

Haec in iure; in facto autem nemo potest ambigere, quod inter testes septimae manus prae primis audiri debebant ex parte viri frater et glos ipsius, necnon matrona quaedam, quos inter sponsa perducta fuit ad Ecclesiam ad nuptias celebrandas; iisque confectis, reducta fuit in habitationem eiusdem aviae. Hoc innotuit Defensori Sacramenti in Curia Vicariatus de Urbe ex depositione Mariae « inter« rogata se andasse in quella casa dell'Avola, sola, oppure in « compagnia di altre, e quali persone? – Ha risposto – an« dette in compagnia di Enrico e del di lui fratello e « della cognata. » Innotuit etiam Defensori Curiae Compostellanae ex depositione testium a Maria inductorum « nel « mattino dei 12 agosto 1872 la Sig. Dolorosa Casas Solis « uscì di casa accompagnata dalla Sig. Carolina Guar« dado e suo sposo Gerardo Castro Varela con altra Si« gnora, ai quali già in mezzo alla strada si avvicinò « D. Enrico Castro Varela diriggendosi tutti insieme alla

« Parrocchia di S. Nicola, dove si verificò l'avvenimento,
« che si riferisce nel giudizio, cui il medesimo dette luogo,
« uscendo subito di detta Chiesa i medesimi ed altre per-
« sone riunite. »

Nemo ferme alius praeter istos melius ac certius edocere possunt id quod *Instructio* proponit inquisitioni testibus faciendae, mimirum § *Omnes* « quando initum fuit matrimonium; utrum inter coniuges mutui amoris et « benevolentiae signa intercesserint; quamdiu in eadem « domo vel civitate cohabitaverint; utrum innotuerit, eos « consummationi operam dedisse; an inde matrimonium « consummatum censeretur; de causis consummationem impedientibus, de conquestionibus, quando et cum quibus factis, « et cur nolint amplius in matrimonium permanere ». Ex ipsis efformanda est septima manus ex parte viri. Nihilominus ad eosdem neuter Defensor animum convertit; et quum omissio istiusmodi e diametro pugnet cum praescriptionibus tum canonicis, tum ipsius *Instructionis*, hinc vitium etiam ex hac parte substantiale nullatenus denegari potest in processu.

Sed nec satis. Valde gravius enim est huiusmodi vitium quod occurrit in examine testium septimae manus ex parte mulieris, quo graviores sunt materiae, quae eorumdem inquisitioni subiici debent. Emergit iamvero ex depositione Mariae, quod ubi ipsa pervenit ad oppidum *Mota del Marchese* longe dissitum a patria, Henricus haud longo tempore ibidem eamdem sequutus fuit; una et altera vice in publica via conversatus est cum ipsa; et nonnullas etiam epistolas accepit ab ea « l' ha veduta la prima volta nella « Mota essendo essa interrogata in compagnia di due sue « Cugine e di altre persone. In quell'incontro disse (Henricus), che non si poteva dubitare del matrimonio... « L'interrogata pressata da Enrico con ripetute lettere qualche « volta rispose. » Nunc autem ex documentis in pervigilio praecedentis discussionis deductis dignoscitur, quod Maria repetitis vicibus se contulit ad invisendum Henricum in hospitali habitatione, ubi ipse morabatur. De prima quidem vice dignoscitur, quod conversati sunt, adstantibus testibus, nimirum consobrinis Mariae, Domina habitationis Laurentia Diez et Parocho illius oppidi Gregorio Peinador, hoc enarrante eodem Parocho. De aliis alvero vicibus ignoratur omnino utrum soli fuerint sponsi vel in comitatu aliorum.

Iamvero, hospitalis habitationis domina Laurentia Diez interrogata in iudicio super validitate matrimonii ante praesentem causam in Hispaniis exagitato, *primae* ac *tertiae* quaestioni respondens, loquitur de quibusdam sponsorum conversationibus, in quibus ipsa non adstiterat, quia absens erat ab habitatione « *alla terza* risponde, che ignora la « dimanda, poichè *non trovavasi nell'abitazone quando po-* « *tevano fare detta conversazione*. Alla quarta; la ignora « anche per la ragione esposta nell' antecedente dimanda « *di non trovarsi nell'abitazione ov'eran quelli.* » Haec mulier alioquin praesens fuit in primo colloquio, cui interfuit Parochus Peinador; si itaque nunc dicit, fuisse absentem e domo, in qua conversati sunt sponsi, inferri per necesse debet, quod non una tantummodo vice, sed aliis etiam Maria se contulit ad Henricum. Num soli vel cum testibus sponsi fuerint, ignoratur; quemadmodum etiam ignoratur de quo interrogata fuisset Laurentia, dum has redderet responsiones: et quantumvis Defensor, his depositionibus in pervigilio praeeuntium Comitiorum perlectis, acriter institisset ut quoad hoc lux fieret, nihilominus haud aliud productum est in praesens, quam copiosum volumen actorum iudicii super validitate, quod cum sit lingua Castellana exaratum, nullum hausisse lucis spiraculum confitetur.

Clare patet, quod ex hac Laurentiae depositione haud potest rationabiliter excludi possibilitas, quod sponsi aliquando conversati fuerint soli; atque ita per consequens nec excludi potest possibilitas consummationis. Eiusmodi autem possibilitas eo vel maxime excrescit quia de eo tempore adhuc Maria deperibat Henricum; quemadmodum eruitur ex depositione cuiusdam Petri Nigro etiam noviter deducta. Exhibita enim in iudicio validitatis ab Henrico hac interrogatione « se, e come è anche certo, che in detta « passeggiata la Sig. Dolorosa manifestò, che annuiva a « chiedere il deposito a fine di ottenere il consentimen- « to, onde maritarsi civilmente, e in caso negativo con- « dursi col citato Sig. Enrico Castro, mentre la società « non poteva criticarla per andare insieme al suo marito »; ita testis Petrus Nigro respondit « *È certo tutto quello, che comprende questa dimanda per quanto gli costa nel modo più veridico* ».

Ex hisce omnibus manifestum apparet, quod in confectione processus aperte enunciabantur res et circumstan-

tiae gravissimae, quae quaestionem tum inconsummationis, tum causarum dispensationis directe afficiunt. Enunciabantur praeterea testes, qui de hisce rebus claram ac certam cognitionem tradere poterant. Sunt coniuncti, nimirum consobrinae mulieris; sunt aliae personae probitatis notae praeditae, Sacerdos nempe Parochus Motae Marchionis, Laurentia Diez ac Ioseph Nigro, qui examinati fuerunt in iudicio validitatis coniugii, et qui tametsi nominati expresse non fuerint a Maria, nihilominus satis aperte denunciabantur per verba « *ed in presenza di altre persone* ». Manifestum etiam est, quod in quaestione etiam pergravi conversationum coniugum ipsi et non alii complere debent septimam manum ex latere mulieris. Et quum iidem fuerint omnino praetermissi, hinc isthac etiam in parte substantiale vitium in processu emergere iudicandum est.

Validius robur haec omnia accipiunt ex eo quod, constante possibilitate consummationis matrimonii, iam ex ipsius iuris gremio exsurgit praesumptio, quod reapse matrimonium fuerit consummatum, ac per consequens negari debet dispensatio, ad tradita in S. H. O. in *Chien. Matrimonii* 15 *Decembris* 1792 § 5 apud Zamboni verb. *Matrimonium* § 19, et in *Spoletana Matrimonii* 20 *Decembris* 1873 § *Hoc absoluto*. Potiori idcirco ratione id affirmandum, quando, prouti in casu, neglectum fuit examen illorum testium, qui hanc ipsam possibilitatem aut confirmare, aut excludere possunt. Tunc enim praeter defectum probationum meritum causae respicientium, exsurgit etiam substantiale vitium processus, cuius intuitu vel omnino reiici debet petitio dispensationis, vel demandari debet ut processus compleatur.

Hisce omnibus enucleatis, progreditur Defensor in extrema Orationis parte ad confutandum tum examen testium Corunae, ubi brevissimo nonnullarum horarum spatio mulier permansit post matrimonium; tum extraiudicialem confessionem Henrici, in epistolio ad coniunctam Mariae transmisso elicitam, in qua isthic dispensationem a matrimonio rato a mulieris patronis speratam, praetensionem appellat. Sed de hisce iam satis actum in praecedenti Folio diei 14 Decembris 1878 § *Nec quidquam* et sequentibus; unde EE. VV. ad idem folium remitto.

De causis autem dispensationis nihil adiicit Defensor, quoniam et ipse ad praecedentes *Animadversiones* se re-

fert, quarum compendium prostat in citato Folio §. *Hisce enucleatis* et sequentibus.

Vestrum nunc erit EE. PP. pro assueta doctrina et prudentia infrascriptum dirimere

DUBIUM

An sit standum vel recedendum a decisis in casu.

In decisis.

Sess. 24 cap. 1 de Ref. Matr.

ALBINGANEN. DISPENSATIONIS MATRIMONII. = Dissentiente patre, cooperante tamen fratre Sacerdote, Violans Arduini virgo prope septilustris ex Albinganno, utut ob animi levitatem muniis maritalibus parum apta, die 4 Aug. 1866 matrimonio secreto se iunxit villico Francisco Pizzo ex Oppido Saleae prope Albingannum, qui nullo censu praeditus, illam ducens, honestam sibi conditionem comparare sperabat, suos lares in percommodam sponsae familiam transferendo. Celebratis tamen in rurali Religiosorum Ecclesia nuptiis, vix potuit sponsus aliquandiu in domo sponsae, huiusce absente ac ignorante genitore, permanere; quandoquidem de consilio Leviri relicta sponsa, quam in propria habitatione utut id deoptantem, excipere nullatenus valebat, eadem die vespertinis horis regressus est in patriam ea spe et consilio ductus, ut ibidem permaneret donec sponsae frater genitoris animum flecteret, et ad civilem actum adimplendum viam sterneret.

Transacta hebdomada, domum sponsae repetiit Franciscus; sed ob paupertatem ipsius iam Violante facta coniugii poenitente, noluit omnino cum illo cohabitare; et eodem illius fratre non minus ob insuperabilem patris adversionem obsistente, miser sponsus ut ignominiam infausti connubii effugeret, transfretavit Americam. Quadriennio post reversus in patriam, omnem lapidem, at incassum, permovit ut coniungeretur cum sponsa. Spe et animo tandem deiectus, de mense Maio 1872 supplex adiit H. S. O., ut a matrimonio rato et non consummato dispensationem obtineret.

Mox etitio ad antecessorem Albinganensem Ordinarium prout de more pro informatione et voto fuit transmissa; iisque acceptis, sub die 12 Augusti eiusdem anni literae datae sunt ad eumdem Episcopum pro confectione processus. Semestre spatium inquisitio absumpsit ad integrum mensem Martium 1873; sed haud citius quam subeunte mense Iunio acta transmisit Episcopalis Curia, ex quibus habebatur, testes ex utroque latere adhibitos, de non cohabitatione et de inconsummatione deposuisse. Hisce habitis, sub die 18 Iulii subsequentis S.Congregatio mandavit Episcopo, ut curaret « *peragi inspectionem mulieris ad formam Instructionis S. C.* » Pro consueta commoditate, exeunte anno 1873, respondit Episcopus, impossibilem esse inspectionem ob repugnantiam mulieris; quippe quae utut et ipsa dispensationem postularet, nonnisi tamen cum magna difficultate submitti in propria habitatione potuit inquisitioni. Rescriptum mox fuit « *ponatur in folio* »; atque terminis indictis producta sunt acta ad mensem Maium 1874.

Re interim accuratius perpensa censuit S. C. sub die 2 Maii praedicti anni 1874 rescribere « *expleantur acta processus* », iniuncto nimirum examine patris, fratris ac domesticorum sponsae, nec non Sacerdotis Religiosi, qui cum fratre mulieris testis adfuit matrimonio. Die 2 Octobris transmisit Episcopus depositiones Sacerdotis Arduini, qui aliis testibus concordat, et Religiosi Iosephi Morteo ex MM. Obs. S. Francisci, qui invitatus ab Arduino, illico petens sponsae domum cum ipso, invenit eam cum sponso absente patre; iisque acceptis S. C. rescripsit sub 3 subsequentis Novembris 1874 « *Vocetur Agens* ».

Verumtamen nemini fuit ulterius curae definitioni causae incumbere; unde in suspenso res permansit ad mensem Martium superioris anni 1878. Hoc tandem tempore novus Episcopus Albinganensis adhuc instetit pro propositione causae; ea praesertim ratione, quod Franciscus, dispensationem haud posse obtinere reputans, civiliter cum alia muliere sese copulavit. Nulla mora a SSmo impetravi, ut causa oeconomice ob Oratoris paupertatem proponeretur cum Voto Canonistae et Theologi et cum Animadversionibus Defensoris Matrimonii ex officio. Suo quisque muneri diligenter incubuit adimplendo; atque ita eorumdem lucubrationibus acceptis, ubi primum temporis opportunitas suppetiit, controversiam ad sapientissimum iudi-

cium EE. VV. deferre non distuli; omnibus idcirco perpensis, quae tum in utroque Voto, tum in praedictis Animadversionibus fuse enucleantur , dignentur sequens enodare

DUBIUM

An sit consulendum SSmo pro dispensatione matrimonii rati et non consummati in casu.

Affirmative.

VOTUM THEOLOGI

Eminentissimi ac Reverendissimi Principes

Iam ab anno 1872 ad S. Sedem Apostolicam supplices preces misit quidam Franciscus Pizzo Albinganensis Dioecesis, quibus solutionem quoad vinculum Matrimonii, quod anno 1866 iuxta ritum S. Matris Ecclesiae contraxerat cum Violantina Arduini eiusdem Dioecesis, quodque tantummodo ratum, ut ipse asseruit, remanebat, enixe postulabat. – Causa haec matrimonialis quae in se ipsa spectata, meo saltem iudicio, simplicissima et facilis solutionis fuisset, difficillima ac molestissima evasit ob resistentiam vel negativam, vel etiam aliquando positivam quam Curia Episcopalis Albinganensis invenit, ex parte mulieris, in actibus processualibus explendis. Et haec ipsa resistentia effecit, ut processus aliqua ex parte incompletus remanserit, neque expleri potuerint omnia quae Sedes Apostolica, ut explerentur, praecepit ad hoc, ut in causa tanti momenti illa cognitio et probatio haberetur, quae inducit omnimodam moralem certitudinem quoad fundamentale factum non secutae consummationis Matrimonii.

Cum igitur ex actibus processus apprime constet quod nil ultra tentandum remanet, ut resistentia, ne dicam pertinacia ex parte mulieris opposita vincatur, remanet tantummodo ut omnia, quae a Curia Albinganensi missa, ad S. Sedem pervenerunt, diligenter examinentur, ad hoc ut quaestionis solutio, quae tantopere desideratur non solum ab actore Francisco Pizzo, sed etiam a Rmo D. Episcopo Albinganensi, obtineatur. Antequam vero meam qualemcumque sententiam aperiam, dum hanc causam, sub Theologico respectu, considerandam aggredior, succinctam facti expositionem necessario praemittendam existimo.

Facti expositio

Anno Domini 1866 die 4 Augusti in Ecclesia Conventus S. Bernardini prope Albingannam, dispensatis ab Episcopo tribus consuetis denunciationibus et concessa licentia R. P. Gaudentio ab Alazio M. O. adsistendi, loco Parochi, celebrationi Matrimonii, celebratum fuit Matrimonium inter Franciscum Pizzo aetatis 26 annorum, de Paroecia Saleae, et Mariam Violantinam Arduini aetatis annorum 34 in Paroecia Sanctae Mariae in Fontibus Albingae commorantem, uti legitur in documento celebrati Matrimonii desumpto ex Regestu Matrimoniorum dictae Paroeciae S. Mariae in Fontibus.

Licet frater Violantinae D. Presbyter Nicolaus Arduini in sua quadam scriptura exarata, postquam ipsi processus Matrimonialis legendus datus fuit, quaeque processui tamquam documentum annexa invenitur, aliquod dubium circa validitatem huius Matrimonii conetur elevare, tamen retinendum apprime est, quod Matrimonium vere validum fuit, uti egregie ostendit defensor Matrimonii a Curia Albinganen. constitutus, in sua responsione ad dubia a Sacerdote Arduini elevata, quae responsio, in fine cartulae ab ipso Arduini conscriptae refertur.

Haud tamen omittendum est, quod Matrimonium de quo agitur, minime celebratum fuit ob illum mutuum amorem, qui communiter etiam plus aequo, inter futuros sponsos exardescere solet. Uti habetur ex iuratis depositionibus tum sponsorum, tum testium, Franciscus per duas vel tres vices Violantinam ante Matrimonium viderat, et ut ipsa iurata depositione asserit, aliquibus tantum indiffe-

rentibus et obtruncatis verbis futurum sponsum est allocuta.

Desiderium et spes successionis in propria familia quam tantummodo ex Violantina, unica et sola sorore habere poterat, desiderium etiam habendi in Francisco cultorem solertem suorum praediorum, agricola enim erat, causae praecipue fuerunt, ob quas Sacerdos Nicolaus, Violantinae frater, ipsam Francisco desponsare curavit. Spes quoque et desiderium reddendi propriam materialem conditionem meliorem in causa fuerunt cur Franciscus Violantinam in uxorem acciperet, uti ex actibus eruitur.

Pater Violantinae Laurentius uti pariter ex processu constat, semper et constanter seipsum opposuit dum agebatur de Matrimonio filiae, eo quia ipsam haud aptam statui Matrimoniali reputabat, ob innatam levitatem mentis et animi instabilitatem. Haec oppositio in causa fuit, cur Violantinae Matrimonium cum Francisco, occulte et nesciente patre, celebratum fuit, curante fratre ipsius Violantinae, qui sperabat quod celebrato iam Matrimonio, pater consensum praeberet, et in propria domo Franciscum Sponsum reciperet. Irrito tamen conatu, post celebratum Matrimonium tentavit omnia media Franciscus, ut cum sibi desponsata Violantina cohabitare posset; difficultates, ne hoc suum desiderium expleret, omni ex parte maiores in dies exurgebant; et uti ex omnibus depositionibus, quae in actibus habentur, constat, nunquam simul cum sponsa habitare potuit. Immo uti Rm̃us P. Episcopus Albinganensis testatur in sua epistola informativa quam sub die 15 Iulii 1872 ad Em̃um ac Rm̃um D. Cardinalem Sacrae Concilii Congregationis Praefectum, conscripsit, antequam Franciscus sua vota explere posset, Violantina, instabilis et debilis mentis licet aliunde timoratae esset conscientiae voluntatem mutavit, et sponsum suum Franciscum sibi copulare omnino recusavit.

Franciscus igitur ut irrisiones fugeret, et etiam ut animi dolorem leniret, in Americam perrexit, ibique per quatuor circiter annos remansit, labore sibi comparans ea quae ad vitae sustentationem sunt necessaria. Ad propria reversus, omnem iterum movit lapidem ut sponsam sibi copulare posset, ast noscens omnia inutiliter pertentare, supplicationem Apostolicae Sedi porrexit, qua, enixis precibus, solutionem Matrimonii, tantummodo rati cum Vio-

lantina contracti postulabat. Apostolica Sedes, uti semper in rebus tanti momenti consuevit, audita informatione ab Episcopo Albinganensi emissa, praecepit ut ad normam Apostolicarum Constitutionum, processus regularis super hac re in Curia Albinganensi conficeretur, qui quidem tribus partibus constat, et ut a principio iam monui, omnia nunc in ipso habentur, quae Curia Albinganen. ex parte Violantinae obtinere potuit. Deest ex parte mulieris depositio testium *septimae manus* facta a consanguineis vel affinibus Violantinae ipsius. Deest Procurator qui Violantinam repraesentet, tamen depositio iurata super ipsius veridicitate facta invenitur a septem testibus ex vicinis selectis, a defensore vinculi matrimonialis, uti praecipit percelebris Constitutio Benedicti XIV f. r. quae incipit *Dei Miseratione*. Procurator iterum atque iterum expostulatus fuit a Curia Episcopali et tam Violantina quam frater ipsius eum constituere renuerunt. Deest etiam inspectio corporis Violantinae eo quia ipsa eam pertinaciter recusavit.

Franciscus interim ut R̃mus Episcopus Albinganen. scribit in sua epistola informativa sub die 15 Martii decurrentis anni, in gravissimo aeternae damnationis periculo constitutus, miserabiliter invenitur. Sibi enim copulavit contractu civili aliam mulierem, cum qua iam per aliquod tempus vixit, desperans posse obtinere solutionem Matrimonii cum Violantina contracti. Attamen a R̃mo Episcopo advocatus et spe roboratus, quod tandem optatam solutionem Matrimonii obtineret, separatus remanet a muliere cum qua vivebat et monitis Episcopi obtemperans, expectat Apostolicae Sedis decisionem.

Hisce praehabitis, ut circa hanc causam, quaenam sit mea sententia melius appareat, statuendas duco sequentes propositiones.

Prop. 1. Ex actibus processualibus satis abunde probatum remanet quod Matrimonium Francisci Pizzo cum Violantina Arduini, remansit tantummodo ratum.

Habemus siquidem quod Coniuges cum iuramento asserunt nunquam Matrimonium consummasse. Habemus etiam quod testes ad examen vocati ferme unanimiter deponunt, quod sponsi numquam cohabitarunt, et si aliquis hoc factum ignorare deponit, nullus asserit sponsos cohabitasse, et hoc iam solidam probationem constituit non secutae consum-

mationis Matrimonii. Ut enim docet Coscius in Opere cui titulus « *De separatione Tori coniugalis lib.* 1 *Cap.* 16 *num.* 13 *ad* 18. « Hanc probationem, nempe quod Ma-« trimonium fuerit dumtaxat ratum, facere possunt testes « qui deponant quod Coniuges, contracto Matrimonio, nun-« quam una simul in eodem loco convenerint, aut saltem « quod coram aliis personis, semper permanserint, iisque « videntibus se separaverint, nec unquam sub eodem te-« cto cohabitaverint, (uti in casu nostro adamussim verificatur) « seu etiam in cubiculum ingressi fuerint apertis « ianuis, ibique nonnisi per momentum moram traxerint, « eoque magis si eorumdem testium depositioni, *acce-« dat assertio utriusque Coniugis iuramento firmata, qua « pariter Matrimonii consummationem excludant,* quibus pro-« bationibus concurrentibus, dubitari nequit, quin *ratum* « tantummodo sit Matrimonium, cum enim constat Coniu-« ges numquam una simul cohabitasse, tunc soli eorum-« dem Coniugum assertioni de non subsecuta consumma-« tione omnimodam adhibendam esse fidem, tenent *Hostiens.* « *in Summ. tit. de Convers. Coniugat. n.* 9. *vers. Quisquis* « *Bald. in leg. Deo nobis* 42 *n.* 9 *Cod. de Episc. et Cleric.* »

Hoc ipsum docet clarissimus Sanchez in opere de Sacramento Matrimonii *lib.* 2 *Disput.* 23 *num.* 1 « ubi ha-« bet si sponsa non erat virgo, nec sponsi domum tradu-« cta sit, adhibetur illorum iuramento fides: cum ex aspe-« ctu probatio haberi nequeat, et non esse traductam si-« mul cum iuramento fit urgens iudicium. »

In casu autem, de quo agitur, praeter depositiones testium et assertionem iuratam coniugum habemus etiam tum antecedentia, tum subsequentia celebrationem Matrimonii, quae idipsum suadent. Siquidem ut in narratione facti iam dixi, amor coniugalis inter Franciscum et Violantinam numquam exarsit, immo paulo post celebratum Matrimonium, Violantina voluntatem mutavit, et si prius indifferens erat erga Franciscum, paulo post animus ipsius a sponso alienatus omnino evasit; ex hoc profecto vehemens praesumptio eruitur qua probationes de non secuta consummatione Matrimonii confirmantur. Et haec quidem animi alienatio quae a principio Violantinae animum occupavit, perduravit etiam post Francisci ex America regressum et perdurat usque adhuc.

Defectus autem praesentiae Violantinae, vel Procura-

toris ipsius dum processus conficiebatur, infirmare haud valent probationes, quae in ipso processu, maxima cum diligentia, Curia Albinganensis collegit. Alioquin sequeretur quod obstinatio unius partis ius alterius non tantum laederet, sed inutile redderet. Insuper nullimode verificari posset quod docet Sanchez *lib.* 2 *Disp.* 15 *concl. ult.* ubi habet: « Ut Pontifex dispenset in matrimonio rato, non de« sideratur mutuus coniugum consensus, sed existente cau« sa iusta, potest Pontifex dispensare, altero eorum invito. « Quia si causa iusta subsit, repugnantia alterius nequit « Pontificis potestatem impedire, ne alteri habenti iustam « dissolvendi causam, petentique dispensationem consulat. « Sic *Gozadinus cons.* 2 *num.* 14. *Ant. Gabr. Tom.* 2 *Com« mun. lib.* 11 *verb. Matrimonium. Et ex Theologis Meti« na lib.* 5 *de Sacr. hominum contin.* 89. »

Ex quo ni fallor satis evidenter deducitur, quod si Pontifex potest dispensare, non obstante repugnantia unius partis, possunt etiam confici acta processualia pro veritate inquirenda, cum tali repugnantia, dummodo veritas facti ex actibus resultet.

Defectus pariter inspectionis corporis Violantinae ad dignoscendam ipsius virginitatem, infirmare haudquaquam valet probationes non secutae consummationis Matrimonii, quae in processu collectae inveniuntur. Ut enim iam supra notavi cum Coscio et Sanchez, quando ex actibus processus satis abunde constat quod sponsi numquam cohabitarunt, aliae probationes superabundant. Et licet S. Concilii Congregatio in instructione edita die 22 Augusti 1840, pro confectione processus in causis Matrimonialibus, procedendum esse praecipiat ad inspectionem corporis mulieris; tamen mihi videtur quod hoc praeceptum limitari aliquo modo possit, eo quia instructio loquitur de hac inspectione, postquam statuit omnia alia quae servari debent in confectione processus, et videtur quod inspectionem necessariam iudicet, quando « *querela super impotentiam versatur.* » Scio quod ipsa S. Conc. Congregatio, remisit acta processualia causae de qua agitur ad Curiam Albingan. sub die 18 Iulii 1873 rescribendo: « Eidem « Episcopo, ut curet peragi inspectionem mulieris ad for« mam instructionis Sacrae Congregationis. » Ex hoc profecto habetur quod in casu praesenti S. Congr. Concilii, si non absolute necessariam, saltem valde utilem, hanc in-

spectionem iudicavit, ut plenior ac firmior notitia veritatis haberetur. Attamen, cognita per informationem Albingan. Episcopi invincibili Violantinae resistentia, sub die 2 Martii 1874 iterum praecepit ut explerentur acta processus, non obstante Violantinae repugnantia, unde ipsam opportunam quidem sed non absolute necessariam iudicavit. Aliunde uti docet Coscius in opere supra citato « *De separatione Tori coniugalis lib.* 1 *Cap.* 16 *num.* 43 ipsa Sacra Congregatio Concilii in una Ianuen. apud Ursayam *tom.* 3 *part.* 2 *discept.* 21 *num.* 134 *et seqq.* hanc inspectionem minime necessariam existimavit. Et *num.* 46. habet: « Verum generaliter loquendo huiusmodi inspectio « tamquam nimis fallax, et ad fallendum apta, raro, nisi « eam Muliere sponte petente . . . . ad detegendam eius « claustri virginalis integritatem opportuna videtur ; quin « et si fiat ad petitionem quoque mulieris, nonnumquam « obstetrices et Iudices decipere potest. » Ex quo sane eruitur inspectionem mulieris non esse absolute necessariam ad probandam non secutam consummationem Matrimonii.

Et re sane vera habemus ex Ephemeride cui titulus *Acta S. Sedis in compendium opportune redacta Vol.* 10 *pag.* 376, quod ipsa S. Concilii Congregatio in causa Matrimoniali gravissima pertractata die 20 Iunii, 5 Augusti, 16 Decembris 1876 et 21 Aprilis 1877, consulendum SSmo duxit pro dispensatione Matrimonii rati et non consummati, licet propter repugnantiam mulieris probari non poterit non secuta consummatio per inspectionem corporis, et tamen in casu illo magis quam in nostro necessaria videbatur. Coniuges enim in eadem domo et in Matrimoniali forma per quatuor et ultra menses simul habitaverant et sponsa asserebat virum aliqua saltem vice copulam perfecisse. Ex quo auctor citatae Ephemeridis pag. 400 infert sequens corollarium sub. N. 6. « Aliquando ex S. C. Concilii etiam « remissam fuisse corporalem inspectionem , a constitutio- « ne Benedictina « *Dei Miseratione* » volitam, in casu quo « alter ex coniugibus dissentiens fuisset; dummodo ex aliis « gravissimis adminiculis moralis certitudo emerserit, quod « copula carnalis impossibilis visa fuerit. » Insuper idem auctor citatae Ephemeridis ex alia identica resolutione S. Congr. Concilii sub die 28 Iulii 1877 in causa Matrimoniali non valde a praecedenti dissimili, infert corollaria

numeris 2, 3 et 7 respondentia, pag. 473 quae ita se habent:

« 2° In conficiendis processibus matrimonialibus ri-
« gide servanda esse ea omnia quae praescripta habentur a Sa-
« cris Canonibus, praesertim vero a Constitutione S. M.
« Benedicti XIV *Dei Miseratione*, ac ab instructione S. C.
« Concilii die 20 Augusti 1840, secus, si nempe aliqua so-
« lemnitas negligatur, processualia acta nullitatis accusari
« posse.

« 3° Aliquando tamen Apostolicam Sedem super hu-
« iusmodi solemnitatibus dispensare, dummodo tamen gra-
« vissimae adsint causae, atque defectus in processu oc-
« currentes eiusmodi non sint, ut veritatem aliquo modo
« possint impedire.

« 7° Hinc concludi Apostolicam Sedem, gravissimis
« occurrentibus causis, ac praesertim si aliter fieri non
« possit, dispensare ab iis solemnitatibus processus matri-
« monialis, quae rei substantiam minime afficiunt, ac dum-
« modo alio pacto, de rei veritate indubitanter constare
« possit. »

Et revera, Constitutiones Pontificiae hac super re editae partem disciplinarem respiciunt, ac proinde subsunt auctoritati et potestati supremae Romani Pontificis, ita ut et radicaliter modificari, immutari, et in casibus particularibus dispensari ab ipso Summo Pontifice, *pro tempore* existenti indubitanter possunt.

Posita ergo 1ae propositionis veritate, quod nempe ex actibus processualibus, prouti habentur, satis abunde constet, quod Matrimonium inter Franciscum et Violantinam celebratum *Ratum* dumtaxat remanserit, sponte fluit,

2. Propositio. Romanus Pontifex, potest, suprema sua auctoritate utens, super defectibus processus Curiae Albinganen. dispensare, immo huiusmodi dispensatio valde congrua ac utilis in casu retinenda est, uti ex dicendis, dum de causis ad obtinendam dispensationem erit sermo, melius apparebit. Posito autem, quod moraliter certum sit, uti revera, saltem meo iudicio, certum est, matrimonium de quo agitur, consummatum non fuisse, dubitari minime potest, Romanum Pontificem illud dissolvere posse quoad vinculum, ita ut sponsi liberi omnino maneant et ad alias si velint nuptias transire possint. Ut enim iam suo tempore scribebat iterum supra citatus Coseius in dicto suo

opere – *De separatione tori coniugalis, lib.* 1 *cap.* 16 *n.* 3. – « Controverti nec etiam potest, quod Papa suprema, qua « pollet in terris Auctoritate, vinculum Matrimonii tantum- « modo *rati* et non consummati relaxare valeat..... Si enim « Matrimonii *rati* vinculum non esset solubile, nec etiam « per ingressum in Religionem solvi posset. »

Cumque notorium undique sit, ut prosequitur idem auctor n. 4° plures Summos Pontifices illud relaxasse;... « nos hodie post tot exempla,.... de eorumdem Summorum « Pontificum potestate dubitare vellemus, idem esset ac illo- « rum facta improbare, quod tamquam sacrilegium per *Text.* « *in leg.* 2 *Cod. de crim. sacrilegii* condemnant *Farinacc.* « *Cons.* 65 *num.* 45 *lib.* 1. *Veracrux specul.* 2 *part. art.* 27 « ubi habet : De Pontificis potestate, postquam dispensavit, « dubitare instar sacrilegii est; esset enim Christo quasi « exprobare, quod non satis Ecclesiae suae providisset. »

Extra omne dubium igitur positum remanet quod Summus Pontifex suprema Auctoritate, quam a Christo Domino in Divo Petro accepit, utens, potest vinculum Matrimonii rati de quo agitur relaxare.

Verum uti docet Sanchez *De Sacramento Matrimonii lib.* 2 *Disp.* 15 *num.* 5. licet probabile sit, valere dispensationem Pontificis in Matrimonio rato, absque causa iusta concessam, verius tamen est, uti habet *num.* 6 *concl.* 2 « dispensationem absque causa iusta factam, non tenere, « quia ut docuit *disp.* 13 *num.* 6 indissolubilitas Matrimo- « nii est de iure naturali et Divino, in quo dispensatio « Pontificis, absque causa iusta concessa est prorsus irrita: « ut Theologi communiter et iuris utriusque DD. faten- « tur, et ita dicunt Pontificiam dispensationem in voto sim- « plici sine iusta causa esse irritam, quia voti vinculum « est de iure naturali et divino. »

Sed nullatenus necessariam esse causam ad publicum bonum spectantem, eamque sufficere quae privatam respiciat utilitatem, solide firmant *Caietanus Tom.* 1° *Opusc. Tract.* 28. *Felin. cons.* 26 *num.* 19 multique alii, inter quos *Pignatell. Consult.* 148 *num.* 9 *Tom.* 1 ubi habet: « Et licet aliqui velint, causam concernere debere bonum « publicum,... verior tamen et magis communis opinio est, « ut sufficiat illam concernere bonum privatum, ac priva- « tam utilitatem. » Ac ita practice comprobarunt plures Summi Pontifices et prae caeteris S. M. Gregorius XIII qui

unica die dispensavit cum undecim, teste *Sanchez de Matrimonio lib.* 2 *disp.* 14 *num.* 2, quos omnes nequaquam est verosimile fuisse Magnates, adeo ut in illis causa publica dispensationem exigeret.

In casu autem de quo agitur, habemus causas et quidem gravissimas pro concedenda dispensatione, et huiusmodi causae non solum sunt privatae, sed etiam aliquo saltem modo sunt publicae.

Inter causas, pro concedenda dispensatione, in praesenti casu, mihi videtur ponenda primo loco, gravissima animorum alienatio inter sponsos existens. Haec alienatio, praecipue ex parte sponsae talis ac tanta est, ut nulla spes reconciliationis affulgeat, et hoc unanimiter fatentur testes qui in conficiendo processu ad examen vocati fuerunt. Et quod ita revera res se habeat, deducitur etiam ex eo quod a principio in expositione facti notavi: siquidem hoc matrimonium non ob mutuum inter neosponsos amorem celebratum fuit, sed ob alias causas omnino amori coniugali extraneas. Hinc, ut iam pariter notavi, Violantina sponsa, paulo post celebratum Matrimonium, animum et voluntatem mutavit, et si prius indifferens erat, postea facta est a Francisco sponso omnino aversa.

Alienatio autem animorum communiter ponitur a Theologis, quod sit causa, iam a seipsa sufficiens pro dispensatione concedenda. Sic doctissimus *Caietanus Tom.* 1° *Opusc. Tract* 28 habet: « Utrum autem discordia orta inter coniuges sine spe remedii, sit rationabilis causa dispensandi? crediderim quod sic, consensu coniugum accedente. « Tum in favorem animarum ne scilicet adolescentes in « adulteria ruant, aut permanere quasi cogantur, dum separati perpetuo manerent, tum ad evitanda homicidia « quae a desperatis coniugibus facile procurari possunt. « Tum ad bonum pacis restituendum inter eos, sublato « hoc vinculo, quod causa discordiae est, praesertim quia « coniugii finis unitas est. »

Aliam causam iustam pro concedenda dispensatione agnoscit Sanchez. *De Matrimonio lib.* 2 *disp.* 15 ubi habet *num.* 3. « Secunda causa est gravis timor scandali magni futuri, quia id cedit in magnum damnum commune, indeque rixae graves et neces oriri solent *Sir. Felin.* « *Cons.* 26 *num.* 19, *Portius cons.* 154 *n.* 22 *et* 24, *Menoch. d. praesumpt.* 10 *num.* 42, *et de cons.* 385 *num.* 7

« *ubi cum Portio addit.* Hoc futurum scandalum esse ob « fornicationis timorem, eo quod coniuges valde sibi di- « spliceant; vel ob inimicitias quae inter coniugatos, vel « eorum consanguineos timentur. »

In casu autem de quo agitur, non iam timor scandali adest, sed scandalum et quidem gravissimum subsecutum est. Dum enim Violantina neque Franciscum neque Matrimonii dissolutionem curat; Franciscus, ut iam dixi, Contractu civili, quem civile Matrimonium vocant, sibi aliam mulierem copulavit, et cum illa iam per aliquod tempus concubinarie vixit. Adsunt etiam inimicitiae inter coniugatos et consanguineos sponsi et sponsae, quae uti Rmus Episcopus Albinganen. in sua Epistola informativa dicit, solum per dispensationem Matrimonii rati eliminari possunt. Haec autem omnia, praecipue in oppidulis, maximum scandalum et animarum perniciem pariunt, quod profecto non solum ad privatum sed etiam ad publicum bonum referendum est.

Nec aliquis dicat, quod dispensatio in casu praesenti, tota in bonum Francisci cederet, qui actoris partes gerit, quique hanc gratiam haud meretur, cum in. contemptum Sacramenti et Ecclesiae alium contractum civilem Matrimonii inierit. Etenim ex modo quo se gerit ipse Franciscus post paternam Rmi Episcopi Albinganen. monitionem, apparet, quod facti poenitet, et animae aeternae saluti providere vel maxime cupit. Separatus enim ut iam dixi, nunc remanet a muliere, quam sibi contractu civili copulavit, et decisionem Apostolicae Sedis humiliter expectat. Hisce causis quae pro concedenda dispensatione militant, addi etiam potest alia causa, quae ex statu mentali Violantinae exurgit. Siquidem, ut iam in expositione facti notavi, Violantinae pater non solum ipsius Matrimonio cum Francisco, sed etiam cum alio quocumque semper contrarius fuit, quia Violantina tali levitate mentis laborabat, quae confinia dementiae tangebat, et uti habetur ex aliquibus in Processu relatis depositionibus illa quasi fatuitas mentis, in Violantina, progressu temporis percrebuit, quia gulae nimis indulget. Ex quo etiam deducitur quod uti fatetur ipse frater Violantinae Sacerdos Nicolaus, quaecumque reconciliatio inter sponsos humanitus impossibilis est.

Non ergo mirandum quod ipsa Violantina, in hac causa veluti indifferens remanserit et remaneat; licet nihil po-

sitive egerit ne dispensatio concederetur; immo uti ex iurata ipsius depositione habemus, dispensationem et ipsa desiderat. Unde neque deest altera dispensationis causa quae ab aliquibus, licet paucis Theologis assignatur, nempe mutuus coniugum consensus.

Ex quibus omnibus, saltem meo iudicio, tuto concludi potest, quod Summus Pontifex, utens illa suprema Auctoritate, quam a Christo Domino in Divo Petro accepit, relaxare potest matrimoniale vinculum de quo agitur, ita ut Sponsi liberi omnino maneant transeundi ad alias nuptias si velint.

Et si aliquod remaneat dubium, eo quia in actibus processualibus aliqua desunt, cum ista certitudinem moralem de non secuta consummatione Matrimonii haud infirment, ut supra satis diffuse demonstravi, poterit idem Summus Pontifex super defectibus, si qui adsunt tuto dispensare, uti in consimilibus casibus iam alias dispensavit.

Haec est mea qualiscumque sententia atque iudicium. Caeterum Summus Pontifex qui semper, in ferendis decisionibus, quae bonum Ecclesiae ac animarum salutem respiciunt, Spiritus Sancti adsistentia roboratur, illam profecto sententiam pronunciabit, quae in bonum animarum et in aedificationem fidelium ipsi in Domino magis expedire videbitur.

Quae omnia dicta sint salvo meliori iudicio.

Romae die 18 Septembris 1878.

Fr. RAYMUNDUS BIANCHI
Ord. Praedic. Consultor.

VOTUM CANONISTAE

Eminentissimi ac Reverendissimi Patres

1. Franciscus Pizzo e Paroecia Salteae Albinganensis Dioecesis, professione Villicus, fortunae carens bonis, victum manu et arte sibi comparabat, qui nondum sextum

supra vigesimum excesserat annum. Fortassis iste suo miserabili pertaesus statu, mentem aliunde convertit suam, ut meliorem assequeretur conditionem. Audiens a quodam Iosepho Bigo, vulgo *Baccibecco* Albinganensi, eadem in Civitate quamdam extare puellam, Violantinae Arduini nomine, quae iam trigesimum quartum expleverat annum, quaeque in vivis habebat Felicem patrem senem, et fratrem Nicolaum Presbyterum tantum; variis isti potiebantur agellis, usque ad summam sexdecim millia Libellarum, praeter alia familiae bona, quorum omnium tandem haeres futura erat ipsa Violantina. Hac tantum, ut reor, spe accensus atque inflammatus Franciscus, coepit continuo hoc sibi benevisum pertractare negotium, nihil perpendens de mulieris aetate, sibi longe superiori, nihil de ipsius deformitate, non de animi mobilitate, non quod vino nimius quam par est, dedita (1) « *quando era dal vino cot-* « *ticcia,* refert (2) Episcopus, *quasi deforme, stramba, se* « *non al tutto scema di cervello* »; sed cordi suo hoc unum infixum erat, pinguem illam consequi haereditatem, ut ait frater mulieris (3) « *tratto all'esca di un interesse, che nel-* « *la sua povertà lo abbagliava.* » Et hic me continere non valeo, quin cum Poeta exclamem: *Quid non mortalia pectora cogis auri sacra fames!* Profecto accidit, ut viam quaereret ut Violantinae loqueretur, quae ei responsum dedit, parum se ad statum coniugalem inclinatam sentire: attamen totum hoc negotium fratri suo Nicolao Presbytero remittere. Quo audito, Franciscus fratrem adiit, quem, infausto sydere, propensum invenit; quinimo ipsi promisit se acturum, ut patrem quoque suum ad assentiendum perduceret. Animo itaque erecto factus Franciscus patrem ivit. Verum haud dispositum, sicut fratrem, invenit, qui recise respondit « se non posse filiae hoc matrimonium consulere »; nam ut Episcopus (4) ait: « *dal quale il Padre* « CONOSCENDOLA VOLEA TENERLA LUNGE. » Apprime videns vir tempus, et opus cum eo frustra terere, iterum ad Nicolaum rediit, qui nullum non movit lapidem, quin hocce negotium ad suum non perduceret opta-

(1) *Act. Process. Documentum Primum.*
(2) *Epist. ad Emum Praefectum die 15 Martii 1878.*
(3) *Ibi Documentum Primum.*
(4) *Epist. sup. cit.*

tum finem. Re quidem vera ad Curiam Albinganen. perrexit, ac tantum penes eam egit, ut ipsam suaderet, non tantum omnes denunciationes dispensare, verum etiam, ut ipsemet delegaretur ad matrimonium ineundum inter Franciscum, et Violantinam in rurali Ecclesia extra Civitatem D. Bernardino dicata, in qua morantur Fratres Min. Obs. S. Francisci; et R. P. Gaudentius ab Alaxio eiusdem Ordinis, de venia ut supra, nuptias benedixit.

2. Quod evenit die nempe 4 Augusti 1866, hora antim. Sponsa, eius Frater, Franciscus Pizzo, nuper dictam Ecclesiam petierunt, ibique ad tramites Sacros. Conc. Tridentini Franciscus et Violantina sacro sese copularunt foedere. Religiosis expletis caeremoniis Sponsae domum remearunt. At hic animadvertendum non omnes simul, sed divisim, frater scilicet sororem comitabatur, sponsus autem, ne initum connubium ad aures populi et ad patris notitiam perveniret, solus Civitatem repetebat.

3. Domum Sponsae tamen hoc modo perventi, Nicolaus Franciscum suasit ad Saleam reverti, ac Dominica sequenti iterum rediret causa peragendi, ut vocant *contractum civilem*, et ipse Nicolaus interim patri suaderet ad suum quoque praestandum assensum. Morem gessit Nicolao Sponsus, ac illico domum paternam remeavit. Die statuto reversus Franciscus Nicolaum invenit non eumdem, sed ad varias ambages et tergiversationes confugientem, modo aientem sponsam aegrotasse, modo patrem flectere haud valuisse, modo Violantinam se de inito cum eo connubio poenituisse; uno verbo Sponso nunquam a contracto matrimonio datum fuit Sponsam amplius videre, aut alloqui.

4. Vir tandem ab hisce tricis lacessitus, cognoscensque ipsi deinceps nullum affulgere spei radium ad unionem cum Violantina uxore, non valens nec iniuriam, nec verecundiam inter amicos et notos sustinere, consilium iniit ad Americae plagas convolare, ibique quatriennio permansit.

5. Quo elapso tempore patrios repetiit lares, Albinganensem civitatem continuo rediit, et pro coniugii unione non defuit personas auctoritate, et sacerdotali charactere insignitas interponere, qui omnes toto pectore penes Violantinam, eiusque fratrem, qui in familia potens est, egerunt cognoscentes se tempus et opus frustra terere, la-

bori inutili valedixere, referentes hanc unionem esse inter eos moraliter impossibilem.

6. Hisce omnibus in vanum impensis conatibus ad individualem maritalem coniunctionem, videns Sponsus nullam ei superesse viam, quae suae afflictioni, calamitatique medelam afferre posset, quam ad Sacratissimum Principem recursum habere. De facto die 27 Maii 1872 supplicem Libellum ad Eum transmisit, quo totam veridicam (1), sed tristem iliadem enarrans, enixe humiliterque deprecabatur, ut (praeviis formalitatibus a S. Canonibus requisitis) pro sua benignitate dignaretur eum dispensare ab inito hoc malo ominato connubio *rato* tantum *et non consummato*. H. S. C. scripsit Episcopo pro informatione quae Francisco aequa fuit. Deinde rescripsit, *Instruatur Processus ad tramites notissimae Constit. S. M. Bened. XIV « Dei Miseratione » et iuxta Instructionem ibi annexam*. Tertio tandem iussit *compleantur ad tramites* ut supra *Acta*.

7. Verum enimvero tacendum hic minime est, sed potius quammaxime dolendum! Franciscus interim post decennium a matrimonio in faciem Ecclesiae cum Violantina contracto, non valens pro sua florente aetate, se continere, a desperatione abreptus, ut ait Episcopus (2), obtinendi a S. Sede imploratam dispensationem, cum altera muliere se *civiliter* copulavit, quacum biennio vixit!

Nihil tamen minus Summus Pontifex, ne animae suae curae concreditae pereant, ac per quantum in se est salvae sint, pro sua bonitate sub die 26 Martii currentis anni benigne annuit Oratoris precibus, ac concurrente ipsius paupertate, ut Causa oeconomice pertractaretur coram H. S. C., adhibitis tamen Theologi et Canonistae Votis, cum animadversionibus Vindicis Matrimonii ex Officio. Denuo S. H. O. Episcopo rescripsit *compleantur Acta* et *ipse curet Oratorem separari a muliere, quacum civiliter sibi copulare praesumpsit,* quod ferme Franciscus promisit.

9. Morem gessit H. S. C. Antistes, atque per quantum in se erat, egit: attamen pater Violantinae, ut referunt, propter senectutem ac fere imbecillitatem minime Tribunali se sistitit. Sponsa post varias repetitas intimationes tandem comparuit, sed deinde vadimonium dese-

(1) *Epist. loc. cit.*
(2) *Ibid.*

ruit, noluitque amplius neque per se, neque per Procuratorem intervenire; hinc necesse fuit notulam, ut audiunt, *septimae manus, ex parte mulieris,* Matrimonii Defensor ex Officio conficeret, ac praesentaret. Ipsa Violantina perviciciter renuit se se oculari inspectioni submittere. Caetera per quantum mihi videntur recte confecta fuisse.

10. Per honorificum Canonistae munus ab humanitate Illmi ac Rmi Domini H. S. C. a Secretis mihi demandatum fuit, et ego lubenti animo per quantum tenues vires meae suppetunt, omni, qua par est, conscientia et diligentia conficiam.

11. Opus praesens aggrediendo, etsi mihi persuasum sit, non *per Viam Iustitiae,* sed *per Viam Gratiae* agendum esse, tamen scio, totis enitendum viribus, praesenti in controversia recte probare duo concurrere extrema, nempe Matrimonium in casu adhuc *ratum* tantummodo perseverare, *et iustam ac legitimam causam* concurrere, ut Summum Pontificem moveat ad elargiendam imploratam dispensationem; ait enim Rota *decis.* 392 *num.* 27 *recent.* - ibi - « Quando agitur de dissolutione matrimonii, quod « est magnum sacramentum, omnis diligentia et cautela « adhibenda est, ut quantum humana fragilitas patitur, « omnis fraus et error excludatur. » Haec duo mihi inquirenda sunt. Age nunc

THESIS PRIMA.

An Matrimonium in themate sit ratum tantum?

12. Tota quaestio, in qua nunc versamur, enucleanda est atque probanda per Testes, et quidem fide dignos, qui deponunt, quod coniuges, contracto matrimonio nunquam una simul in eodem loco convenerint, aut saltem, quod coram aliis personis semper permanserint, iisque videntibus se separaverint, nec unquam sub eodem tecto cohabitaverint, seu etiamsi in cubiculo ingressi fuerint, apertis ianuis, ibique nonnisi per momentum moram traxerint. Eoque magis si eorumdem testium depositioni accedat assertio utriusque coniugis iuramento vallata, qua pariter matrimonii consummationem excludant, quibus probationibus concurrentibus, haud dubium est thesim in tuto esse. Ita ex *Cap. Laudabilem* §. *Si autem De frigid. et*

malefic., *cap. fin. eod. tit.*, *can. Requisisti* 2. *Caus.* 33 *q.* 1, et ex causa *Burdigalen.* 26 *Februarii*, 1825 *ubi in* §. *In Summario* dicitur « *non severas ac rigidas... requiri probationes, sed coniecturales et adminiculativas* »; atqui ex Actis Processualibus mox alligandis, aperte constat Coniuges nunquam una simul cohabitasse, tunc soli eorumdem coniugum assertioni de non subsecuta consummatione omnimodam adhibendam esse fidem tenent *Hostiens. in summa tit. de Convers. Coniugat. num.* 9 *vers. Quid si quis. Baldus in leg. Deo nobis* 42 *num.* 9 *Cod. de Episc. et Cleric.* Fortius praesenti in causa tenendum est , ait Coscius *De separat. tor. coniug. lib.* 3. *cap.* 2 *num.* 133 – ibi – « Aliquando negativa consummationis probata remanet , si « constet, quod vix rato Matrimonio, statim mulier in pro« priam domum se receperit, et vir ad propriam suam re« dierit habitationem. »

13. Profecto in praesentiarum habemus iuramentum utriusque coniugis praeprimis, qui Divino invocato testimonio constantissime ac sine ulla tergiversatione adseruerunt de non cohabitatione, etsi quae evenit, fuit vix ac ne vix quidem momentanea, per quam consummatio nullimode contingere potuit. Spectata enim eorum honestate et veridicitate, de qua mira consonantia formiter doposuerunt testes omnes, ut in orationis decursu videre est, fateri necessario debemus, quod dictum iuramentum momentum grande habeat ad intentum pro quo allegamus *Bald. cons.* 123 *in fin. lib.* 2. *Farinacc. quaest.* 25 *num.* 99. *Mascard. de probat. concl.* 1311 *num.* 53 *lib.* 3. *Sperell. decis.* 75 *num.* 79. *Rota coram Lancetta decis.* 230 *nn.* 12, *et* 13.

Iamvero praestat hic in medium afferre iuratam Francisci Pizzo depositionem: (1) Appena celebrato il ma« trimonio, uscii di Chiesa, da dove separato affatto dal« la medesima (Violantina), senza neppure averla a brac« cietto, tornai in Albenga *da solo*, mentre essa facea « compagnia al suo fratello prete, sicchè eravamo affatto « lontanissimi l'un dall'altra, e questo perchè nella famiglia « Arduini avevano impegno, che nè il pubblico, nè il pa« dre venissero a cognizione del celebrato matrimonio. « Tornati in casa, come ho già detto, *separati*, il prete

(1) *Acta Proc. ad 4 interr.*

« fratello mi disse, che stante l'assenza del padre, mi « ritornassi a Salea, da dove potrei tornare nella prossi- « ma Domenica, per combinare il modo di fare il *Con-* « *tratto civile,* mentre egli nel frattempo avrebbe ottenu- « to il consenso del padre.

« Tornato secondo i suoi desiderî, ora colla scusa, « che la sorella era malata, ora coll'altra, che il padre « non ne volea sapere, ora con una terza che la Violan- « tina era pentita, ora dicendomi, che mi cercassi una « Casa in Albenga; quale trovata non era di suo gradi- « mento, sebbene ne cercassi più d'una: ora, a dir breve, « in un modo, ora nell'altro, non ebbi più occasione, nè « libertà di avvicinare la Violantina; talchè posso giura- « re d'avanti a *Gesù Cristo,* che non solo, non ho con- « sumato con lei il matrimonio, ma che uscito di Chiesa, « non l'ebbi mai toccata con un dito.

15. Quibus apprime consonat Mulier (1): « Sì ho par- « lato una, o due volte, anzi mi pare poter dire, che « quasi mai ho parlato, perchè non ci siamo scambiate, « che parole insignificanti, e che io non aveva forte inclina- « zione per lo stesso. »

Ad 4 interr. « Mio padre non ne sapeva nulla, mio « fratello sapea, e cercò di distormi, e sono andata sola « a S. Bernardino, e sola tornata. Poscia il detto Pizzo « è venuto in Casa mia, e vi si *trattenne pochi minuti*, « quindi se ne è andato pe' fatti suoi, perchè non potea « portarmi in casa sua in Salea: venne alcuni giorni do- « po, per trattare del modo di abitare insieme, ma non « erano accettate le sue proposte, perchè impossibili ad « accettarsi. »

16. (Ad 5 interr.) « Di avergli toccata la mano so- « lamente nell'atto della celebrazione del matrimonio; ma « nè prima, nè dopo di averlo mai toccato per un di- « to . . . . io non ho con detto mio marito mai avuto « commercio carnale di sorta, nè con altre persone qua- « lunque: sicchè mi trovo nello stato di Verginità. »

Quam maxime praesenti in controversia in pretium habendum est, omnem collusionem inter eos penitus exulare: nam ab inito matrimonio, inter se nec amplius alloquuti sunt, nec visi; mulier enim illico facta est poenitens de

(1) *Ibid. ad* 3 *interr.*

hoc contracto connubio cum Pizzo. Perbelle, ait ad rem nostram laudatus *Coscii loc. cit. num.* 134 – ibi – « praesertim si longe a quacumque fraude, et collusione..... « eamdem negent consummationem, et Matrimonii disso- « lutionem concorditer petant. » De Viro ex dictis satis patet. Mulier (ad 6 interr.) « Desidero di vero cuore, che « questo matrimonio, fatto da me con troppa precipita- « zione, venga dall'Autorità Ecclesiastica competente sciolto « definitivamente. »

17. Et *Rota in Bononien. Nullitatis Matrimonii* 15 *Iulii* 1676 §. *et licet coram Vicecomit. sen.* – ibi – « Et « ipsa fatetur in sua iurata declaratione, cuius quamvis « pro dissolutione matrimonii regulariter non sit habenda « ratio per *text. in Cap. super eo etc.;* nihilominus cum « aliunde fulcita appareat ex rationabilibus, et fide di- « gnis probationibus, huiusmodi confessio non repellitur.»

18. Veniam igitur ad testes *septimae manus* per Franciscum Pizzo inductos. Omnes, ne longius, quam par est, labar, referendo ad litteram, existimo satis dicere, quod formiter ad examen vocati, uno ore sub Sacramenti religione, deposuerunt de probitate, honestate ac veridicitate utriusque coniugis, atque testati sunt, plenam eis habendam fidem *in facto non consummationis matrimonii;* ergo ne vos EE. PP. molestia afficiar, de prima interrogatione sileam, de caeteris verba faciam.

19. Iacobus Durante (ad 2 interr.): » So che questo « matrimonio si è fatto quasi di nascosto, e senza che ne « sapesse cosa alcuna il padre della Violantina: sicchè « appena celebrato in S. Bernardino, i coniugi non coa- « bitarono mai insieme, nè mai poterono riunirsi .... « il Pizzo si raffreddò, e partì per le Americhe .... poi « ritornato introdusse la causa presente. »

20. Parentes Francisci (ad 2): « Il nostro figlio ci rac- « contò, che in due, o tre circostanze ha visto, e scam- « biate alcune parole colla Violantina, sempre bensì in « presenza del di lei fratello prete, ma che però la me- « desima o con un pretesto, o coll'altro *si ritirava.* Quin- « di . . . si recò in Albenga, ed ivi ha di fatto celebra- « to il suo matrimonio colla Violantina . . . Tornato po- « scia a Casa *la sera medesima* del celebrato matrimonio, « ed interrogato da noi sul perchè egli non fosse rima- « sto in Albenga a condormir colla moglie, ei ci rispose,

« che il fratello di lei prete non avea voluto, perchè il « padre, che ignorava il fatto matrimonio, avrebbe dato « in escandescenze, se lo avesse veduto in casa, come ma- « rito della figlia: ma che col tempo si appianerebbe « ogni cosa.

« Poscia più volte da noi spinto a veder modo di « unirsi colla moglie, andò in Albenga, trattò di quest'af- « fare col fratello prete, ma non vi fu mai mezzo a com- « binar questa faccenda; sicchè noi siamo convinti, con- « vintissimi, che non ha mai consumato il matrimonio « colla detta nostra nuora Violantina, avendocelo egli più « d'una volta indicato; anzi una cotal Gironima nata Gai- « bisso moglie Isoleri vicina di casa della Violantina stessa « ha detto a lei, che non fu mai conosciuta come moglie « carnalmente da mio figlio. »

21. Bartholomaeus Abba ex Salea (ad 2 interr.): « Il « Pizzo per motivi d'interessi spinto piegava a far questo « matrimonio, anche senza il consenso del padre della Vio- « lantina, sperando, che col tempo questo si sarebbe ot- « tenuto: sicchè pel difetto di esso, il Pizzo celebrato il « matrimonio, *non potè mai coabitar colla moglie,* come « mi ha asserito più volte, *ed è pubblico e notorio in* « *paese.* »

22. Angela Balbis Vedova Abbo (ibi): « Sicchè essen- « do *pubblico, e notorio* che il padre della Violantina, non « ha mai voluto consentire, che la figlia coabitasse col « Pizzo in casa propria, ed essa non essendosi mai mossa « dalla casa paterna, . . . son convinta, che questi due « sposi non hanno mai consumato il loro matrimonio. »

23. Franciscus Gianeri (ibi): « Una settimana circa, « dopo celebrato il matrimonio . . . da amico interrogai « il Pizzo perchè non stesse con sua moglie; mi rispose, « che il padre della medesima non volea, e poscia pas- « sato molto tempo, io mi accorsi, che il medesimo si « vergognava cogli amici, e col resto del paese, sicchè « finalmente per sottrarsi da così fatta vergogna prese la « deliberazione di andarsene in America . . . sicchè io « son convinto, convintissimo, come tutti dicono ed è « *voce pubblica*, ch'egli non abbia mai colla moglie con- « sumato il matrimonio, ed egli stesso più volte l'ebbe « detto a me confidenzialmente, e da amico. » Habetur in Cap. *Illud quoque* 11 *De Praesumpt.*, et Cap. *Praeterea* 27

De testib. — ibi — « *Praesumptionem violentam fama consen-*
« *tiens subministrat.* »

24. Admod. R. D. Candidus Barbera Archipresbyter Saleae (ibi): « In Ecclesia S. Bernardini celebratum fuit hoc « matrimonium, *eademque die* Franciscus ad paternam do- « mum reversus est, quin suam duceret uxorem. Qua de re « nonnullis elapsis diebus, a me interrogatus, hanc ab illo « obtinui responsionem. Violantinae pater, nostri matri- « monii ignarus, mihi impedivit, quominus condormitio- « nem cum mea uxore haberem, quam nec habui ipsa « matrimonii die . . . adeout, mihi persuasissimum sit, « *numquam, et nusquam suum cum praedicta uxore consum-* « *masse matrimonium.* »

Nunc ad Testes ex parte Mulieris, qui ex Officio a Defensore Vinculi nominati fuere, et accersiti.

25. Ioseph Bigo, vulgo *Baccibecco* (ibi): « Un bel gior- « no mi comparve il Pizzo dicendomi, che avea sposato « nella Chiesa di S. Bernardino la Violantina accompagna- « ta da suo fratello ma senza che ne sapesse niente il « padre . . . e che per questo motivo non era andato « a dormire colla moglie, *ma tornato la sera medesima a* « *casa sua.* »

26. Adm. R. D. Aloisius Marchiano Can. Eccl. Cathedralis, (ibi): « Audivi Franciscum cum praedicta sua « uxore nunquam condormisse, quia socer eius nunquam « ipsum recipere voluit. »

27. Illmus Adv. Nicolinus Lanusol Albinganen. Vicesgerens Praetoris Mandamentalis hac in Urbe, nec non Municipalis Moderator (ibi): « Audivi a currente in Urbe « rumore matrimonium huiusmodi celebratum fuisse, abs- « que ulla reciproca sponsorum affectione, et tantumdem « ob motiva temporalis utilitatis, vulgo *interesse;* qua de « causa accidit, sponsos, contracto vinculo, *nunquam simul* « *cohabitasse; sed ad propria unumquemque illico divertis-* « *se* . . . ob quae omnia motiva mihi persuasum est ma- « trimonium huiusmodi ut ut fortasse ratum, numquam « vero consummatum esse. »

28. Ast ne longius abeam, fere idem deposuerunt Dominica Vazio, Bernardinus Falcheri, Thomas Caraviotto, adm. R. D. Leo Ioseph Mantica Praepositus Parochialis S. Mariae in Fontibus.

29. Attamen ne Vos pigeat Emi Patres Testes matri-

monio inservientes audire. Nicolaus frater sponsae (1) ait: « Probe scio celebrationem factam fuisse talis matrimonii « coram S. Matre Ecclesia, cui adfui tamquam testis, et « post celebrationem, quemque sponsorum *abiisse in do-* « *mum suam, et nunquam exinde simul cohabitasse.* »

30. R. P. Ioseph Morteo ab Alaxio ex Min. Observ. (ad 5 interr.): « Post praedicti Matrimonii celebrationem, « eodem die me invitatum fuisse a conteste fratre prae- « dictae Violantinae ad poculum vini bibendum domi pa- « ternae, una cum sponsis. *Hanc domum illico petii* . . . « haustoque vino . . . de circumstantia audivi a praedi- « cto R. Nicolao fratre, sponsum illico reversurum Saleam, « et commoraturum domi suae ad curandas necessitates « familiae, *neque pro interim cum sponsa matrimonium esse* « *consummaturum.* »

31. Opus demum coronat Episcopus Albinganen. (2) – ibi – « Huiusmodi autem persuasionem (de inconsum- « matione matrimonii) vulgo *convincimento,* in examinatis « testibus ex processu apprime exurgere clarissime pate- « scit; ideoque declaravi in primis meis litteris informa- « tivis, testando scilicet hanc persuasionem generalem esse « in populo, cum omnibus probatae fidei hominibus, qui- « buscum hac de re sermonem ratione officii mei habui, « insitam invenerim, ob quam causam in praedictis Lit- « teris diei 15 Iulii 1872, non solum me quoque per- « suasum securumque asserui, praedictum matrimonium « minime fuisse consummatum, sed tantumdem ratum « esse; sed insuper addidi, ab omnibus tale illud gene- « ratim retineri, neque hanc communem persuasionem « indigere probatione iuxta tritum illud adagium – *quod* « *notorium est, non indiget probatione.* » Et (3): « Dalla Chie- « sa del Convento, ove celebrato aveano il matrimonio, « si ritirarono li Sposi separatamente alla casa Arduini, « dove gl'invitati alla refezione constatarono, e deposero « agli atti non essersi potuto combinare un modo di con- « vivere, e di coabitare tra li Sposi. Il padre Arduini « non li volea seco, la Sposa non volea recarsi a Salea, « dove a dir vero, sarebbe stato imbarazzato lo Sposo,

(1) *Process. Pars.* 3.
(2) *Epist. ad Emum Praefectum die* 2 *Iunii* 1873.
(3) *Epist.* 15 *Martii* 1878.

« *poverissimo*, ad alloggiarla : questi pertanto si ritirò solo
« a Salea, ogni susseguente tentativo di riunione falli. Sen-
« za avere abitato insieme *un momento solo ;* anzi tra
« mille pentimenti *hinc inde* si depose ogni speranza di
« accordo. Il Pizzo se ne fuggì a cercar fortuna in Ame-
« rica. »

32. Propositio in casu tot fulcita testibus, et quidem omni exceptione maioribus, luce meridiana clarius patet matrimonium in controversia, deficientia temporis commodique, numquam consummatum fuisse. Requidem vera, si ita fas sit ratiocinari, *Omnia cum tempore, et sine tempore nihil ;* atqui in themate tempus necessarium coniugibus ad rem coniugalem praestandam semper defuit; ergo concludendum, nunquam fuisse consummatum. Sane vero, non ante matrimonium (quod tamen nihil casui officeret) ceu ex Actis processualibus supra relatis satis abunde resultat, non tempore initi Matrimonii, quia ex iam dictis, constat probe, matrimonio sollemni ritu peracto, non simul, sed seorsim Sponsi domum remearunt, in qua parum, aut nihil permanserunt, semper adstante Sponsae fratre. Denique non postea, quia Francisco nunquam concessum fuit uxori alloqui; igitur tuto pede mihi videtur concludere posse, matrimonium, de quo quaestio est, *adhuc ratum* perseverare.

33. Haud me fugit praesenti in causa, unam deficere probationem tum a S. Canonibus, tum a Constit. Bened. XIV « *Dei miseratione* », tum denique ab Instructione ab H. S. C. hac super re edita, nempe ocularis inspectio virginitatis mulieris formiter riteque peragenda. Verum enimvero huiusmodi probatio requiritur tantum *adminiculative* non *copulative* ideoque cum caeterae abundant, utpote fallax minime est adhibenda *Cap. Causam de probat. Zacch. quaest. Medic. Legal. Lib. 4 tit. 2 quaest. 1 num.* 14. A S. Canonibus rigorose exigitur quando agitur de probanda impotentia ad coeundum, et una simul coniuges condormierint, et in contradictione iuramentorum Mulieris negantis, et Viri affirmantis consummationem. Sed quando condormitio (ceu in casu) non intercessit, et uterque coniux concorditer consummationem negat, una cum iuramento septimae manus consanguineorum, aliisque concurrentibus adminiculis, argumentis, et suppletivis probationibus, eamdem inspectionem non esse necessariam, post

Gloss. marginalem in Cap. Proposuisti 4 verb. Puellae de probat. existimant *Alexander de Nevo in Cap. Laudabilem sub num. 17, in quinto casu De frigid. et malefic. Angel. de confess. tom. 2 cap. 49 num. 14, et 15. Guttierez de Matrim. Cap. 120 sub num. 9. Sperell. decis. 141 n. 14 et seqq. Coscii loc. cit. cap. 16 num 64* – ibi – « Nisi aliun-
« de quoque illorum assertio coadiuvetur, ex probationi-
« bus, nempe, quod post matrimonium ratum numquam
« una simul convenerint. »

34. Insuper si eiusmodi inspectio desit, non Viro, non Tribunali Curiae Albinganen. prout Episcopus (1) ait: « Che
« è assolutamente impossibile a questo Ordinariato com-
« piere ulteriori incumbenti processuali » sed mulieri, quae pervicaciter renuit praescriptae corporis inspectioni, tribuendum est. At ex pervicacia mulieris ius non patitur, quod Viro gratia implorata denegetur, itaque vir innocens iure suo spolietur ob mulieris obstinationem. Ubi iusta, et legitima excusatio adest, culpa abest, ubi non est culpa, infligi non potest poena.

35. Praevia tantum Coniugum confessione, septimae manus adminiculata pluries dispensatum fuit a Summis Pontificibus in durioribus terminis, ut in *Burdigalen. Dispensationis Matrimonii 22 Februarii 1822, Ianuen. 27 Aprilis 1844, Parisien. Dispensationis Matrimonii 28 Martii 1857, Iaurien. et Viennen. die 15 Decembris 1877, Gandaven. Dispensationis Matrimonii 28 Iulii 1877*, aliisque in pluribus.

36. Per allata iura ac exemplis variis firmata, concludendum mihi videtur, praefatam inspectionem haud necessario, sed *adminiculative* requiri; idcirco, cum aliunde constet de *matrimonii inconsummatione,* si iustae, ac honestae adsint causae, dispensatio concedi potest; igitur inquiram, et descendam ad

THESIM SECUNDAM.

An adsit in casu iusta ac honesta causa pro Dispensatione a Matrimonio rato tantum?

37. Praesenti in themate non unam reor, sed plures concurrere iustas ac honestas causas, quibus extantibus,

(1) *Epist. sup. cit.*

etiam separatim sumptis, solent Sacratissimi Principes tales gratias dispensationum benigne elargiri. Age nunc

38. Prima dispensandi causa est magna et notabilis disparitas inter coniuges tam quoad aetatem, quam quoad conditionem, quae procul dubio sufficit pro obtinenda dispensatione, cum enim impediat amicitiam illam, animorumque concordiam, quae inter coniuges beatitudinem quamdam efficit, ut ait *Sancheze De matrim. lib.* **2** *disp.* 16 *num.* 2 – ibi – « Causa iusta est notabilis in qualitate di- « sparitas, quando scilicet contrahentes sunt notabiliter « conditione impares, et *affectione coeca et levitate qua-* « *dam* ducti ineunt matrimonium. Et ratio est, quia ma- « trimonium ordinatur ad mutuam amicitiam et concor- « diam, quae inter beatitudines refertur; nihil autem « magis mutuae amicitiae ac benevolentiae, quam coniu- « gum disparitas adversatur. » Et *Corrad. in prax. dispens. lib.* 7 *cap.* 5 *num.* 53 – ibi – « Haec vero causa « inaequalitatis et imparitatis adeo potissima est, ut Sum- « mus Pontifex eam admittat etiam ad Matrimonium ra- « tum, non tamen consummatum, dissolvendum; nam ex- « perientia docuit nonnunquam Summos Pontifices dispen- « sasse super huiusmodi Matrimonio, quando contrahentes » sunt notabiliter conditione impares, ob infelices exitus « qui possent evenire ex tali matrimonio. » Ita quoque tenuit *Rota coram Celso decis.* 371 *num.* 7, *decis.* 207 *n.* 9 *part.* 1, *et decis.* 19 *num.* 4. *et decis.* 59 *par.* 10 *recent.* Atqui eiusmodi inaequalitas tam aetatis, quam conditionis ex Actis Processualibus veluti sua sponte fluit: nam ait Episcopus (1): « Non altre attrattive, trattandosi di una « giovane che lo sposo avanzava di *ben dieci anni di età,* « *quasi deforme, stramba, se non al tutto scema di cer-* « *vello.* » Quoad conditionem autem Franciscus erat villicus pauper mercenarius, qui quotidie conveniebat de pecunia diurna, qua vivebat, ceu loquitur laudatus Episcopus (2): « Tale matrimonio non ebbe cause troppo lode- « voli, e tali da non farne ben presagire . . . Non es- « sersi potuto combinare un modo di convivere e coa- « bitare tra li Sposi. Il padre Arduini non li voleva seco, « la sposa non volea recarsi a Salea, dove a dir vero,

(1) *Epist. sup. cit.*
(2) *Ibi.*

« sarebbe stato imbarazzato lo Sposo, *poverissimo, ad al-* « *loggiarla.*» Frater Violantinae (1): « Il Pizzo fece questo « passo . . . tratto all'esca di un interesse, *che nella sua* « *povertà lo abbagliava.* . . » « Se io, disse la Violantina, « andavo a consumare un matrimonio, che atteso la di- « versità dell'indole, delle abitudini, *dell'età,* e *della con-* « *dizione* non potea durare quanto alla convenienza etc. » Bartholomaeus Abbo « Per motivo d'interesse spinto , « piegava a far questo matrimonio. » Ioseph Bigo, vulgo *Baccibecco:* « Egli non parea credersi in istato di fortuna « egualmente con lei, e quindi non si mostrava persuaso « di far questo matrimonio. » Violantina autem futura haeres erat sexdecim millia Libellarum, haud comprehensis bonis familiae.

39. Insuper affectione coeca et levitate quadam ducti , hoc inierunt Matrimonium. Mulier (ad 3 interr.): « Io « non avea forte inclinazione per lo stesso ». (Ad 4) « An- « zi mi son subito pentita di aver fatto questo passo *in-* « *considerato,* compatibile però in una giovane poco esper- « ta . . . e fatto da me con troppa *precipitazione.* »

40. Accedit mutuus eorum consensus dispensationem obtinendi ab hoc vinculo *rato tantummodo,* et est una causarum ad dispensandum, ut ait *Sanchez loc. cit. lib.* 2 *disput.* 16 *num.* 3 – ibi – Mutuus consensus (ad dispensationem « petendam) iuncto odio et discordia, absque remedio « et cum timore infelicis exitus. » Viro actori adstipulatur Mulier (ad 5 interr.): « Desidero che questo matrimo- « nio venga dall'Autorità Ecclesiastica competente sciolto « definitivamente. Lo desidero, come l'ho desiderato quasi « subito, per essermi accorta, che avea sposato un uomo, « il quale non era di mia condizione, nè avrei potuto col- « lo stesso menare una buona vita. »

41. Tertia demum est animorum aversio, quae ita ob disparitatem conditionis ita efferbuit inter coniuges , eorumque consanguineos, ita ut usque ad odium proripuerit. Nam ceu ait Episcopus (2): « La Violantina volubile . « scemarella ecc. ecc. . . . cambiò di volontà . . . non « volle più sapere del Pizzo , il quale da buon Cristiano « andò in America. » Et in altera (3): « Ne tornò dopo

(1) *Act. Proces. Documentum Primum.*
(2) *Epist.* 15 *Luglio* 1873.
(3) *Epist.* 15 *Marzo* 1878.

« quattro anni . . . non trovò via da rappattumarsi colla « moglie : l'avversione del Prete erasi aggiunta a quella « del Suocero : l' Arduini era addivenuta più stupida « ancora e stravagante . . . Non vi è speranza di otte- « nere una riconciliazione e la coabitazione di questi sgra- « ziati Coniugi. »

42. Mira consonantia iuridice confirmarunt Testes. Primus « Io credo moralmente impossibile . . . la unione « e convivenza de' due coniugi perchè di naturali e ten- « denze non atte a formare fra loro società coniugale. » Parentes Francisci: « Dopo la cognizione, che abbiamo del « carattere specialmente della nostra Nuora, siamo con- « vinti, che non è a sperare, ch'essa possa unirsi, a stare « unita come buona moglie a nostro figlio, perchè riusci- « rono inutili a piegarla tutti i tentativi fatti da noi, e « fatti fare anche da persone influentissime, compreso an- « che il Signor Sindaco. » Quartus; « Sono amico di Felice « Arduini . . . e come tale l'ho esortato io stesso in mo- « do affettuoso a tale un punto, che io credea piegarlo . . . « ed egli mi rispose, che nol volea in casa, nè ricono- « scere per suo genero. » Quintus: « È assolutamente im- « possibile . . . senza una grazia straordinaria, o mira- « colo di Dio. » Et ne Vos molestia afficiar, concorditer deposuerunt caeteri, nempe *esse moraliter impossibilem*. Attamen praestat audire Vincentium Launsol, qui est Vicesgerens Praetoris Mandamentalis: « Mihi renunciatum fuit, « se omnes (Vicarius Generalis, Syndacus, aliique) non « movisse lapidem ad coniuges huiusmodi non solum quoad « vinculum, sed quoad Thorum et habitationem coniun- « gendos, sed incassum semper ob difficultates et repu- « gnantiam utriusque, et praesertim sponsae, eiusque fa- « miliae . . . patet nullam hodie affulgere spem futurae « eorum unionis. »

43. Dissidia et inimicitiae, quae praesenti in controversia satis abundare videntur, iustam censeo praebere causam dispensationis, etiam inter personas vulgares. Ob quam causam Alexander VII dispensavit *Bourg de Irregul. part. 6 de Sponsal.* Et Eugenius IV ob solas inimicitias inter coniuges privatae conditionis exortas, antequam matrimonium consummarent, connubiale vinculum relaxavit. Innoc. X dispensationem concessit duobus infimae plebis Coniugibus, *Ursaya Discept. Eccles. tom. 2 part. 1,*

discept. 3 *num.* 28, *et tom.* 3 *part.* 2, *discept.* 21 *n.* 61, *et* 85, ubi refert ob hanc causam saepius indultam fuisse similem dispensationem, etiam inter personas vulgaris conditionis; ad Papam enim spectat occurrere scandalis, *Cap. Cum ex iniuncto* 2 *De novo oper. nunciat.*

44. Praesertim ait *Coscii loc. cit. cap.* 16 *n.* 256 Si nulla « spes (ceu in themate) effulgeat futurae reconciliationis, et « concordiae ac simultaneae cohabitationis voluntariae. » Et *Corrad. in prax. Dispensat. lib.* 8 *cap.* 7 *num.* 33. « Sicut enim duorum in unum consensus amicitiam, ita « dissensus discordias et inimicitias perpetuas parit. » Et num. 36 « ubi quod periculo scandalorum aliorumque « malorum Summ. Pontifex summopere studet occurrere, « cum propter hoc liceat A RIGORE IURIS RECEDERE, « ac valde intersit boni communis scandala vitari , et ideo « concludit, hanc esse iustam causam ad dispensandum. » *Rota decis.* 86 *post secundum votum consilior. Farinacc. num.* 8 – ibi – « Si autem probaretur, copulam non esse « sequutam, Causa dissolvendi Matrimonii, quae proponitur, « visa fuit iustissima, quia etiam probatur Causa evitan- « di scandala. » Ita quoque H. S. O. *in Neapolitana Matrimonii* 2 *Martii* 1861 §. *Sed praeter.*

45. Heu! tamen scandalum iam subortum est! prout ait Episcopus (1): « Un inconveniente deplorabilissimo viene « ad aggiungersi ai lamentati, ed è che lo sposo Pizzo , « dopo aver pazientemente sopportata la propria infelice « posizione *per ben dieci anni*, e fattoci replicatamente sen- « tire di aver bisogno di un adiutorio *simile sibi*, da due « anni circa cercosselo, congiungendosi *civilmente* ad altra « donna, e seco lei convivendo. »

46. Haud hic me latet dispositionem illam conciliarem – ibi – « *Non enim dignus est, qui Ecclesiae benigni- « tatem facile experiatur ; cuius salubria praecepta temere « contempsit.* » Sed parcendum potius censerem miserrimo lapso, qui potius per fragilitatem, quam per malitiam in profundum venit : quique tamen supplices manus extendit, implorans ab Ecclesiae benignitate erui e suo miserrimo statu, sicut (ibi) subiungit Episcopus: « senza però « lasciare di praticare (almeno esternamente) i doveri del « cristiano, e mostrandosi estremamente bramoso de' Sa-

(1) *Loc. cit. supra.*

« gramenti. Ripreso più volte del fallo e dello scandalo,
« rispose sempre, che vi fu tratto perchè disperava di ot-
« tenere dalla S. Sede il rimedio della dispensa implora-
« ta, tanto più, che per assoluta miseria, non potea far
« spesa di sorta.

« Nel desiderio di togliere questo scandalo da una
« piccola e ben regolata parrocchia, ho promesso al Pizzo
« tutto il mio interessamento per impetrare la dispensa,
« ed ottenni promessa di separazione dalla illegittima com-
« pagna.

« Ma la riuscita di tanto importante negozio fiducio-
« so attendo dalla bontà di Vostra Eminenza Rm̃a, che
« promuoverà, non ne dubito, tra breve il pronunciato di
« codesti Em̃i e Rm̃i Padri sul Processo indicato, che
« spero farà luogo alla concessione della implorata di-
« spensa. »

47. Infinitus fere essem, si velim in medium referre quotquot, praeter Episcopum, coniuges ac eorum consanguineos, sint, qui exoptent ac enixe implorent hanc dispensationem utilissimam ac necessariam ad eliminanda tot illa dicteria, scandala, murmurationes, odia aliaque huius generis, quae propter hoc male ominatum coniugium enata sunt. Attamen nonnullos breviter nominare placet. Bartholomaeus Abbo: « l'unico mezzo di provvedere alla coscienza « di ambidue, io credo sia quello di svincolarli da così « fatto matrimonio, fatto alla *bellameglio*. » Rñd. Barbera Archipresbyter Saleae (ad 3 interr.): « Ideoque Franciscum « Pizzo praesertim dignum existimo gratiae, indulgentiae- « que, quam expostulat a S. Sede, praesertim ad animae pro- « priae salutem. Ad quam obtinendam non solum operam, « *sed et preces quoque meas enixe adiungo*. » Aloisius Marchiano Canon. Eccl. Cathedralis: « Boni Curati officium « duco, *enixe quantum in me est Sanctam rogare Sedem pro « vinculi dissolutione*, ad animarum bonum consulendum « et conscientiarum tranquillitatem prospiciendam. » Aloisius Mantica Parochus Mulieris. « Hinc ad eorum sponsorum, « nec non familiarum ad quas pertinent, pacem et bonum « sive spirituale, sive temporale expedire duco, Sanctam Ro- « manam Sedem supplices exaudire, concedendo dispen- « sationem quoad vinculum in hoc infelici matrimonio. » Et ut brevitati consulam, omnes in hanc supplicationem veniunt.

48. Concludam tandem cum saepe saepius a me laudato *Coscii loc. cit. num.* 260: « Cui malo a Summo Pa-« store cum dispensatione proinde est obviandum, ne « Oves sibi concreditae, ab ipso pascendae, pereant; sed « eis sublata, quantum fieri potest, occasione peccandi, « vitam aeternam assequi mereantur, quemadmodum ad « evitandam animarum ruinam Summos Pontifices alias « ita non semel servasse, testatur in specie *Navarra in Ma-« nual. cap.* 22 *num.* 21 ».

49. Quibus omnibus mature perpensis, in hanc censeo venire sententiam, scilicet « *Consulendum SSño pro Dispensatione Matrimonii, in casu rati, et non consummati* ».

Ea tamen, quae animo meo dixi, sapientissimo Eminentiarum Vestrarum iudicio submitto. Interim Sacram Purpuram venerabundus deosculor.

Dabam ex Aedibus Parochialibus Sanctorum Fabiani et Sebastiani MM. die 5 Iulii 1878.

Humus Devmus Servus
Fr. SECUNDIANUS a Corneto
Ex Min. Obs. iam S. Theologiae Lector,
Parochus ac Consultor.

ANIMADVERSIONES

DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO

Eminentissimi et Reverendissimi Patres

1. Si mihi unquam occasio sese obtulit admirandi vigilantem huiusce S. Congregationis prudentiam, in controversiis praesertim matrimonialibus, hoc maxime fuit in hac causa, in qua dum mandatis Sac. Ordinis Albinganensis Curia Ecclesiastica impenso studio incubuisse videbatur, eam nihilominus diligentiam praetermiserat, quae ad elucidandam causam quam maxime contulisset. Vix enim,

Mense Augusto 1872 evolvente, a Francisco Pizzo praenominatae Dioecesis petitionem accepit S. Congregatio pro dispensatione matrimonii, quocum Violanti Arduini ille iunctus fuerat, confectionem processus de more demandavit praedefuncto Albinganensi Ordinario ad tramitem Benedictinae Constitutionis *Dei miseratione* atque Instructionis S. H. O. 1840. Examini quidem subditi sunt coniuges; quamplures etiam acciti, quamplures rogati fuerunt testes; qui tamen omnes de auditu atque eximia facilitate de inconsummatione carnali et de causis dispensationis deposuerunt perinde. Posthabiti veruntamen sunt illi, qui *de facto proprio* tutiorem reddere potuissent harumce rerum cognitionem; ita ut, si paulisper solertia S. Ordinis defecisset, causam prae manibus discutiendam haberemus, quae nullam in praesentia petitionis sub apparenti specie praeseferret difficultatem; dum e contra, effossa pariete, insignis atque ineluctabilis de consummatione matrimonii manifestatur praesumptio.

2. Concordi quippe choro, tamquam sub una magistri intonatione profitebantur illi testes, ne uno temporis momento solum cum sola sponsa sponsum fuisse commoratum; obtestabantur coniuges *ne digito* quidem, praeterquam in annuli traditione, se invicem tetigisse. Quid amplius supererat, quam caecis proponendum oculis ad dispensationem indulgendam progredi? Supererant tamen alii testes audiendi, quos nemo nominavit; ad quos nuspiam fuit animus inquirentium conversus; ex quibus caeteroquin alter erat germanus frater mulieris, et matrimonium conciliaverat; alter autem una cum eodem fratre nuptiali ritui adstiterat.

3. Hos provido consilio examini subiici S. Ordo mandavit, isthoc edito Rescripto die 2 Maii 1874. « *Expleantur acta processus, atque examini subiiciantur pater ac frater Violantis, necnon eiusdem familiares ac domestici, ac tandem, si fieri possit, Religiosus vir, qui adfuit celebrationi matrimonii, tamquam testis, idque notificetur Episcopo* ». Deerant veruntamen familiares, mater sponsae supremum, ceu videtur, obierat diem; pater autem senili imbecillitate laborans auditu impossibilis. Percontatus exinde primo frater; percontatus deinceps vir Religiosus; ex eoque deprehendimus, testimonium *de visu* testimoniis omnibus *de auditu* penitus refragari. Ipse enim Religiosus, ne-

dum sacro adstitit ritui, imo etiam nuptialis laetitiae particeps fuit, poculum vini et bellaria praelibavit; et domi sponsos, tuto dicam et aperte, SOLUM CUM SOLA, absente patre, absente fratre, post quamplures horas a matrimonio adinvenit.

4. Facta copia harumce depositionum in S. Ordine, quum nihil ultra esset in Albinganensi Curia inquirendum, sategit S. Congregatio eamdem Curiam commonere, causam esse expeditu maturam, hac de more die 31 Novembris 1874 elicita iniunctione « *Vocetur Agens* ». Obdormivit verumtamen Curia; obdormierunt Partes; obdormivit Agens perinde; unde ad praesens usque tempus protelata est causa. Nihilominus praeclarissimus Consultor Canonista, valde alioquin peritus, et de hac S. Congregatione in matrimonialibus praesertim causis optime meritus, erronee existimans, complementum actorum non ante a S. H. O. fuisse iniunctum, quam post novam informationem ab Ordinario redditam, quando nempe die 15 Martii superioris anni 1878 de civili, ut aiunt, connubio a Francisco cum alia muliere contracto, certiorem fecit S. Ordinem. *Quammaxime* exinde dolere profitetur optimus Consultor, quod idem Franciscus « post decennium a matrimonio in faciem Ecclesiae cum Violantina contracto, non valens pro sua florente aetate se continere, a desperatione abreptus, ut ait Episcopus, obtinendi a S. Sede imploratam dispensationem cum altera muliere se civiliter copulavit, quacum biennio vixit! » (*Vot. Canonistae* §. 7.)

5. Hoc, inquam, erronee existimavit Canonista ob insignem anachronismum, in quem sorte incidit, quod nimirum superius rescriptum diei 2 Maii 1874 « *expleantur acta processus* » elicitum reputaverit atque processum prope ex integro confectum percensuerit tum cum S. Congregatio sub die 1° Aprilis elapsi anni 1878 de mandato SANCTISSIMI decrevit, causam oeconomice proponendam esse in S. Ordine, cum votis Canonistae et Theologi, et Animadversionibus Defensoris Matrimonii ex officio, iniuncta interim Ordinario cautela, ut Orator Pizzo separetur a muliere, quam civiliter sibi copulare praesumpsit (*cit. Vot. Canonist.* §. 8, 9). Haec prae omnibus admonere opportunum duxi, **EMINENTISSIMI AC REVERENDISSIMI PATRES**, non ut incuriam Consultori succenseam

(maxima enim existimatione et observantia eumdem prosequi congaudeo), sed ut manifestum fiat, quod protelatio causae non alii quidem , quam Curiae et Partium desertioni tribuenda est. Nunc autem veniam ad intrinsecum causae meritum.

6. Disquisitionem vere praecipuam inconsummationis matrimonii, potissimum ac plene confici in hac causa peregregius Canonista existimat ex depositionibus nonnullorum testium, qui, non hoc inficiar, unanimi voce affirmant quod sponsi *nonnisi per momentum* moram traxissent *sub eodem tecto*, vel *in eodem cubiculo*. Theologus autem quaestionem ipsam, utut cardinalem, vix praelibat. Res est, ceu videtis, EMINENTISSIMI AC REVERENDISSIMI PATRES, maximi momenti, audienda idcirco est vel in primis thesis a Canonista propugnata. « Tota quaestio , in « qua nunc versamur, enucleanda est, atque *probanda per* « *testes*, et quidem fide dignos, qui deponunt, quod *con-* « *iuges*, contracto matrimonio, *nunquam una simul in eo-* « *dem loco convenerint*, aut saltem quod coram aliis per- « sonis semper permanserint , *iisque videntibus se sepa-* « *raverint*, nec umquam sub eodem tecto cohabitaverint; « seu etiamsi *in cubiculo* ingressi fuerint, apertis ianuis, « ibique *nonnisi per momentum moram traxerint* » (*Vot. Canonist.* §. 12).

7. Probe quidem animadvertit oculatissimus Consultor, utrumque coniugem persimili desiderio dissolutionem matrimonii obtinendi ad inconsummationem affirmandam adigi ; unde facillime *de condicto* depositionem etiam iuratam interponere potuissent de eadem inconsummatione, quae si forte probationibus concludentissimis esset destituta, insuperabile ad dispensationem consequendam offenderet in obstaculum. Hoc unum igitur diffugium praestare persensit ad inconsummationis fundamentum adstruendum, idest , ut ipse disserit « *tota quaestio enucleanda atque probanda per testes* », quod numquam sub eodem tecto cohabitaverint sponsi; seu etiamsi *in cubiculo* ingressi fuerint apertis ianuis, – ibi – « *nonnisi per momentum moram traxerint* ».

8. Nec alibi pro rei veritate converti poterant animi vires, ut carnalis inconsummationis evinceretur assumptus. Deficiente namque corporalis inspectionis adminiculo, *non statim coniugum assertioni* de non consummatione *plena fi-*

des est adhibenda, nisi aliunde quoque constet, quod post matrimonium ratum *numquam una simul convenerint;* haec est iurisprudentia, qua vivimus; haec diuturna et constans in persimilibus causis observantia, teste COSCIO *De separat. tor. lib.* 1 *cap.* 16 *num.* 63 – ibi – « si coniux, al-
« tero consentiente, super matrimonio *rato* Apostolicam
« postulet dispensationem, illudque non fuisse consumma-
« tum uterque fateatur, hoc probari poterit per obstetri-
« cum inspectionem, quatenus mulier suum corpus per
« easdem inspiciendum offerat, eoque inspecto, nullum
« recentis copulae signum appareat. At si mulier huic
« inspectioni sponte se non subiecerit, nec est visitanda,
« ne violata reperta, scandala subsequantur, NEC STA-
« TIM AMBORUM ASSERTIONI DE NON CONSUM-
« MATIONE PLENA FIDES EST ADHIBENDA (quia du-
« bitari potest, quod inter se de condicto contra matri-
« monium colludere velint), nisi aliunde quoque illorum
« assertio coadiuvetur EX PROBATIONIBUS NEMPE,
« QUOD POST MATRIMONIUM RATUM NUMQUAM UNA
« SIMUL CONVENERINT ».

9. Vix quidem opus est subiungere, quod probationibus huiusmodi non aliter hoc nostro in casu suppleri potest, quam fide dignis testimoniis id potissime comprobantibus, quod numquam sponsi una simul convenerunt, idest *numquam solus cum sola* commoravit. Hoc secumfert examussim quod praemonet Consultor quum dicat « *tota quaestio enucleanda est, atque probanda per testes.*Quin verumtamen probetur hoc ipsum per testes *idoneos*, qui nimirum de facto proprio deponant, contrarium omnino ex alio teste omni fide dignissimo adstruitur, dum per notabilem temporis effluxum SOLUM sponsum cum sponsa SOLA in huiusce domo permansisse evincitur. Est enim vir Religiosus Rñdus Fr. Iosephus Morteo ex Minoribus Observantibus S. Francisci Assisiensis, qui celebrationi interfuit maritalis connubii; quique invitatus, nuptialis iucunditatis etiam fuit comparticeps, et qui, ceu repeto, solum sponsum cum sola sponsa adinvenit domi.

10. De hoc quoque dignissimo suo Confratre meminit clarissimus Consultor Canonista; imo etiam ex eiusdem depositione firmius robur depositionibus aliorum testium superaddere existimat; quandoquidem speciali synthetica virtute praeditus, perfacili negotio tempus celebra-

tionis matrimonii cum degustatione poculi vini et bellariorum coniungens, differentiis temporum et locorum in citatione depositionis suppressis, eumdem Religiosum ita iudici obloquentem inducit, ut et celebrationi sacri ritus, et nuptiali refrigerationi uno, ac propemodum eodem momento adfuisse expressisset « post praedicti Matrimonii celebrationem (ita recitat Canonistae Votum) eodem die me invi-
« tatum fuisse a conteste fratre praedictae Violantinae ad
« poculum vini bibendum domi paternae una cum spon-
« sis. *Hanc domum illico petii* . . . haustoque vino . . .
« de circumstantia audivi a praedicto R. Nicolao fratre,
« sponsum illico reversurum Saleam, et commoraturum
« domi suae ad curandas necessitates familiae, neque pro
« interim cum sponsa matrimonium esse consummaturum »
(*Vot. Canonist.* §. 30).

11. Estne ita plana atque ita limpida depositio testis, ut sponsi a sacra Caeremonia ad refectionem nuptialem nonnisi semper et ubique concomitantibus testibus, nec pedem nec manum movisse videantur? Ast econtra ex eadem integra Religiosi depositione, per notabilem inquam temporis decursum solos sponsos, et nullis adstantibus testibus commoratos fuisse luculenter ostenditur. Restituamus prae primis integrum tenorem depositionis huius testis: « Interrogatus an cognoscat *sponsos simul ab Eccle-
« sia domum reversos?* Respondet - HAEC IGNORO; re-
« cordor tamen, post praedicti matrimonii celebrationem
« *eodem die me invitatum* fuisse a conteste fratre praedi-
« ctae Violantinae ad poculum vini bibendum domi pa-
« ternae una cum sponsis. *Hanc domum illico petii una
« cum invitante* R. Nicolao Arduini, UBI REPERI SPON-
« SOS, ABSENTE PATRE VIOLANTINAE; haustoque vi-
« no, aliisque bellariis de circumstantia audivi a praedicto
« R. Nicolao fratre etc. » (*in Actis*).

12. Constat itaque quod nuptialis recreatio locum habuit *eodem die,* quo celebratum fuit matrimonium. Numne tamen eadem hora? Nil minus; quandoquidem dum Religiosus invitantem et socium habuit Violantis fratrem ab Ecclesia ad habitationem istius, hoc profecto nonnisi quam *vespertinis horis* potuit contingere. Celebrato enim matrimonio, sponsa et eius frater INSIMUL, ac nullo alio socio adscito, propriam remearunt habitationem « *essa faceva compagnia al suo fratello Prete* -; sponsus quidem, *solus,*

et nullo comite eamdem domum alia via repetiit « *tornai in Albenga da solo* »; Religiosus autem in Coenobio permansit. Est porro Franciscus ipse Pizzo, qui haec deponit: « Interrogato – Se celebrato il matrimonio nella Chiesa, « abbia mai trattato come marito colla Violantina, e siasi « congiunto corporalmente colla medesima? – Risponde, « Appena celebrato il matrimonio uscii dalla Chiesa, da « dove separato affatto dalla medesima, e senza neppure « averla a braccetto *tornai in Albenga da solo, mentre* « ESSA FACEVA COMPAGNIA AL SUO FRATELLO PRE-« TE; sicchè eravamo affatto lontanissimi l'uno dall'altro; « e questo perchè nella famiglia Arduini avevano impegno, « che nè il pubblico, nè il padre venissero a cognizione « del celebrato matrimonio. *Tornati in casa,* come ho già « detto separati, il Prete fratello mi disse, che *stante l'as-« senza del padre* mi ritirassi a Salea, da dove potrei « tornare nella prossima Domenica per combinare il modo « di fare il contratto civile, mentre Egli nel frattempo « avrebbe ottenuto il consenso del padre ».

13. Ubinam, quaeso, est in comitatu sponsorum Fr. Iosephus Morteo testis? Nullibi quidem; nec enim ullatenus nominatur. Supervacaneum alioquin esset, sive a muliere id requiri, sive etiam ab eiusdem fratre; quippe quorum depositiones adeo obscurae, adeo incertae, imo etiam adeo contradictoriae sunt, ut si eaedem essent attendendae, vel paucis horae minutis « *pochi minuti* » insimul sponsos fuisse conversatos, vel illico et immediate post sacrum ritum unumquemque eorum ad propriam habitationem fuisse regressum « *quemque sponsum abiisse in domum suam* », quin amplius sese vidissent, esset diiudicandum. Illud primum asserit mulier « sono andata sola a San Bernardino « e sola tornata. Poscia il detto Pizzo è venuto in casa « mia, e *vi si trattenne pochi minuti,* quindi se ne è an-« dato pei fatti suoi, perchè non poteva portarmi in casa « sua in Salea ». Aliud autem atque omnino diversum a depositione sororis enarrat ipsius frater affirmans, « post « celebrationem *quemque sponsum abiisse in domum suam,* « *et* numquam exinde simul cohabitasse ». Ecquis ita patiens erit, ut contradictorias hasce depositiones valeat conciliare? Rem econtra apprime conficiunt sponsus Pizzo et testis Fr. Morteo; ex quibus obtestationibus hoc adamussim concludentissime eruitur, *ab uno* videlicet vel *al-*

tera hora ante meridiem usque *ad horas vespertinas* eiusdem diei celebrationis matrimonii, solum cum sola in eadem Arduini habitatione fuisse sponsos conversatos.

14. Celebratio namque matrimonii locum habuit *hora nona* ante meridiem, hoc quidem obtestante eodem Francisco. « Interrogato, se abbia celebrato matrimonio ecclesiastico « con la Violantina Arduini, risponde – L'ho celebrato nella « Chiesa di S. Bernardino il giorno quattro di Agosto « dell'anno 1866 con tutte le formalità richieste dalla « S. Chiesa *alle ore circa nove antimeridiane*, come meglio « consterà dall'atto del Parroco, che produco ». Unam ferme, aut alteram horam absumpsit sacra caeremonia; eaque absoluta, unusquisque propriam remeavit habitationem; sponsa nimirum cum fratre, sequente eosdem sponso, Albingannum; Religiosus autem ad suam cellam reversus. Sed hic testis, invitatus a fratre sponsae ad nuptialia bellaria degustanda, *una cum invitante*: domum eiusdem illico petiit « *hanc domum illico petii UNA CUM INVITANTE R. Nicolao Arduini* ». Quod si, prouti ex supra enarratis est certissimum, post sacrum ritum Sacerdos Arduini, non quidem cum Religioso, sed cum sorore Albingannum se reduxit, concludendum procul dubio est, quod insequentibus horis ipse coenobium repetiit ut Religiosum invitaret. Quanam, quaeso, hora? Praesumi certe non potest, quod, reducta domum sponsa, mox ipse ad Coenobium regressus fuerit, ut Fr. Iosephum invitaret; inter egressus enim et regressus iam meridies successisset, quando communi mensae accumbunt Religiosi. Igitur post meridiem Sacerdos Arduini domo egrediens ad invitandum Fr. Iosephum profectus est.

15. Arduino comite, « *una cum invitante* », sponsae domum abiit Religiosus « *hanc domum illico petii* ». Ecquos reperit? SOLUM *sponsum cum sponsa* reperit « *ubi reperi sponsos, absente patre Violantinae* ». Sciendum enim est, EMI PATRES, quod Arduinus pater, quaecumque sit causa, NUMQUAM domi detinetur « *non è* MAI *in casa* »; filia autem SEMPER ibidem SOLA demoratur « *si trova* SEMPRE *libera e* SOLA ». Testem invoco Sacerdotem ipsum eiusdem fratrem « non è meno vero, che io tenessi « separati gli sposi finchè fosse giunta l'ora, che il padre « acconsentisse; come tutti sanno, per cinque ore del « giorno sono a fare la scuola nel Ginnasio; MIO PADRE

« NON È MAI IN CASA; LA SORELLA VI SI TROVA « SEMPRE, E LIBERA, E SOLA. Non le aveva mica im- « pastoiate le gambe ? Se non si unirono nè carnal- « mente, nè moralmente, egli è perchè esisteva, nella « Violantina nessuna forza centripeta, e soverchiava la « centrifuga. »

16. Ast toto illo temporis effluxu, qui ab horis ante meridiem, in quibus celebratum fuit matrimonium, ad vespertinas horas intercessit, in quibus, Violantis fratre abscedente, ipsa mulier domi permansit cum sponso, constatne, quaeso, aut aliqua ratione demonstratur, non consummasse matrimonium? Nemo quippe de hoc tempore quidquam indigitat: nemo loquitur. Non quidem Sacerdos Nicolaus, quia absens, non secus ac pater, ipse fuerat dum Religiosum e Conventu ad propriam habitationem traduxit; non Religiosus testis, quia ipse solummodo de eo temporis momento loquitur, quo accedens Arduini domum, degustavit bellaria; non denique testes, quia omnibus occulta permansit domestica laetitia « *nella famiglia Arduini* (ita sponsus) *avevano impegno, che nè il pubblico, nè il padre venissero a cognizione del matrimonio* ».

17. Haudquaquam autem veraci depositione affirmat sponsae frater, quod in sorore « *esisteva nessuna forza centripeta, soverchiava la centrifuga* »; quandoquidem ex adverso sponsa vel ipsa apertissime confitetur, sincero, ac lubenti animo sese Francisco matrimonio coniunxisse. « Interrogata se abbia fatto volentieri, e di sua spontanea « volontà il predetto matrimonio, e quali precedenti ve « l'abbiano disposta? Risponde – SI L'HO FATTO VO- « LENTIERI, perchè precedentemente allo stesso la madre « di Francesco Pizzo ne trattò con me ». Frater autem ipsius id magis corroborat, dum obtestatur, quod eius soror coniunctionem coniugalem ac individuam vitae societatem cum Francisco instantissime sollicitaverit « vennero i ge- « nitori del Pizzo al padre della Violantina per doman- « darla, ma si ebbero sempre una risposta negativa; ven- « nero da me, ed io li rimandai al padre. Intanto por- « tarono la fede di stato libero, come già dissi; ONDE « IO, CHE NON VOLEVA CONTRADDIRE PIU' OLTRE « LA SORELLA, le dissi « *aetatem habes* » tal sia di te ».

18. Quid pluris! Quin haec vis centrifuga erga sponsum in mulieris animo consideret, ipsa e contra maritali

affectione ita in eumdem ferebatur, ut vix inito connubio apud ipsum institit, quo citius e domo paterna in suam habitationem perduceret; haec porro ex ipsius ore audivisse deponit Sacerdos Arduini germanus frater eiusdem « disse la Violantina... *Sarei andata col Pizzo; anzi* QUASI « SUBITO DOPO IL MATRIMONIO LO PREGAI A CON« DURMI A SALEA, SUO LUOGO NATIO; ma egli ri« spose, che in casa sua non c'era luogo per me; e che « abbisognava, che io stessi in casa di mio padre, come « eravamo d'accordo ».

19. Ex hisce omnibus hucusque enucleatis, extra omnis dubitationis aleam eruitur, quod per notabile diei spatium Violans Arduini post connubii celebrationem in propria habitatione, absente patre, absente fratre, conversata est cum eiusdem marito Francisco Pizzo. Quidnam egerint in primo illo incalescentis coniugalis ardoris momento atque importunis quibuscumque testibus remotis, haud difficile est coniicere, dum nec pater, nec frater sponsae ibidem aderant; familiares autem deficiebant omnino, prouti testatur decretum Albinganensis Vicarii Generalis diei 15 Septembris 1874 « NULLOSQUE, *ut publicum et notorium est, in domo praedicti Felicis Arduini esse* ***FAMILIARES****, qui subiici possint examini* ». Certissime enim in facto constat, quod nuptias cum Pizzo vivide mulier anhelaverat; adeo ut, obsistente patre, atque ut ipsamet profitetur, obsistente aliquando etiam fratre, matrimonium contraxerit. « *Interrogata se sia andata a celebrare il matrimonio d'accordo con suo padre e fratello? Risponde: Mio padre non ne sapeva nulla; mio fratello lo sapeva; e cercò di distormi* »; atque eiusdem frater quemadmodum supra enarravi « *onde io, che non voleva contraddire più oltre la sorella le dissi:* « *Aetatem habes* »; *tal sia di te* ». Ex ipsa quippe humanae fragilitatis natura praesumitur semper sponsum cum sola sponsa haudquaquam, ceu dicitur recitandis *pater noster* vacare; quamobrem non ex iuris tantummodo praeventione, sed ipsius ex naturae voce quaelibet etiam evanescit inconsummationis matrimonii praesumptio.

20. Praesumptio imo contraria, quod nimirum matrimonium fuerit consummatum, quam maxime ex eo corroboratur, quod incunctanter post celebrationem ipsam nuptiarum inter sponsos et moderatorem omnium harumce rerum Sacerdotem Nicolaum convenerat, ut per aliquod tempo-

ris spatium in suam patriam se sponsus reduceret, opportunam adhaesionem et consensum genitoris sponsae expectaturus. « Tornati in casa (ita Franciscus), il Prete fratello « mi disse, che stante l'assenza del padre mi ritirassi a Salea, da dove potrei tornare nella prossima Domenica per « combinare il modo di fare il contratto civile, mentre « egli nel frattempo avrebbe ottenuto il consenso del « padre ». Quis non concipit, perquam avide in praedam sese iuvenem coniecisse, quam post diuturnos labores paratam habebat, ne propitio temporis momento praeterlapso, ieiunus abiret, permaneretque diutius?

21. Potest quidem aliquando contrarium accidere; et ubi non incongrue hic dici possit, « *si parva licet componere magnis* », exemplum proferam viri Principis huius almae Urbis, qui, exordiente hoc saeculo, nuptiali ritu cum praenobili Virgine solemnissime celebrato, eodem ipso mane ab Imperatore Napoleone ad exercitum in aciem congressurum accitus fuit. Nuntium quippe accipit adolescens inter pronuba convivia; urget Principis imperium, nec ulla mora conceditur; sponsa exinde adhuc intacta, et convivantibus attonitis relictis, conscendit equum, illucque advolat, ubi Martis furor debacchatur. Concipine potest heroica huiusmodi abstinentia in villico, qui virginem duxit; atque in eo quod, non concitatum Principis imperium, non bellicus clangor eumdem intempestive separat a sponsa, sed ingratum consilium expectandi soceri consensum, interim tamen per diem prope integram *solus* cum *sola* sponsa *in solitaria habitatione* relinquitur?

22. Atqui econtra *ex solitudine* viri cum foemina *praesumitur copula;* ex commoditate loci et temporis *maxima* exsurgit *praesumptio commixtionis carnalis;* ita tradunt de unanimi sententia PANORMITANUS in *cap. Literis de praesumptionib. num. 4, vers. Unde puto, IMOLENSIS* in *cit. cap. num. 4, BUTRIUS* in *eod. cap.* 3 *loc. num. 4, Ang. DE UBALDIS iun. cons. matrim. divers.* 4 *num.* 33, *LAUDENSIS consil. matrim.* 17 *num.* 9 *vers. FERRETTUS consil.* 389 *num.* 10 *lib.* 2, *SPERELLIUS Decis. for. eccl.* 136 *num.* 25, *MENOCHIUS de praesumptionib. lib.* 6 *praes.* 89 – ibi – *Dubitari saepe solet, an virginitas praesumatur... Declaratur primo, haeç praesumptio, ut locum non habeat, quando extant coniecturae et signa corruptionis... Secunda est coniectura, QUANDO PUELLA IPSA*

FUIT cum amasio VEL MARITO IN LOCO SECRETO ET ABDITO. Hoc etiam casu PRAESUMITUR DEFLORATA. De amasio enim cecinit poeta ille « A iuvene, et cupido num creditur reddita virgo? » *Et maritum pariter corrupisse uxorem coniecturam faciunt Doctores in cap. Continebatur De desponsat. impuber. et glossa in cap. Dixit dominus caus.* 32 *qu.* 1. Disertius autem et perspicue *ROTA ROMANA dec.* 3 *num.* 13 *De sponsalib. coram Falconieri, et decis.* 95 *num.* 8 *part.* 2 *diversor.* – ibi – « EX « SOLITUDINE MARIS ET FOEMINAE COPULA CARNA- « LIS licet non plene probatur, tamen PRAESUMITUR. « Docet Imolensis in cap. 3 De praesumpt., huic prae- « sumptioni standum esse, donec contrarium non probetur; « inquit enim, *ex solitudine maris et foeminae copulam prae-* « *sumi,* licet necessario non probetur, cum veritas possit « esse in contrarium; sed in dubio praesumi, donec con- « trarium non probetur. EX COMMODITATE AUTEM HO- « RAE INTER SPONSUM ET SPONSAM MAXIMAM ORIRI « PRAESUMPTIONEM CARNALIS COGNITIONIS, docet « Abbas in dict. cap. 3; unde cum copula carnalis non « possit vere directo et concludenter probari, huic propterea « admittitur eius probatio per violentam praesumptionem, « sicut in filiatione; imo sufficit probari per coniecturas et « indicia. *Quin etiam debent sufficere probabilia argumenta,* « *cum non quaerantur testes, nec lux, sed tenebrae ad hoc* « *aptae* ».

23. Atqui, subiungam, est omnibus exploratum iuris principium, quod ex cohabitatione coniugum non minus *vehemens* exoritur *iuris praesumptio,* matrimonium fuisse consummatum. Testem invoco hunc S. ORDINEM in causa *Angren. Matrimonii* 6 *Februarii* 1847. Duplex enim in hac causa fuit quaestio exagitata: tum nempe invaliditatis matrimonii, tum quoque dispensationis eiusdem ex defectu consummationis. Refutata nullitatis querela, atque ex intuitu cohabitationis coniugum, praesumptione consummationis praevalente, dispensationem S. Ordo denegavit. Praestat speciem recitare ex Synopsi pro generalibus Comitiis diei 6 Februarii 1847 distributa, §. *Post haec* – ibi – « constat « coniuges diu insimul cohabitasse, ac nimis sero dispen- « sationem petiisse. Hisce intercedentibus circumstantiis, « EX COHABITATIONE PRAESERTIM VEHEMENTISSI- « MAM PRAESUMPTIONEM IURIS ET DE IURE EXO-

« RIRI MATRIMONIUM FUISSE CONSUMMATUM, do-« cuit S. H. O. etc. Quin haec enervari valeant vel iu-« ramento coniugum, qui numquam consummasse matri-« monium aiunt, vel testium fide hac super re deponen-« tium; praeterquamquod illud collusionis suspicione non « caret, cum inito veluti foedere instant pro dispensatione « iidem coniuges, qui in primo et altero iudicii gradu « dissidebant, *maxime cum deficiat probatio physicae vir-« ginitatis mulieris*, necnon fides septimae manus (pro qua « tamen suppeterant alii testes). Neque hic acquiescere fas « esset matrum depositioni, utpote quae conspirando disso-« lutioni matrimonii, quod initio ipsae conciliaverant, nimis « suspectae habendae sunt. Testes vero eo minus audiendi, « quia vel ex auditu, vel ex opinione, vel ex fama, non « esse consummatum matrimonium deponunt ». Hisce expensis rationibus, ac duplici DUBIO tunc proposito, « I. *An constet de nullitate matrimonii in casu* »; Et quatenus negative. « II. *An sit consulendum SSmo pro dispen-« satione in casu* » iure ac merito utramque petitionem S. ORDO propulsavit respondens « *Ad I. negative. Ad II. Ex deductis NON CONSTARE DE NON CONSUMMATIONE MATRIMONII* ».

24. Praesumptionibus istiusmodi vehementissimis urgentibus, haud alio aedepol fundamento inconsummationis assertae probatio et certitudo adstrui posset, quam corporali mulieris inspectione ad formam Instructionis S. Ordinis 22 Augusti 1840. Hanc vel imprimis adhibendam esse probationem quando uterque coniux promovendae dispensationi conspirat, egregie admonet Coscius, ceu desuper vidimus, *De separat. tor. lib.* 1 *cap.* 16 *num.* 63. « Si coniux, altero consentiente, super matrimonio rato « postulet dispensationem, illudque non fuisse consumma-« tum uterque fateatur, HOC PROBARI POTERIT PER « OBSTETRICUM INSPECTIONEM, quatenus mulier suum « corpus per easdem inspiciendum offerat, eoque inspe-« cto, nullum recentis copulae signum appareat ». Haec examussim mens fuit S. Ordinis, dum Albinganensi Antistiti confectionem processus demandavit, inserta insimul, prouti habet Rescriptum diei 12 Augusti 1872 « *Instructione S. Congregationis* », in qua regula et norma in eiusmodi inspectionibus perficiendis praestituitur. Verum de hac inspectione nec agi, nec cogitari quidem valuit, quum

vix « *post varias superatas difficultates praesertim ab indole Violantinae derivantes* » obtineri potuit, ut haec mulier ab Albinganensi Vicario Generali inquirente, atque ab officioso Vindice matrimonii in sua habitatione subiiceretur examini.

25. Video quidem in defectu corporalis inspectionis mulieris copiosam proferri phalangem testium affirmantium numquam sese carnaliter commiscuisse hosce sponsos. Ast qua, quaeso, de causa, quanam cognitione id affirmant? Ex hoc uno profecto adminiculo, inani quidem ac labili, quod *numquam* coniuges sub eodem tecto sive viri, sive mulieris *cohabitaverint*. Hoc enim deponit vel in primis Iacobus Durante, inquiens « *i coniugi non coabitarono mai insieme* »; hoc refert Bartholomaeus Abba « *il Pizzo, celebrato il matrimonio, non potè mai coabitare colla moglie* »; hoc affirmat Angela Balbis « *il Padre della Violantina non ha mai voluto consentire, che la figlia abitasse col Pizzo in casa propria, ed essa non essendosi mai mossa dalla casa paterna . . . son convinto, che questi due sposi non hanno mai consumato il loro matrimonio* »; hoc repetit Nicolaus Lanusol referens « *sponsos, contracto vinculo, numquam simul cohabitasse* ». Hoc denique recitant alii, quos brevitatis causa praetereo, quum nec ipse Canonista plus valere eorumdem depositiones reputaverit. Quam tamen fallax sit illatio a defectu cohabitationis ad inconsummationem, post ea quae desuper exposui de spatio *integrae diei*, in qua simul conversati sunt sponsi, unusquisque suo sensu perfacile concipit, quum virgo aetate florens, et coniugali fervens amore non sit turris quae solummodo ballistis et catapultis expugnatur, sed fragilis arundo, quae ibi protinus inflectitur, ubi amoris halitus exspirat.

26. Nec tamen inficior, ex deductis testibus alterum idest Archipresbyterum Barbera enarrare, « *a me interrogatus* (Pizzo), *hanc ab illo obtinui responsionem; Violantinae pater, nostri matrimonii ignarus, mihi impedivit, quominus condormitionem cum mea uxore haberem, quam nec habui ipsa matrimonii die* »; alterum autem, nempe Franciscum Gianeri asserere « *è voce pubblica, che egli non abbia mai colla moglie consumato il matrimonio; ed egli stesso più volte l'ebbe detto a me confidenzialmente e da amico* ». Quoad primum quidem facilis est responsio. *Condormitio* enim de qua loquitur Archipresbyter Barbera, non secus intelli-

genda est ac ipsa vox sonat, prouti in casu expressa est a Francisco de cohabitatione sub eodem tecto cum sponsa. Toto exinde coelo distat a consummatione matrimonii, quae perbrevi tempore confici potest, quin cohabitatio interveniat. Nemo ambigit, quod Franciscus ne una quidem noctis hora condormivit cum uxore; quid inde? Numne praepedita est consummatio, dum per totam propemodum diem solus cum sola sponsa domi istius permansit? Redit huc facilis ac obvia solutio, quod si non potuit in nocte, valuit tamen per diem; atque hic libenter convenio cum peritissimo Canonista, « *omnia cum tempore, et sine tempore nihil* ». Sed tempus adfuit ex integro die; igitur nihil obstitit, quominus matrimonium consummaretur.

27. Respondeam autem ad alterum testem; quonam, quaeso, modo conciliari potest haec praesumpta explicita confessio Francisci de inconsummatione uni Ianerio testi pandita cum silentio aliorum omnium testium, ac praesertim parentum ac fratris Francisci ipsius, necnon intermediarii Iosephi Rigo, vulgo dicto Baccibecco, qui nuptias conciliaverat, et cui intima sui cordis patefecerat sponsus? Isti namque concordi voce obtestantur, haud ipsum cohabitare potuisse cum sponsa; quidam autem etiam adiicit, nec cum eadem condormire valuisse; sed de inconsummatione matrimonii, affirmant quidem, eamdem vel ex publica voce, vel ex earumdem opinione obtestari; ast ab ore ipsius Francisci, ne longissime aedepol id innuunt retulisse. Parentes, inquam, et frater iudicio obtestati sunt; iurisiurandi religio est ab ipsis interposita; et nihilominus dum concordi voce profitentur matrimonium vel ex publica fama, vel ex eorum existimatione inconsummatum censere, nemo tamen ex ipsis quidpiam refert a Francisco audivisse, quod praetensam inconsummationem induceret.

28. Liquet ex hoc manifestissime, quod uterque testis est in suo dicto *singularis*, quum nedum ab aliis, sed unus ab alio in eo quod respective deponunt, longissime discrepet. Nihil idcirco ad rem ipsi conferunt, nihil adiiciunt, nihil probant. Scitum est enim in iure, SINGULARES testes NULLAM in iudicio FACERE ac promereri sibi fidem, nihilque probare; ita de constanti iurisprudentia tradit ROTA ROMANA *Decis.* 684 *num.* 19 *coram Molines* – ibi – « Unus-

« quisque ex iis testibus est SINGULARIS in dicto; ideo-
« que regulariter NON PROBAT iuxta theoricam Jaso-
« nis »; atque ita in *Decis.* 114 *n.* 18 *coram Ansaldo* – ibi –
« Alter enim testis profitebatur incidisse in Euphrasiam
« prope Civitatem Tiburis, eamque ad Urbem usque as-
« sociasse; alter vero dumtaxat illam inspexisse in Urbe,
« seorsim tamen ab alio teste; proindeque cum ultra cae-
« teros, ut supra, iuridicos defectus, ESSENT SOLI IN
« DICTO, SEU SINGULARES, FIDEM NEQUAQUAM SIBI
« POTERANT PROMERERI, ex his, quae passim consar-
« cinari solent. »

29. Testimoniis itaque omnibus in causa deductis ita exploratis et expensis, hoc unum firmum atque irrefutabile in facto consistit, quod utcumque Franciscus Pizzo prohibitus post matrimonium fuisset cum coniuge cohabitare, nihilominus a nonnullis horis ante meridiem usque ad horas vespertinas diei in qua nuptias celebravit, solus permansit cum sponsa in huiusce habitatione. Praeterquamquod vehemens exinde oritur praesumptio, et quidem iuris, quod in eo temporis intervallo et in ea commoditate etiam loci matrimonium consummaverit, id praeterea superaccedit, quod, hisce rerum adiunctis suppeditantibus, *possibilitas* consummationis ipsius evitari nullatenus potest. Hac at vero constante possibilitate, iam quaestio de dispensatione matrimonii ex explorata iuris dispositione per se ipsam resolvitur, quum tralatitium sit, quod EX SOLA POSSIBILITATE consummationis carnalis copula intercessisse existimetur, ac proinde deneganda est dispensatio; S. ORDO in *Chien. Matrimonii* 15 *Decembris* 1792 §. 5 *Apud Zamboni tom.* 7 *Verb. Matrimonium* §. 19 – ibi – « *In quolibet enim dubio matrimonium consummatum censetur EX SOLA CONSUMMATIONIS POSSIBILITATE . . . Ob huiusmodi autem possibilitatem DENEGATUR DISPENSATIO super matrimonio rato et non consummato »;* atque ita etiam in *Spoletana Matrimonii* 20 *Decembris* 1873 §. *Hoc absoluto* = ibi – « *SOLA CONSUMMATIONIS POSSIBILITAS SATIS EST AD DISPENSATIONEM RECUSANDAM* »,

30. Quidquid igitur sit de causis pro expetita dispensatione allatis; sive quod mulier cum marito renuat habitare, sive quod vigore mentis defecerit; sive quod maritus sub civili lege alias nuptias contrahere praesumpserit; aliis autem causis, tum disparitatis conditionis, tum

differentiae aetatis, utpote non canonicis, posthabitis, nullatenus agi de dispensatione ex iisdem, utut forent validissimae, potest. Cum primum namque ac necessarium fundamentum deficiat *certitudinis* inconsummationis, nec de dissolutione coniugalis vinculi quaeri debet, nec dispensationi fieri debet locus, quippe quae magis rigorosas uberioresque exigit probationes, obtestante H. S. O. in *Camerinen. Nullitatis Matrimonii* 14 *Martii* 1856 §. *Quantum* – ibi –
« numquam fieri posse dispensationi locum, *nisi manifesto*
« *et infallibiliter constet de Matrimonio agi non consummato*...
« Et quamvis dispensatio sit gratia, tamen non habet locum,
« NISI CUM CERTITUDO ADEST *matrimonii tantum rati*
« *et non consummati*, ut adeo causa haec de dispensatio-
« ne sit magis rigorosa, uberioresque exigat probationes,
« quam illa de nullitate, S. Congregatio in *Mediolanen. Ma-*
« *trimonii diei* 8 *Martii* 1732 ».

Quare etc.

FLAVIANUS SIMONESCHI Adv.

Defensor Matrimonii ex officio.

Sess. 21 cap. 4 de Reform.

IANUEN. DISMEMBRATIONIS. = Ianua, quae nobilissima est in Liguria civitas, propter nimium incolarum incrementum, ita ad aquilonem longe lateque amplificata est, ut ex novis viis novarumque extructione domorum nova civitas antiquae addita videatur. Amplum hoc territorium olim ferme desertum sub paroecia S. Mariae de Consolatione, quae ab Augustinianorum familia regitur, constitutum manet. Quare ut gregis sibi concrediti saluti consuleret Remus Ianuensis Praesul supplicem die 24 Martii lapsi iam anni S.V.O. libellum porrexit; ut, attenta populi frequentia, templorum Valdensium propinquitate necnon difficultate, qua novas domos incolentes premebantur, accedendi ad parochialem Ecclesiam propter distantiam, sibi facultas fieret antiquam dismembrandi paroeciam, novamque erigendi in Ecclesia Virgini Immaculatae dicata, quae ad latus Viae *Assarotti* recentius fuit aere collato a fundamentis erecta.

Ad removendas autem difficultates, quae propositae dismembrationi obsistere valerent, Archiepiscopus consensum exquisivit Commissionis Administratricis Ecclesiae in novam paroeciam erigendae, quae ultro assentita est « di « destinare a perpetuità detta Chiesa dell'Immacolata in « via Assarotti con tutte le sue parti accessorii e arredi « sacri . . . all'oggetto di parrocchia da erigersi giusta « le norme dei Sacri Canoni . . . ed egualmente in per- « petuo la casa annessa ad uso e comodo del Parroco.... » Imo ut novi parochi congruae alimoniae provideretur, Remus Praesul, aere proprio, annuum reditum libellarum quingentarum constituit detrahendum ex fundo vulgo *rendita pubblica della Città di Genova*. Votum deinde Metropolitani Capituli exquisivit, quod favorabile fuit. Deerat tantum Procuratoris Augustinianorum familiae consensus, qui de hoc requisitus, illico pro ipso absente P. Lanteri coram S. O. protestationem emisit pluribus ex capitibus necessitatem dismembrationis impugnans, dum eadem non leve detrimentum Religiosis afferret, qui sedulo animarum curae incumbunt, quique non levia emolumenta amitterent per distractionem nobilioris ac ditioris partis paroeciae. Adnotabat insuper quod emolumentorum intuitu universa plaudente civitate Ecclesiae Consolationis restauratio incepta fuit, pro qua iam centum libellarum millia Parochus expendit, e qui-

bus viginti adhuc millia solvere debet, dum nondum completum restaurationis opus expostulat alia sexaginta libellarum millia. Quapropter instabat, ne dismembratio concederetur, vel saltem ipsis Augustinianis novae paroeciae cura demandaretur.

Stante igitur ex parte Augustinianorum contradictione, causam hanc in folio inscribi mandavi, atque completis de more actis eamdem hodiernis in comitiis disceptandam proposui sub dubiis in calce huius libelli relatis, quae de communi consensu ab adlectis utrinque patronis concinnata fuerunt, qui allegationes seorsim distribuendas mihi exhibuerunt. Antequam autem progrediar ad earumdem summam exponendam animadvertendum est, quod ex graphica civitatis descriptione, seorsim ab Archiepiscopi patrono distribuenda, duobus distincta circulis fulvco et rubro facile percipient EE. VV, quatenus dismembrationem decernant, quinam essent utriusque paroeciae limites assignandi, cum Fulvus dismembrandae Ecclesiae ditionem perhibeat, Ruber vero erigendae.

Primum aggrediens dubium Episcopi defensor necessitatem dismembrationis parochialis S. Mariae de Consolatione conficere studet ex nimis aucto parochianorum numero, qui, cum sex supra viginti millia animas comprehendat, in tanta ditionis amplitudine per unum pastorem absque animarum curae discrimine regi nequit. Quod omnes in Liguria praeter adversarios noscere tenet, relata auctoritate Episcopi Albinganensis et Ventimiliensis, Ianuensis Municipii et Metropolitanae Ecclesiae Capituli: quibus addendi sunt proceres in populo querentes: « È impossibile « che ad essi basti la parrocchia della Consolazione a mo« tivo della distanza e della eccentricità della Chiesa par« rocchiale e della quantità della popolazione. Quì ci tro« viamo senza istruzione, senza catechismi e con gran dif« ficoltà per l'amministrazione dei Sacramenti e l'assisten« za agl'infermi. » Cum igitur populi celebritas tanta sit, ut ab uno tantum pastore nequeat gubernari, per dismembrationem paroeciae providendum esse concludit. Praesertim quia nihil deest erigendae paroeciae, nihilque deperit antiquae. Nihil deest erigendae paroeciae, siquidem Ecclesia Deiparae Immaculatae sacra, iam aere collato ad hoc extructa fuit, ut ad saecularem curam inserviat, et congrua dote ab Archiepiscopo ad eumdem finem ditata;

nihil deperit antiquae ex iis quae ad nobilissimam paroeciam requiruntur, quia teste Capitulo « anche nel « territorio che le rimane, ebbe tale aumento di abitazio- « ni e di abitatori che la renderanno . . . . una delle « parrocchie primarie della città »: ita ut, peracta dismembratione, adhuc remaneant sub eiusdem iurisdictione duodecim millia capitum, quae satis superque sunt ad retinendam nobilitatem paroeciae, quae anno 1856 nonnisi quam undecim millia complectebatur. Quamobrem ex statuta dismembratione, Paroecia solum indebiti augmenti partem amitteret, et Regularibus tantum superesset quantum antea possidebant.

Quin oggeri valeat Parochianorum necessitatibus subveniri posse per unius, vel plurium vicariorum ministerium, qui etiam in nova Ecclesia Deiparae Immaculatae possent inservire. Respondet enim Orator hoc moderamen nonnisi raro, prudenter ac non sine delectu admitti debere, ad tradita per *Van Espen Ius Eccl. univers. part.* 2 *sect.* 2 *tit.* 1 *cap.* 3 *num.* 30, *Ursayam Discept. Eccl. tom.* 1 *p.* 1 *Disc.* 14 *num.* 93 – ibi – « Est procedendum discrete et « distinguendo inter remedium quod habetur ex conces- « sione proprii pastoris, et illud quod habetur ex depu- « tatione capellani, per quem certum est quod consultum « non remanet eo modo quo consultum esset per depu- « tationem parochi, tam ratione personae, quae semper « habebitur dignior in parocho, quam ratione dignitatis « et proventuum ipsius officii, in quo parochus utpote « suae Ecclesiae sponsus, et suarum ovium pastor maiori « studio et charitate curat parochianorum salutem, quod « non facit simplex mercenarius qualis in proposito dicen- « dus est capellanus seu vicarius ex deductis per *Card.* « *De Luca de decim. disc.* 12 *num.* 12 et firmatis per « *Rota in decis.* 78 *num.* 52 *coram Ansaldo.* »

Praeterea, subdit, licet plures pontificii iuris interpretes sentiant et S. C. interdum censuerit solam aucti populi rationem ad divisionem non sufficere, attamen experientia docet aliter persaepe fuisse iudicatum, unde casus a casu distinguendus est, et certe ubi augmentum minimum fiat, aequum erit succurrere per Vicarii deputationem, ubi vero maximum, et veluti in themate duplo maius, contrarium tenendum. Eadem siquidem ratio, quae pro decem millibus proprium rectorem constitui iussit, urget alium rectorem proprium pro

aliis decem millibus praefici. Qua in re testem invocat Pium VI fel. recor., qui exeunte saeculo superiore, cum lata esset in Gallia lex, quam nuncupant « *Constituzione Civile del Clero,* » atque haec in art. 15 definiret unam paroeciam in singula sex hominum millia sufficere, graviter de hoc questus est laudatus Pontifex in literis Apostolicis *Quod aliquantum* diei 10 Martii 1791, eo quia nullo modo *unus parochus sufficere tanto curando populo poterit*. Quo in loco animadvertit *Bouix de Paroc. par.* 2 *cap.* 4 *propos.* 2 – ibi – « Nec dicatur questum esse lau-
« datum Pontificem quod solus absque Vicariis parochus
« sex millia parochianorum curare deberet: neque enim
« constitutionis civilis decretum vicarios excludebat. Imo
« ipsammet sex millium animarum in unica paroecia coa-
« cervationem reprehendebat, prout totus contextus aper-
« te indicat. » Cui Pii VI testimonio addendum censet Orator exemplum Leonis XII, qui sola populi amplitudine motus, per Constitutionem *Super universam,* novam paroeciarum circumscriptionem in Urbe decrevit. Si igitur, concludit, Leo XII novam paroeciarum circumscriptionem in urbe decrevit sola populi amplitudine motus; si Pius VI in sex capitum millibus reiiciendum putavit vicariorum praesidium, potiori ratione id dicendum tenet in causa, in qua adversarii septemdecim millia capitum circiter diffiteri nequeunt, sed realiter sunt millia sex supra viginti, prouti civilis edocet census anni 1876.

Ulterius innixus Tridentino in *cap.* 4 *sess.* 21 *de reform.* tradit Orator, quod in dicto capite Sacrosancta Synodus duos tantum casus proponit, et ubi populus ita numerosus est, ut unus rector sufficere non possit, mandat Episcopis alios Sacerdotes pro necessitate adiungi:.ubi vero locorum distantia, aut difficultas intercedit, novas iubet erigi parochias etiam invitis rectoribus. Atqui ex geometrae relatione, et ex graphica civitatis descriptione accurate insculpta, et seorsim distribuenda patere ait, quod « dal
« centro della piazza Manin seguitando la via più corta,
« si misura la distanza di metri 1440. Dall'angolo B. del
« bastione interposto alle porte di S. Bernardino e S. Bar-
« tolomeo percorrendo la via più corta metri 1824. Dalla
« Chiesa ed abitato di S. Maria della Sanità percorrendo la
« via più corta metri 1380 » quod idem esse subdit, si incolae degentes in transtiberina regione parochum invenire debe-

rent in capitolina vel in Exquiliis. Cum igitur tanta adsit in themate distantia, ut novae paroeciae erectionem suadeat, ad ipsam deveniendum esse colligit non autem ad Capellani deputationem, prouti unanimiter docent Canonistae praesertim *Gagliardi Instit. can. lib.* 1 *tit.* 30; *Constant. vot. decis.* 343 *num.* 17; *Ursaya loc. cit. num.* 95 *seqq.*

Neque captandum esse praesidium pergit ex eo quod aliae sunt Ecclesiae infra paroeciae fines, in quibus, urgente necessitate, et Sacramenta infirmis ministrantur et Evangelium explicatur, et Cathechesis traditur, proindeque dismembrationem denegandam esse, cum alii operarii iis in locis parochi suppleant defectum. Siquidem 1. monet in iure, hos Sacerdotes voluntarium praestare ministerium et minime necessarium, valere proinde ab incepto desistere; 2. plura a parocho peragenda esse, quae ab aliis haud peraguntur, aut peragi possunt, quemadmodum est sacramentorum administratio, quae praeter parochum ministrare nemo potest; item dic de assistentia matrimonii, de paroeciae regimine, de fide ac pietate promovendis, de monitionibus et consiliis, aliisque omnibus, in quibus, tum auctoritas, tum agendi libertas, tum aculeus rationis reddendae in parocho requiritur; nec aliunde 3. parochus a suo fungendo munere excusatur si alii adsint Sacerdotes, qui et Sacramenta ministrant et religionis documenta tradunt.

In facto autem subdit Ecclesiam S. Bartholomaei, cui Barnabitae patres inserviunt, ad municipium pertinere, quod ibi valetudinarium coecorum constituit, proinde ipsa nil aliud praestare solet ac potest, quod dicto convenit instituto. In Ecclesia Cappulatorum, teste custode, nunquam explicatum fuit Evangelium, numquam tradita pueris cathechesis, numquam « *dopo la presa di possesso dell'attuale Revmo Parroco si amministrarono i SSmi Sacramenti del Viatico e dell'estrema unzione.* » In alia Ecclesia S. Bernardini extat Xenodochium pro Regularibus aegrotantibus, ubi adsunt « *sì padri che laici, alcuni sono a letto, altri infermicci, taluni impotenti.* » In iis igitur Ecclesiis cura animarum neque exercetur, neque exerceri posse pergit Orator propter deficientiam amplitudinis, et aliorum quae ad hoc requiruntur. Unica tandem Ecclesia Immaculatae dicata, quae ad subsidiarium ministerium sufficeret, numquam in subsidiariam valet converti obsistentibus ipsis proprietariis, qui libenter una cum sacra supellectili et domo

adnexa propterea tradunt « *all'oggetto di parrocchia da erigersi giusta le norme dei sacri Canoni.* » Cum igitur colligit, stet in facto curam minime in dictis Ecclesiis exerceri, neque easmet posse in subsidiarias converti, prono veluti alveo fluit obiectam difficultatem in tenues auras abire.

Quidquid autem sit de populi ac distantiae ratione, quodcumque aliarum ecclesiarum subsidium; prosequitur Orator, quoties magnum incommodum impendeat, et exinde difficultas sacramenta percipiendi iusta subest causa novam paroeciam erigendi, uti unanimi choro docent *Fagnan. in cap. Ad Audientiam de Eccles. aed. num.* 19, *Pax Iordan. Elucubrat. can. lib.* 10 *tit.* 31 *num.* 5, *Pignatel. consult.* 230 *tom.* 4 *num.* 9, *Ursaya loc. cit. num.* 72, *Rota decis.* 39 *n.* 45 *coram Peutinger.* Sed in facto est quod propter viae laborem fideles nequeunt paroeciam frequentare: « *Attesa la distanza grande non frequentano la parrocchia* » ita moderatrix *dell'Istituto Durazzo,* et Episcopus Albinganensis eamdem propter rationem fidem facit, quod *torna difficilissimo frequentare la parrocchia.* Hinc et proceres queruntur *ci troviamo senza istruzione senza catechismi,* et evenit in dies, ut acatholicorum numerus excrescat, ceu plures testantur et cives clamant *i protestanti . . . si prendono i nostri fanciulli, che si trovano privi di religiosa coltura.* Imo accidit aliquando, ut eadem distantiae ratione et alibi absque lustrali aqua baptismatis sacramentum collatum, et plures religionis praesidiis destituti obierint, uti testantur Ecclesiae custos, Stephanus Parodi, Canonicus Rizza et Canonicus Grassi. Adstante igitur magno incommodo ac difficultate Sacramenta percipiendi indubie ad dismembrationem deveniendum esse iuxta SS. Canonum disciplinam concludit Orator.

Ad secundum dubium gradum faciens Augustinensium preces reiiciendas esse tenet defensio. Cum enim Sacri Canones saecularibus presbyteris paroecias committi iubeant, nonnisi quam urgente necessitate et praevia pontificia dispensatione paroeciae regimen Regularibus est committendum, ceu post Constitutionem Gregorii XIII de anno 1581 tradunt *Thomassin. vet. et nov. Eccles. discipl. par.* 1 *lib.* 3 *cap.* 22 *num.* 9, *Barbos. collect. Doct. lib.* 3 *tit.* 35 *num.* 3, *Pellizar. in Manual. Regular. tract.* 8 *cap.* 4 *sect.* 4 *num.* 104, *Rota decis.* 676 *num.* 23 *seq. coram Mo-*

lines, decis. 18 *num.* 1 *seq. coram Riminaldo.* Ad hoc autem ut dispensatio concedatur, duo requiruntur, quae in causa deficiunt, primo Episcopi suffragium, secundo quod desint presbyteri saeculares, vel saltem saecularis clerus beneficiis abundet, teste *Fagnano* in *Cap. Quod Dei timorem De Statu Monach. num.* 17 *seq.* Et optimo quidem iure, Regulares enim cum habeant, unde possint vivere ex reditibus monasterii, *non debent proinde aliunde provideri in detrimentum Clericorum, qui praecise ex beneficiorum proventibus debent consulere sibi et ecclesiis ac populis sibi commissis:* ita *Petra ad Constit.* 1 *Anast. IV sect.* 1 *num.* 13.

Nec subdere fas est rerum conditionem ob calamitosam Regularium ordinum eversionem esse immutatam. Nam 1. eamet ratio et pro clero saeculari militat, quorum beneficia a fisco praerepta, vel patronis mancipata fuere, unde plures clerici egestate laborant et destituti manent annuo subsidio, quo Regulares a gubernio fruuntur : 2. quia facta dismembratione et clero saeculari concesso paroeciae regimine, nihil pro honesta sustentatione Regulari deesset familiae. Testatur enim Episcopus dictam familiam, quamvis numerosiorem commode vitam traxisse ante ampliationem dictae paroeciae, aliasque religiosas familias, quae Ianuae commorantur, Paroeciasque regunt, commode vivere, licet *longe minor sit numerus parochianorum, quam ille qui facta divisione remaneret paroeciae Consolationis*: 3. quia Regulares numquam frui possent Ecclesia Immaculatae pro nova erigenda paroecia, dum fundatores ea mente ipsam extruxere « *perchè a comodo della popolazione . . . . sia eretta in parrocchia, e sia conferita a un sacerdote secolare e non altrimenti.* »

Iis aliisque deductis colligit Orator non modo decernendam esse paroeciae dismembrationem, verum etiam Augustinianorum preces de nova paroecia iisdem concedenda prorsus esse reiiciendas.

Qui vero iura protuetur Parochi S. Mariae de Consolatione, seu Ordinis Eremitarum S. Augustini, in triplicem partem dividit allegationem suam. In prima sustinet nec unam ex canonicis rationibus, ob quam licita est paroeciarum dismembratio, in themate confirmari. In altera causas ab Archiepiscopo adductas nullo solido fulciri fundamento ad paroeciae dismembrationem revincendam. De-

mum, etiamsi proposita dismembratio sustineri posset, novam tamen paroeciam concedendam esse per Vicariam perpetuam ipsi Ordini S. Augustini.

Et ad primum caput quod attinet, incontroversum esse meminit iuris principium paroeciarum scilicet dismembrationem, utpote odiosam nonnisi in casu vere necessitatis, et non alicuius incommoditatis, ut ait *Fagn. c. Ad audientiam De Eccles. aedific. n.* 17, peragendam esse, quando nempe cetera omnia canonica remedia incassum adhibita fuerint *Fagnan. cit. loc. num.* 14, *Rota in Leodien. Dismemb. paroeciae* 1 *Feb.* 1712 *cor. Falconieri. et S. Congreg. in Caietana* 24 *Maii* 1659, *Placentina* 13 *April.* 1726, *Derthonen. Dismembrationis* 5. *April.* 1732 et nuperrime *Ianuen. Dismembr.* 14 *Aug.* 1875. Agitur enim de praeiudicio Matrici Ecclesiae inferendo, quod maxime, iuxta ea quae in facto exposuit, in casu confirmatur propter ingentes expensas ab actuali Parocho peractas, et de iure tollendo per bullam acquisito praefato ordini, qui actualem Paroeciam compensationis titulo, videlicet loco perantiquae paroeciae S. Iacobi de *Carignano* consecutus fuit. Ad haec animadvertit cum Bouix *Tract. de Paroch. par* 2 *c.* 4 *prop.* 1 licitum non esse Ordinariis parochias dividere, aut dismembrare, nisi in casibus a iure permissis, et ratio est quia dismembratio aequiparatur alienationi bonorum Ecclesiasticorum, quae iuxta Constitutionem, « *Ambitiosae* » vel ipsis interdicitur Episcopis extra casus positive a iure exceptos. Iamvero casum, et quidem unicum a iure exceptum pro dismembratione licite peragenda designari contendit in nimia locorum distantia, cui aliud remedium non suppetat, veluti ad rem tradit Rebuffius *prax. benefic. par.* 1 *De erect. in Cur. et Paroec.* Fagnanus *cit. cap. Ad audientiam num.* 19. Hanc sed vero locorum distantiam adeo notabilem esse debere, ut impossibilitatem secumferat adeundi paroeciam pro sacramentis recipiendis firmat ex *cit. cap. Ad audientiam de Eccl. aedif,* et signanter ex *Trid. Syn. sess.* 21 *cap.* 4 *de Ref.*

Hisce aliisque ex iure constitutis corruere adurget in facto propositam ab Ordinario dismembrationem. Revera non existere magnam hanc difficultatem accedendi ad Ecclesiam Parochialem manifeste patet tam ex experientia sexaginta annorum, quibus factum est, ut infantes omnes baptisma susciperent, et parochianorum necessitati abunde consultum

fuit, veluti revincit ex multiplici sacerdotum et Medicorum testimonio in suo summario perlegendo, qui commendant Parochos Augustinenses propter « *zelo superiore ad ogni elogio* »; nec non ex unanimi Fabriceriorum suffragio, qui eorum pietatem et assiduas curas laudant in administranda Paroecia S. Mariae de Consolatione. At quod magis relevat, contendit esse formalem geometrae peritiam, ex qua eruitur praetensam distantiam vix unum milliarium excedere cum facili accessu semitisque planis, per quas commode deambulatur « *tutto il territorio della Parrocchia propriamente abitato è solcato da strade carrozzabili di facile percorso, e che il restante territorio meno abitato è provvisto di comode strade per pedoni tutte selciate ed illuminate;* simulque peritus declarat alias paroecias saeculares longiori extensione comprehendi. Iamvero compertissimum esse subdit, distantiam *duorum,* vel *trium milliariorum* prorsus insufficientem declaratam fuisse ab S. H. O. in *Constantien.* 27 *Iun.* 1761, *Pisauren.* 19 *Apr.* et 10 *Maii* 1766 ad Paroeciarum dismembrationem decernendam. Cum itaque in casu neque longitudo itineris habeatur a iure praescripta, neque etiam difficultas itineris concurrat, concludit Defensor quod immerito dicta dismembratio proponitur.

Verumtamen, prosequitur orator, licet contra factum concedatur praetensam distantiam, difficultatemque viarum verificari, ita ut fideles revera physice impediantur, quominus ad Ecclesiam parochialem se conferre valeant, non tamen exinde dismembrationis necessitas evinci posset. Etenim praeter Ecclesiam Immaculatae Conceptionis adsunt Ecclesiae vel Conventus Barnabitarum et Cappuccinorum, qui adiutricem operam Parocho sponte praestant. Primi siquidem testantur: *di avere dal P. Parroco della Consolazione il permesso di amministrare i sacramenti dell'Eucaristia e dell'estrema unzione agl'infermi nei casi urgenti, che potessero verificarsi, ufficio al quale il sottoscritto come gli altri Padri del Collegio volenterosi si prestano*: cui concordat alterum Cappuccinorum testimonium. Atqui « quoties in loco, qui praetenditur nimis a parochiali Ecclesia « distare, existat Ecclesia ubi resideat Capellanus, qui in « casu necessitatis potest ministrare sacramenta penitus « ruere apparet quicumque difficilis accessus praetextus pro « dismembratione obtinenda. » Rota *Dec.* 578 *n.* 7 *part.* 19

rec. Cui consonat S. H. O. in *Pisauren.* 10 *Maii* 1766, et recentius in *Bononien.* 30 *Augusti* 1845, atque inter Canonistas *Card. De Luca de Parochis Disc.* 34 *n.* 3. nec non *Ferraris v. Dismembrationis n.* 15 ».

Quin imo animadvertit Patronus, quod ipsa *possibilitas* providendi per Vicarium, seu Capellanum excludit omnino quamcumque dismembrationis necessitatem, quamvis loci distantia et asperitas viarum insimul concurrerent, uti docet Rota in *Oveten. Erectionis Parochialis* 12 *Maii* 1681, et *dec.* 13 *Iul.* 1713 *cor. Crispo n.* 20, et latius Constantinus in *addit. voti* 343 *n.* 28 *seq.* Multo hoc magis in themate praeponderat, ubi coadiutores existunt in facto et de iure deputari valent in ipsa Immaculatae Ecclesia nuperrime constructa. Hocce demum argumentum confirmat ex *Parmen. Translationis Paroeciae* 2 *Dec.* 1719 relata a Benedicto XIV in suis *Canon. quaest. num.* 128, in qua agebatur de translatione antiquae paroeciae positae in vertice scopuli, et nimis arctae sine sacristia et sepulchris et cum coemeterio ab ipsa dissito et cum unico altari, in novam Ecclesiam sitam in planitie, cunctisque numeris absolutam; nihilominus proposito dubio. « *An translatio parochialis sustineatur, sive potius sit revocanda in casu etc.* S. Cong. respondit - *Ad primam dubii partem negative, ad secundam affirmative et amplius.* Quare deducit si paroecia S. Mariae non permitteretur transferri in ipsam Immaculatae Ecclesiam, multo magis permittenda non est dismembratio eiusdem, cum iustae deficiant causae.

Et reapse, contendit, non modo deficere causas sed in themate iustas idoneas , et opportunas adesse ne dismembratio fiat, 1° quia pars dismembranda complectitur divitum familias, et veteri paroeciae remanerent ferme omnes pauperes « diminuita la parrocchia della Con« solazione dalla parte superiore, ove si trova general« mente una popolazione comoda e aggiata rimane la par« rocchia attuale affatto povera » uti Patres Augustiniani asseruerunt et Fabricerii confirmant. Hinc 2° deducit Parochum imparem esse ad solvenda debita iam contracta pro restauratione templi , et ad cetera complenda pro quibus adhuc requiri urget summam Lib. 58,800, quas a divite parte solummodo assequi posse sperat. Avulsa sed

meliori parte, paroeciam ipsam prorsus perimi, atque ad nihilum reduci concludit.

Ad secundum defensionis caput progrediens ostendit Patronus dismembrationis causas ab Ordinario recensitas non existere , aut nullius esse momenti, ut gravissimum veteri paroeciae afferatur praeiudicium. Ad haec potissimum *capita difficultates reduci pergit* quae sunt 1° publicum et expetitum spirituale bonum et augmentum cultus divini. 2° Ut, constituta paroecia, provideatur illi parti , quae Protestantium insidiis exponitur, inibi constituendo *un centro di bene.* 3° Numerus et distantia. Sed vero adduci nequit publicum bonum, nam ex documentis minime confirmari ait. Siquidem fideles paroeciae Consolationis nec quoad verbum Dei, nec quoad sacramentorum administrationem , haud morientibus adsistentiae inopiam, vel detrimentum aliquod nusquam sunt experti, quod vel ipse Archiepiscopus commendat « *perchè non mancassero i conforti religiosi in questa parte di Parrocchiani di Lei , egli è caro rendergliene testimonianza.* » Nec ullam adurget querimoniam in actis existere, sed imo documenta elogii sacerdotum qui etiam commorantur in partibus dismembrandae paroeciae, isti siquidem non modo testantur nemini in extremis Parochi adiutorium ac levamen defuisse , sed ipsam paroeciam mediis abundare ad sacramenta et alia spiritualia bona recipienda « *la detta popolazione ha tutti i comodi maggiori che possa desiderare per adempiere a tutti i religiosi doveri.* » Ac quod maximi faciendum est, ait, idipsum et laici confirmant, uti Fabricerii et septem supra decem Medici, qui non solum testantur omnimodam sollicitudinem Augustinensium parochorum ne aegroti sine sacramentis decederent, sed etiam « *che in tempo di colèra i Padri suddetti hanno sempre spiegato un attività e zelo superiore ad ogni elogio.* » Quapropter concludit, cum hactenus bonum spirituale promotum fuerit, innovationes, quae ipsa novitate perturbant, contra canones non esse inducendas in paroecia S. Mariae, praesertim cum huic bono aliis mediis provisum sit, et per alios coadiutores melius quam per dismembrationem provideri possit.

Cum itaque parochi Ordinis S. Augustini optime sua officia adimpleverint, et adimpleant nil timendum esse ait ex parte protestantium, 1° quia nullus Catholicorum ex octo

millibus qui inibi commorantur ad haereticorum sectam transivit. Quinimo nonnullos addit ad Catholicismum, abiuratis erroribus, conversos fuisse teste ipso Parocho. « *In sette anni so di diversi che da protestanti si fecero Cattolici, ma non so di un solo che dal Cattolicismo sia passato al protestantismo;* » 2° nec in potestate parochi nec arbitrio Archiepiscopi repositum esse, ut in praesentiarum templa et scholae protestantium impediantur. Quod si in territorio multae alienigenae protestantium familiae commorantur, hoc elatiori et salubriori climati attribuendum dicit. Nec ex eorum parte periculum aliquod Catholici patiuntur, quippe qui vel ipsis Catholicis domesticis non impediunt, quominus religiosa officia adimpleant.

Ad haec subdit inutiliter exquiri ab Ordinario ut in hisce locis centrum boni constituatur. Quatuor siquidem ibi Ecclesiae existunt. 1° Adest Ecclesia Immaculatae ubi die Dominicae iteratis vicibus Evangelium explicatur, quaeque ceteris spiritualibus abundat; 2° prope viam *Assarotti* existunt Patres Barnabitae qui ab antiqua consuetudine diebus dominicis explicant Evangelium, et Vespere doctrinam christianam tradunt pueris et adultis, atque in casibus urgentioribus infirmis extrema sacramenta administrant; 3° In iisdem locis habetur Ecclesia PP. Cappuccinorum quae a fidelibus frequentatur et Confessarii assidue sacramentalem poenitentiam administrant; 4° ad confinia exurgit eorumdem Cappuccinorum templum, ubi cultu divino satis superque providetur, et in adnexo conventu sexdecim sacerdotes commorantur. Praeterea a tergo templi Valdensium sunt constitutae scholae a Marchionissa Durazzo, quae a plurimis frequentantur puellis, nec non binae aliae scholae sitae prope viam *Assarotti:* unde concludit veritati haud esse consonum quod in hisce locis christianae educationis media deficiant, quae etiam manente paroeciae integritate multiplicari valent.

Quoad tertiam causam animadvertit Orator numerum exagerari, cum status animarum vix superet sexdecim mille, numerus vero nusquam constituit causam canonicam dismembrandi, prouti idem ferme numerus non officit, quominus Paroecia S. Petri de Arena in sua integritate permaneat. Praeterea quamvis hic Romae numerus habitantium prope Portam Piam auctus sit, novis intra fines ve-

teris paroeciae extructis aedificiis, tamen Summus Pontifex per coadiutorem providit, quin dismembraret paroeciam S. Bernardi concreditam monachis Cisterciensibus, quod exemplum Supremi Principis decet sequantur Episcopi. Quoad vero distantiam minimi ipsam faciendam esse ex iam deductis tenet, cum haec non excedat milliarium ex adducta Geometrae peritia, exinde arguit haud esse ad dismembrationem deveniendum.

Post haec Defensor tertiam partem suae Allegationis evolvit, quod nempe in supposita dismembratione nova paroecia Eremitarum Ordini S. Augustini sit concedenda. Ad hoc revincendum duo ex iure principia meminit, 1° nempe paroeciarum divisionem faciendam esse cum minori possibili praeiudicio Ecclesiae matricis, 2° exquirendum esse interesse habentium et praesertim Parochi consensum, excepto casu quo irrationabiliter oppositio fieret. Iamvero ut Parochi praeiudicium imminuatur propter expensas, quas in renovatione templi intuitu divitum parochianorum sustinuit, nullum aliud remedium suppetere affirmat, quam perpetuam Vicariam erigere, eamque religioso viro committere. Hoc aequitativo temperamento Ecclesiam Matricem minimo affici praeiudicio, cum nova paroecia eidem Ordini conferatur, quamvis enim duo sint Vicarii Curati, unus est ordo a quo alimenta percipiunt. Praeterea dum reali parochianorum utilitati succurritur, personarum seu Religiosorum iura permanent. Eo vel magis quia Ordo ipse subministrabit alimenta Parocho, quo casu sustinet, ius habere praesentandi Parochum ab Episcopo instituendum ex S. *Congregrat. in Lunen. Dism. paroec.* 27 *Septembris* 1732 *Reiffenst. Decr. lib.* 1 *t.* 38, *Pirhing. eod. t. Fagnan. cit. cap. Ad audientiam num.* 35. « Unde tunc quoties « nominandus erit novae parochiae Parochus, ius habe- « bit Parochus antiquae Parochiae illum eligendi , et « praesentandi. » Hoc modo fideles maiorem utilitatem reciperent, siquidem Parochus regularis nusquam est solus; quot enim confratres habet, tot habet coadiutores. Hisce constitutis concludit se opponere Parochum intuitu sui decoris et materialis praeiudicii, et ipsos Fabbricerios, qui avulsa ditiori parochianorum parte damnum se passuros fore confirmant cum rebus sic stantibus legitimos iniverint contractus, et ingentes expensas assumpserint.

Haec, atque alia fusius in allegationibus circumferendis perpendent EE. PP., quorum sapientiae resolvenda proponuntur

DUBIA

I. *An constet de causis dismembrationis paroeciae in casu.*

Et quatenus affirmative

II. *An annuendum sit precibus Patrum Augustinianorum de nova paroecia iisdem concedenda in casu.*

Ad I. Affirmative et amplius.
Ad II. Negative et amplius.

FIRMANA DISTRIBUTIONUM. = Insignis Collegiata Ecclesia sub titulo S. Bartholomaei Apostoli in terra Murivallis Archidioecesis Firmanae a Sixto V. fel. rec. anno 1586 erecta venit, Capitulumque constitutum ex octo Canonicis, quos inter recensetur Parochus, cui exercitium actuale animarum demandatum est remanente habituali penes Capitulum, tribus Mansionariis totidemque Clericis beneficiatis. « Qui omnes (sunt verba Bullae) Horis Canonicis diurnis pariter et nocturnis, aliisque divinis officiis in dicta Collegiata Ecclesia devote ac servata disciplina ecclesiastica interesse, ac ibi continuam ac personalem residentiam facere teneantur . . . . liceatque Praeposito ac cuilibet ex Canonicis ac Beneficiatis praedictis per bimestre quolibet anno a dicta Collegiata Ecclesia continuis vel interpolatis diebus abesse sine alicuius praeiudicio. » Loquens dein recitatus Pontifex de distributionibus, quae ab absentibus amittuntur, pergit. « Absentium, et non interessentium dictis Horis et Officiis portionem, servientium et intervenientium portioni pro una et altera medietatibus Sacristiae dictae Collegiatae Ecclesiae assignamus. » Aucto at vero incolarum numero alter Canonicatus erectus fuit anno 1726, et huic Vice-Parochi adiectum officium.

Sess. 24 cap. 12 de Refor.

Capitulum porro hoc ab ipsa fundatione propriis Constitutionibus destitutum mansit, servitiumque chorale iuxta consuetudines, quae iamdiu inoleverant, expletum fuit, non parum a canonica et probata Ecclesiae disciplina abnormes, quaeque dein insertae in Capitularibus Constitutionibus ab Eminentissimo Archiepiscopo approbatis die 6 Maii 1767, in posterum tamquam lex pro Capitulo statuta, habitae atque servatae fuerunt. Perlegitur sane in *cap.* 3 *num.* 2. « Absens seu absentes integra die feriali mul-
« ctentur octo punctaturis ordinariis *secundum consuetudi-*
« *nem*, nempe unica tantum punctatura pro absentia Ma-
« tutini cum Laudibus, altera pro absentia Primae, altera
« pro absentia Tertiae, et sic de singulis horis et Missa
« Conventuali . . . Absens autem a caeteris Missis can-
« tatis praescriptis sive a Rubrica sive a Legatis puncte-
« tur ac si abfuisset illi Horae canonicae, post quam imme-
« diate eaedem Missae erunt canendae. » Insuper in numero 7 statuitur: « Puncturae autem ordinariae, compu-
« tandae in numero vacationum et condonandae, erunt qua-
« tuorcentum et octoginta, quae constituunt integrum sexa-
« ginta dierum spatium. Attamen quicumque illum numerum
« quatuorcentum et octoginta superabit, etiamsi pro unica
« punctatura, eo casu teneatur ad solutionem omnium et
« singularum in vacatione comprehensarum, et gaudeat
« distributionibus ratione tantum servitii praestiti *secun-*
« *dum consuetudinem.* »

Postremis at vero temporibus dubium inter Capitulares excitatum fuit circa valorem dictarum dispositionum, quas nonnulli uti legitimas admittebant, nonnulli vero uti SS. Canonum corruptelas respuendas esse censebant. Unde res ad Archiepiscopum Firmanum per ipsosmet Capitulares pro conscientiae tranquillitate delata fuit, qui nulla interiecta mora Capitularibus imposuit, ut infra bimestre sapientissimum S. V. O. hac super re iudicium exquirerent sub poena delendi praefatos Constitutionum articulos ac punctaturas solvendi etiam pro mensibus vacationis. Mandatis Revmi Ordinarii morem gerentes Canonici supplicem Sacratissimo Principi obtulerunt libellum die 11 Martii 1878 praefatorum articulorum confirmationem benigne expostulantes. Audi verba ipsius libelli in quo, memorata factorum historia mox exposita necnon relatis Constitutionum articulis, subdunt Capitulares: « Da

« ciò è avvenuto che tranquillamente, ed in piena buo-
« na fede abbiano i Capitolari proceduto fin qui con que-
« sta regola ed ordinazione, che non venne mai contrad-
« detta nè revocata in dubbio dagli Arcivescovi Ferma-
« ni, i quali tutti certamente ebbero occasione e diritto
« di considerare le citate Costituzioni, massime in S. Vi-
« sita, e così a chiunque del Capitolo avesse prestato un
« servizio di dieci mesi venne computato per un intero
« anno. Ultimamente fu sollevato il dubbio che tanto le
« puntature nel suddetto modo numerate, quanto la con-
« donazione di esse nei due mesi di assenza concessi dal-
« la Bolla fosse un' infrazione di quanto venne stabili-
« to in proposito dal Sac. Conc. Trid. *sess.* 24 *cap.* 12
« *de reform.*, il qual dubbio presentato pure al novello
« Monsig. Arcivescovo di Fermo, questi ha concesso due
« mesi agli Oratori per far ricorso alla S. V. decretando
« in caso contrario aboliti i prefati due paragrafi delle Co-
« stituzioni, e tenuti i Capitolari a pagare tutte le assenze
« anche dei due mesi eccettuati e ripartirle non già per punti,
« ma a ragione de' giorni di vacanza dall'ufficiatura.

« Gli Oratori considerando che con queste norme si è
« retto quasi per tre secoli il Capitolo di S. Bartolomeo senza
« che siano avvenute alterazioni e scandalo di sorta nel
« disimpegno della sacra officiatura, la quale fu sempre
« eseguita e condotta con ogni maniera di decoro da ren-
« dere la Collegiata in nulla inferiore alle altre di mi-
« gliori luoghi, che di sedici che erano i Capitolari, dopo
« la violenta ultima soppressione sono ridotti a sette so-
« lamente, che sobbarcandosi al peso di nove defonti pro-
« seguono l'officiatura della Collegiata per se abbastanza
« gravosa, siccome per lo innanzi, non ostante che due
« siano addetti alla cura di circa sei mila anime, per os-
« sequio agli ordini di Monsig. Arcivescovo, non che per
« quiete di loro coscienza, fiduciosi si rivolgono alla S. V.
« affinchè voglia degnarsi di sanzionare la pratica sues-
« posta di quasi trecento anni fondata sulla Bolla di ere-
« zione, confermata dalla costante consuetudine, e pienis-
« sima buona fede, ridotta in regola scritta da oltre un
« secolo, approvata espressamente dall'Emo Urbano Pa-
« racciani Arcivescovo di Fermo, e mantenuta finora dai
« suoi successori, tanto in ordine alla numerazione per
« punti delle assenze dal Coro, quanto in ordine alla con-

« donazione delle medesime nei due mesi concessi nella
« Bolla di erezione della Collegiata : anche in vista che
« non riconoscendo il governo usurpatore dei beni eccle-
« siastici il Corpo od Ente Capitolo, ed avendo a ciascun
« Capitolare assegnato la sua quota di pensione senza nul-
« la lasciare in comune per ripartirsi *inter praesentes*,
« qualunque innovazione potrebbe facilmente divenire ca-
« gione di screzii, e di litigii, in ogni caso, che alcuno,
« consumata la somma non si trovasse pronto a soddisfare
« l'importo delle fallenze. »

Rogatus illico Revmus Archiepiscopus pro informatione et voto, hic in suis literis informatoriis diei 26 Iulii 1878 sub hac trina dubiorum formula quaestionem agitandam proposuit, 1° *An sustineatur articulus Constitutionum, qui punctaturas ita distribuit ut unum ex octo punctis (in quae integra cuiusvis diei punctatura dispescitur) assignetur ei qui a Matutino cum Laudibus vacat, alterum ei qui vacat non solum a Missa vigiliae vel feriae vel ab ea quae praescripta est a testatoribus sed etiam ab hora his Missis praecedente;* 2° *An sustineatur alter articulus Constitutionum, qui indulget Capitularibus lucrari distributiones licet choro non interveniant, dummodo tamen haec eorum absentia non excedat tempus vacationis, quod ad bimestre protenditur;* 3° *An sustineatur ratio computandi dies vacationis ex punctis fallentiarum prout apud eosdem Capitulares in more positum est et Constitutionibus pariter confirmatur*. Hisce expositis, et attentis rationibus iismet ab Oratoribus Canonicis S. V. O. pro nunciatorum articulorum confirmatione adductis subdit laudatus Praesul *humillime duco hoc articulo de punctaturarum distributione solum immutato, expedire, ut alii duo qui saeculorum, ut ita dicam, observantiam sibi conciliaverunt, etiam pontificium favorem consequantur.*

Quibus habitis, necnon posterioribus Capituli precibus, in quibus enixe efflagitat, ut quatenus recitati Constitutionum articuli a iure abnormes esse declarentur, saltem ipsi concedatur ex gratia facultas lucrandi distributiones per duos menses vacationum, necnon computandi fallentias per puncta et minime per dies, decretum edidi ut causa poneretur in folio. Cum itaque hac de re hodie discutiendum sit, mei muneris est aliquid summatim in iure animadvertere.

Singulos Constitutionum articulos ex longissima consuetudine, quae in omnibus obtinet, defendunt Capitulares. *Quae enim longa consuetudine comprobata sunt, non minus quam ea quae scripta sunt iura, servantur; L. Sed ea Pand.* relata *in Can. Consuetudo dist.* 2. Ipsam autem iamdiu invaluisse patet ex ipsis Constitutionum controversis articulis iam ab anno 1765 editis, in quibus apertis verbis legitur *secundum consuetudinem*. Cum igitur consuetudo vim legis obtineat, claret eamdem ex iuris dispositione esse servandam. Maxime quia, non modo scientibus et non contradicentibus, sed et comprobantibus Ordinariis fuit introducta, atque in ipsis Capitularibus Constitutionibus inserta, quae cum a competenti auctoritate approbatae inveniantur, ab ipso Capitulo pro lege debent haberi. Neque dicas ipsam haud sacris canonibus conformem esse. Quidquid enim sit de hac re, dubitari nullimode valet quod Ecclesiasticae leges ex contraria consuetudine centenaria atque immemorabili possunt moderari vel tolli, etiamsi ipsae simpliciter ac generaliter eiusdem introductionem prohibeant, ceu tradunt DD. teste *Reiffenst. Inst. Can. Un. lib.* 1 *tit.* 4 *num.* 49 *seqq.* Licet igitur memorati articuli Constitutionum ad tramites iuris efformati haud fuerint, attenta tamen consuetudine forent sustinendi.

Re at vero intimius paulisper inspecta, agendi ratio Capituli in explendo chorali servitio ad Constitutionum tramites haud foret reprobanda. Et ad puncturarum partitionem quod attinet ipsa Sacris Canonibus conformis esse videtur. Enimvero, licet non desint auctores, quos inter S. Antoninus et Navarrus, qui sustinent Laudes efformare Horam a Matutino distinctam, communissima tamen sententia contrarium docet teste *Magri Notizia de' Vocaboli Ecclesiastici verb. Horae Canonicae,* et contrarium tenendum suadet *Caput Presbyter de Celebrat. Miss.* ubi haec occurrunt – ibi – « *Septies in die laudem dixi tibi, qui septenarius numerus a nobis impletur, si Matutini, Primae, Tertiae, Sextae, Nonae, Vesperae et Completorii tempore nostrae servitutis officia persolvamus.* Cum igitur Matutinum cum Laudibus unam horam efformet, nil magis rationi consentaneum esse videtur, ut unum punctum absentiae assignetur ei, qui dictae Horae non interest.

Animadvertendum ulterius quod ad Episcopum una cum Capitulo spectat statuere quaenam portio distributionum cuique Horae canonicae, Divino Officio et Ecclesiasticae functioni assignanda sit, quemadmodum tradit *Moneta De distribut. quotid. part.* 2 *quaest.* 3 *num.* 15. Atqui Constitutiones Capitulares, quae unam punctaturam statuunt pro Matutino et Laudibus a Capitulo elaboratae et ab Ordinario approbatae fuerunt, cui mandatum est a Tridentino *sess.* 21 *c.* 3, *de Ref.* ut in Cathedralibus et Collegiatis Ecclesiis tertiam fructuum partem in distributiones quotidianas convertant atque easdem *proportionabiliter* dividant. Ergo cum ad iuris tramites facta a Constitutionibus punctaturarum divisio videatur, ipse articulus esset sustinendus. Eo vel magis quia consuetudo earumdem favore militat, quae teste *Moneta loc. cit. quaest.* 12 *num.* 43 efficere valet ut distributiones assignentur inaequaliter horis canonicis, et quia nullum ex hac computatione damnum persentit chori servitium, cum Canonicos promptiores reddat ad choro interveniendum in principio, ne pro integra Hora tamquam absentes multentur.

Relate autem ad id quod Episcopus exponit in suo dubio, una idest punctatura multari, qui abest a Missa vigiliae vel feriae, vel ab ea quae a testatoribus praescripta sit, simulque ab Hora his Missis praecedente, id peragi posse ex consuetudine videtur. Etenim si ea duce fieri potest, iuxta ea quae tradit *Moneta loc. cit. par.* 2 *quaest.* 3 *num.* 45 ut possint quidem assignari omnes distributiones totius diei aliquibus Horis, quibus si quis interfuerit omnes illius diei acquirat, ambigi non posse videtur, quominus ex ea fieri nequeat, ut uno puncto multetur qui et nunciatis Missis et Horae praecedenti minime praesens fuerit; cum ipsa sit parum praeiudicialis Ecclesiae, haud suo subinde destituta robore prouti post textum in *Cap. Cum omnes de Constit.* tradit *Abb.* in *Capit.* 1 *in princip. et in fine de Consuetud. Federic. De Senis cons.* 185. Maxime vero quia ex hoc cum nullum usque adhuc expertum fuerit inconveniens, nulla ratio suaderet immutationem, quae et dissentiones et iurgia in Capitulo parere possent.

Nec secus dicendum de altero articulo sub num. 7 in quo duo statuta reperiuntur: 1° quod Canonici per bimestre absentes a choro percipiant distributiones; 2° quod puncta per Horas et minime per dies computari debent.

Prima porro huius articuli pars defendi potest ab ipsa Bulla Xisti V in qua habetur, Praepositum et Canonicos abesse posse per bimestre a choro quolibet anno *sine alicuius praeiudicio*. Iamvero si pro eo tempore absentes amitterent distributiones, indubie praeiudicium verificaretur, ac nullum sensum adiecta verba haberent. Quae interpretatio magis magisque obtineri videtur ex eo quia duo tantum absentiae menses dictis Canonicis concessi fuerunt, ita ut si ultra dictos menses etiam uno puncto deficiant, teneantur ad omnes punctaturas solvendas. Cum igitur et ex Bullae verbis deducatur, Canonicos per bimestre a Choro abesse posse *sine praeiudicio*, cumque et poena statuta reperiatur in eos, qui ultra vacationum menses choro non intersint, pars haec articuli Constitutionum sustinenda videretur.

Quod autem modum supputandi tempus vacationum a choro non per dies, sed per puncta sive Horas canonicas, audi quae tradit Scarfantonius in *part.* 1 *lib.* 2 *tit.* 12 *n.* 111 – ibi – « *Canonico non interessente choro omnibus Horis, istae Horae in fine anni possunt colligi, et ex eis constitui dies et ex diebus tres menses absentiae.* Cui sententiae plausisse videtur S. V. O. in *Mexicana Servitii Chori* 18 *Martii* 1854 in qua proposito dubio sub numero 4. « *An et quomodo servandum sit quartum mandatum, quoad tempus vacationum et modum eas computandi in casu* » responsum fuit : « *Ad quartum Affirmative ad tres menses cum facultate dies computandi per Horas canonicas.* » Cum igitur et hic modus a iure minime extet reprobatus, videretur quod etiam pro hac parte Constitutionum articulus foret sustinendus.

Verumtamen si EE. VV. in contrariam hac super re abeant sententiam, tamen non desunt rationum momenta, quae benigno favore excipiendas esse Capituli preces suadent, ut nempe ex Vestra benignitate eisdem permitti possit tam facultas lucrandi distributiones vacationum tempore, quam computandi puncta non per dies sed per Horas. Praeter enim consuetudinem quae ipsorum favore militat, praeter laudabile servitium usque adhuc praestitum sub eamet Constitutionum dispositione, stat factum quod ab usurpatore gubernio Canonicis nil aliud relictum fuit, quam vitalitia pensio, unde quaecumque innovatio modo facile posset lites, et iurgia excitare inter eos, qui nil aliud exo-

ptant quam communi cum consensu ambulare in nomine Domini.

Alia ex parte animadvertendum occurrit, quod recitati Constitutionum articuli nimis abnormes videntur a Tridentini dispositione, proindeque nullimode Capitulo suffragari posse consuetudinem ad quam idem tamquam ad unicam naufragii tabulam confugit. Quod adeo verum est, ut si omnia, quae in dicto Capitulo vigeant, confirmentur, eveniret ut quilibet Canonicorum omittere posset quotidie Matutinum cum Laudibus et insuper 115 Missas Feriae, Vigiliae et imperatas a testatoribus cum Hora his Missis praecedente, quin tamen neque minimam distributionem amitteret. Quod quam absonum sit a SS. Canonum dispositione vix legenti patet.

Et haec quidem generice, specifice vero ut a punctaturarum partitione exordium ducam ipsamet non aequali modo pro quacumque Hora, ulla sine distinctione est facienda, sed maior statui debet pro Horis maioribus, ut Canonicos alliciat ad choro interessendum. Secus enim de facili ipsae a Canonicis praetermitterentur et finis legis in distributionibus statuendis posset eludi. Hoc enim teste Nicolio in *Flosculis verb. Distributiones num.* 5 docuit S. Congregatio EE. et RR. in *Tarvisina 27 Aug.* 1585 in qua statuit distributiones in tres partes dividendas esse, quarum una pro Matutino et Prima; secunda pro Tertia, Missa, Sexta, et Nona; tertia demum pro Vesperis et Completorio. Nec secus alias nunciatam S. Congregationem docuisse tradit Pignatelli *tom.* 9 *consult.* 115 *n.* 95 – ibi – « Eadem S. Congregatio 26 Octobris 1585 – al Cardinal Borromeo che le « distribuzioni del Matutino, della Messa, e del Vespero « debbono esser tali rispettive alle altre Ore, che le Di- « gnità e i Canonici non sieno verisimilmente per dover « mancare d'intervenirvi, ancorchè per le altre Ore le di- « stribuzioni restassero molto tenui e che perciò i Capi- « tolari non fossero così frequenti sì come converrebbe. » Cui sententiae adhaesit S. V. O. in superius recitata Mexicana. Quandoquidem cum Episcopus statuisset ut tres ex octo partibus distributionum assignarentur Matutino cum Laudibus, proposito dubio primo « *An et quomodo servandum sit primum mandatum Archiepiscopi quoad divisionem diei ecclesiastici relate ad chori servitium et distributiones in casu* – rescriptum fuit – « *Ad* 1^{m} *Affirmative iuxta mo-*

dum, nempe assignata congrua distributione etiam pro Missa Conventuali. »

Aliter at vero sentiendum non est de modo assignandi unum punctum ei qui vacat non solum a Missa vigiliae, vel feriae, vel ab ea quae praescripta est a testatoribus sed etiam ab hora his Missis praecedente. Missam enim tam de Vigilia, quam de Feria partem divini officii efformare dubitari nequit post ea quae praescribit generalis rubrica et Constitutio Benedicti XIV *Cum semper oblatas* §. 20, ideoque pro ipsis, quae Horae canonicae comparantur, aliquod punctum assignandum venit, et quidem distinctum ab eo, quod statutum est pro deficientia Horae has Missas praecedenti. Ad rem *Scarfant. ad Lucubr. Ceccoper. lib. 2 tit. 14 n. 47* – ibi – « Denique quoniam Missa venit appellatione Di« vinorum Officiorum *cap. De his. dist. 12. cap. Abba« tes De privil. in 6° glos.* in *Clement. 2 De aetat. et qua« lit.* . . . et aequiparatur Horae canonicae in *Clement. 1* « §. *fin. De rel. et ven. SS.* propter quod Missis, quae Ca« nonicis a rubricis cantandae praescribuntur, assignantur « distributiones veluti Horariis precibus *Gloss. in Clement. 1* « *De celebrat. Miss. verb. Canonicas et in cap. unic. De* « *Cleric. non resid. in 6° Bonac. De Distrib. disp. 2 quaest. 4* « *punct. 1 num. 4.* Idcirco a punctatore cuius supra me« minimus, punctandi, ac pro absentibus habendi sunt « Canonici praefatis Missis ante finem ultimi *Kyrie* non « venientes . . . . » Quae pari ratione dici debent pro Missis a fundatoribus relictis, cum ipsi ad hoc Ecclesiae reditus reliquerint, ut ex plurium Sacerdotum praesentia et Missa solemni in choro plus suffragii caperent eorumdem animae prouti tradit *Fagnan.* in *Cap. Cum Creatura De celebrat. Miss. num.* 9. Nec alias statuisse videntur ipsae Constitutiones praecipientes, ut absens a dictis Missis *punctetur ac si abfuisset illi Horae canonicae postquam eaedem Missae erunt canendae,* quem articulum male usque adhuc interpretasse Capitulares censerem, qui, ceu ex dubio per Archiepiscopum proposito eruitur, uno tantum puncto multent absentem a Missa et ab Hora praecedente.

Ad alteram Constitutionum partem descendens, in qua praescribitur Canonicos per bimestre absentes distributiones lucrari, animadvertendum puto; quod statuit Tridentinum in *sess. 24 cap. 12 de Reform.* – ibi – « Distribu« tiones vero qui statis Horis interfuerint, recipiant; re« liqui, quavis collusione aut remissione exclusa, his ca-

« reant iuxta Bonifacii VIII decretum, quod incipit *Con-*
« *suetudinem,* quod S. Synodus in usum revocat, non ob-
« stantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus. »
Ex quo patet nullam hodie valere consuetudinem quantumvis longaevam, aut statutum determinans distributiones deberi absentibus prout ex mente *Textus in cap. unico* de *Cleric. non resid.* in 6°, et Sacri Concilii Tridentini loc. cit. monuerunt *Fagnan.* in *cap. Licet de Praebendis num. 77 et* 80, *Passerin. in Cap. Consuetudinem de Cleric. non resid. num.* 135 *et seqq. et num.* 170 *et seqq. Pignat. Consult.* 115 *num.* 2 *et num.* 23 *tom.* 9, et declaravit S. C. in *Civitaten. Octobris* 1587 *ad* 2 *Dub., Ruben.* 3 *Aprilis* 1593, *Civitatis Castellanae Punctatur.* 19 *April.* 1614 aliisque quamplurimis.

Profligatis igitur statutis ac consuetudine, quae favore Capitularium militare possent, inutiliter effugium quaerere videntur Canonici in verbis illis Bullae Xisti V *liceatque Praeposito . . . per bimestre . . . abesse sine alicuius praeiudicio,* ut sibi intuitu privilegii Apostolici vacationum tempore distributiones addicant. Qua in re Capitularium, qui contrarium tuebantur praestat referre argumenta quae concinne in suis literis refert Episcopus in quibus perlegitur. « Hoc vero privilegium . . . non mo-
« do non probari in Bulla Xisti V, sed ex ea contrarium
« potius inferri. Idque demonstrare satagebant tum ex
« loquendi usu, ac verborum vi, tum ex substrata ma-
« teria. Ex usu loquendi: sensus enim huius commatis *si-*
« *ne alicuius praeiudicio* latius patere asserebant interpre-
« tatione quam verbis eisdem adversarii appingere voluis-
« sent. Ea enim verba non modo ita explicari possunt,
« ut caveant damno eorum qui in subiecto propositionis
« sunt, nempe Capitularium absentium, sed etiam damno
« eorum, qui in propositionis subiecto non includuntur,
« adeoque etiam damno fabricae Ecclesiae vel Capitula-
« rium Choro interessentium. Imo horum damno adamus-
« sim cavere dicebant, quia et ex iure eisdem distributio-
« nes absentium accrescunt, et ab ipsa citata Xisti V
« Bulla eisdem distributiones addicuntur hisce verbis: – *Ab-*
« *sentium et non interessentium dictis Horis et Officiis por-*
« *tionem, servientium et intervenientium portioni pro una et*
« *altera medietatibus Sacristiae dictae Collegiatae Ecclesiae*
« *assignamus.* – Arguebant dein ex vi vocis: praeiudicium

« enim proprie est damnum quod provenit ex iudicio pro-
« lato absque praecedenti causae disceptatione. At de Ca-
« nonicis absentibus, qui erant subiectum orationis, causa
« in ea ipsa periodo disceptabatur, non vero de interes-
« sentibus Choro. Ergo concludebant horum et non illo-
« rum damno inibi cautum esse. Arguebant praeterea ex
« substrata materia. Nam impossibile ipsis videbatur Sum-
« mum Pontificem concessisse privilegium tam singulare et
« a iure alienum quasi perfunctorie loquendo ac duobus
« pene verbis, iisque perobscuris et aequivocis. »

Reliquum nunc est, ut aliquid disseram super modo computandi vacationes. Ad reprobandum igitur etiam hac in parte Constitutionum articulum satis est prae oculis habere decretum S. V. O. in *Aquilana lib.* 8 *decret. pag.* 42 *a tergo* – ibi – « Sacra Congregatio censuit ad constituendum servitium novem mensium non esse colligendas punctaturas, quasi ii qui novem partes punctaturarum ex duodecim, quae ex servitio totius anni conflantur, deserviendo tulerint, servitio novem mensium debito satisfecerint sed ipsos dies residentiae et servitii, sive continui fuerint, sive interpolati numerandos esse, ut compleant numerum dictorum novem mensium. » Nec aliter deduci valet ex *Mexicana sup. cit.* de anno 1854; quandoquidem si in iure constitisset quod vacationes per puncta computari possent, haud certo S. V. O. usus fuisset formula illa *facta facultate,* quae potius gratiam indicere videtur, quam iuris explanationem.

Post haec et Capituli preces expostulantis indultum percipiendi distributiones in bimestri vacationum, ipsasque computandi per puncta reiiciendas esse putarem, tam quia talis gratia ex disputatis magnum infligeret iuri communi vulnus, quam quia tali exemplo de facili eamdem expostulare possent aliae Collegiatae Ecclesiae, quae ob temporum iniquitatem sub hostili dominatione constitutae in eadem, ac Collegiata Ecclesia Murivallis, conditione versantur.

Hisce igitur obiter expositis ea qua pollent EE. VV. iuris canonici peritia sequentia dirimere dignentur

DUBIA

I. *An articulus Constitutionum mandans ut uno puncto mulctetur absens a Matutino cum Laudibus sustineatur in casu.*

II. *An modus multandi uno tantum puncto Canonicum qui vacat a Missa Vigiliae, vel Feriae vel a testatoribus de mandatae necnon ab Hora his Missis praecedente sustineatur in casu.*

III. *An Canonici per bimestre tempus vacationum absentes a choro valeant participare de distributionibus in casu.*

IV. *An bimestre vacationis computandum sit ex numero punctorum, vel potius dierum in casu.*

Et quatenus negative.

V. *An et quomodo Oratoris Capituli precibus annuendum sit in casu.*

Ad I. II. III. et IV. Providebitur in quinto.
Ad V. Affirmative.

Sess. 22 cap. 8 de Reform.

GRATIANOPOLITANA INHIBITIONIS. = Intra septa Hospitiorum Viennen–Allobrogum Capella exsurgit, in qua a remotissimis usque temporibus sacrum celebratum fuit, cui extranei adesse consueverunt. Ex documento enim anni 1550 habetur, quod Delphinus Galliarum Rex eleemosynas colligendas esse sivit in hac sui regni parte non modo pro hospitiorum manutentione, verum etiam « per « conservare la bella e devota Messa, che si celebra ciascun Sabato dell'anno nella Cappella di S. Antonio dell'Ospedale per opera dei fratelli della devotissima Confraternita di S. Antonio, ed in presenza di tutti i buoni « dei villaggi venuti al mercato, che desiderano prendere « acqua benedetta nella detta Cappella, e di baciare le « reliquie, ed il braccio di S. Antonio. » Ab immemorabili autem tempore hac in Capella diebus dominicis et festivis de praecepto hora octava sacrum litatum fuit, cui ruricolae praesertim et malae firmae valetudinis incolae, pro auditionis sacri satisfactione conveniebant, quibus propterea hospitiorum reserabantur fores. Imo a quo tempore praeter hanc aliae duae Missae in dicta Capella, quarum altera hora septima

etiam cum exterorum interventu, diebus festivis de praecepto celebrari consueverat, in tenebris delitescit.

Res itaque pacifice processerunt usque ad annum 1870, quo vertente et Episcopo sacrum et salutare visitationis opus peragente querelae praecipue ex parte Parochi S. Mauritii delatae sunt propter deficientiam populi ad parochialem Ecclesiam non accedentis ob celebrationem Missae in dicto Oratorio hora octava, unde ipse ab explicatione S. Evangelii arcebatur. Necessitatem autem dictae Missae inficiabatur, pro qua Capellanus binandi usus fuerat facultate, quia in proxima paroecia S. Dionisii eodem tempore sacrum pro ruricolis praesertim litari statutum fuit una cum brevi expositione S. Evangelii pro erudienda quoque illa parte gregis. Ea propter expetebat, ut Episcopus sacrum in dicto sacello peragendum interdiceret hora octava, et voti compos factus fuit edito decreto in mense Decembris 1870, quod sex post menses fuit Capellano notificatum.

Hac prohibitione perculsi Administratores Hospitiorum, tam propter repentinam novitatem, quam propter damnum Hospitiis adveniens ex sedium locatione in annuis libellis 700 circiter, benigne Praesulem exorarunt, ut editum decretum revocaret. Verumtamen Episcopus renuit Administratorum annuere precibus permittens solum, ut clausis ianuis et pro hospitio addictis sacrum dicta hora litari possit, una spondens se promptum, paratumque esse ad reficienda aere proprio damna Hospitiis ex tali prohibitione obventura. Quare cum res amicabiliter haud componi potuerit, atque per Administratores recursu ad Metropolitanum Lugdunensem habito, hic die 20 Decembris 1874 editum ab Episcopo Gratianopolitano confirmavit decretum. Unde res ad Sanctissimum delata fuit, qui eamdem V. S. O. dirimendam remittere censuit.

Supplex hic libellus, uti fieri solet, die 8 Aprilis 1876 remissus fuit *Episcopo pro informatione et voto audito parocho in scriptis*. Qui S. H. O. morem gerens sub die 4 Octobris 1876 transmittendo literas ipsi datas a S. Mauritii Parocho, facta potius quam ius attingentes, addit « Fateor . . . me non posse sententiae Praedecesso-
« ris mei, sententia officialatus Metropolitani Lugdunensis
« confirmatae, atque adnexis parochi literis denuo com-
« probatae contradicere. Certe nimius Missarum numerus
« in Capellis diversis grave damnum, cum animarum de-

« trimento, ecclesiis parochialibus affert, verum est et hac « hodierna die negare non possumus. »

Quibus habitis causa in folio inscripta venit, et hodie ipsa proponitur nonnullis utrinque ex officio animadversis.

Pluribus sane de causis Episcopale decretum sustinendum videtur. Revera Episcopus in sua Dioecesi omnium pater et pastor est, eique praecipua omnium rerum agendarum competit auctoritas, quam in nosocomiis, collegiis, confraternitatibus, et piis locis moderandis praesertim exercet iuxta Concilium Tridentinum in *Sess.* 7 *cap.* 15, *Sess.* 22 *cap.* 8, *et Sess.* 25 *cap.* 8 *de Reformat.* Huiusmodi vero auctoritas non solum in rerum temporalium administratione tutanda versatur, sed potius ut ordo et leges observentur, promoveatur disciplina, caritas et pietas erga pauperes foveatur. Atqui teste Parocho S. Mauritii populi numerus ad dictam Missam accedens talis est, ut eo tempore Xenodochii ordo subvertatur « *s'intriga durante la Messa il servizio materiale dell'Ospedale.* » Optimo proinde iure eamdem Episcopus interdixit, et lata interdictio manutenenda videtur.

Eo vel magis quia, secluso Apostolico Indulto, pro satisfaciendo dominicali praecepto, necesse est Missam audire sive in Ecclesia, sive in publico Oratorio uti communiter docent Doctores. Publicum autem Oratorium non est nisi *quod publicam habet ianuam et quod cuivis e populo patet; Devoti Instit. Canon. lib.* 2 *tit.* 7 *sect.* 3 §. 32, *Latini Instit. Canon. lib.* 2 *part.* 2 *tit.* 3 *num.* 2. Atqui topographica sacelli descriptio huiusmodi requisitum minime exhibet. Audiatur sane enunciatus Parochus: « L'Ora« torio non ha porta nella strada, e non ne ha avuto « giammai . . . Per entrarvi conviene passare necessaria« mente per l'ingresso principale e proprio dell'Ospizio, « entrare nello stabilimento, avanzarsi nel corridoio, « traversarne una parte, e tornare a sinistra onde trova« re l'ingresso della Cappella. » Cum itaque Capella haud in themate publica dici posse videatur, latam prohibitionem prouti sacrorum canonum dispositionibus consonam confirmandam esse censerem. Quin obiici valeat Capellas in Seminariis, Xenodochiis, Conservatoriis et publicis carceribus erectas uti publicas in iure reputari. Publicae enim eo sensu dici videntur, quatenus ut in publica domo constructae omnes inibi commorantes Missamque audientes cu-

iusque paroeciae, cuiusque sint dioecesis valeant praecepto Ecclesiae satisfacere; non vero eo sensu, ut extranei omnes qui libere Ecclesiam petere possent, inibi rei divinae interessentes onus audiendi sacrum adimpleant.

Verumtamen et paulisper concesso, quod omnes quicumque sint dictis in Capellis missam audientes valeant Ecclesiae explere praeceptum, tamen decretum Episcopi sustinendum videretur. Mandat enim Episcopis Benedictus XIV in *Constit.* 42 *Etsi minime* § 14 ut quoad Ecclesias parvas Parochiali proximas expressa lege caveant, ne quis ante sacrificium faciat quam Parochus missam celebraverit, sermonem habuerit, ceterasque sui muneris partes absolverit. Et idem docet laudatus Pontifex in *Instit.* 44 et *De Syn. Dioec. lib.* 12 *cap.* 7 *n.* 7, quod a prudenti arbitrio Episcopi pendet pro locorum diversitate concedere celebrationem Missae in publicis Oratoriis et Capellis nullo habito ad Missam Parochialem respectu. Quod adstruere satagit auctoritate innixus S. V. O. cui proposito anno 1640 dubio « *An Parochus prohibere possit ne in Capella ruri per Laicum aedificata in solo publico celebrari possit, antequam Missa celebretur in Ecclesia parochiali Matrice* » rescriptum fuit « *Supposita facultate legitima celebrandi in dicta Capella de rigore iuris non posse prohiberi, sed Episcopum pro prudentia curare posse ut in diebus festis prius celebretur Missa in parochiali Ecclesia* ut in *lib.* 16 *decret. pag.* 331 idemque decretum fuerat in *Urbinaten.* 27 *Iunii* 1641 *eod. lib. pag.* 543 *a terg.* in *Forolivien. Iur. Paroch.* 18 *Novembris* 1684, in *Privernen. Aedif. Eccles. et Iur. Parochial.* 24 *Septembris* 1735 *ad* 2 *dub.* Quibus addenda est resolutio S. R. Congregationis in decretis generalibus anno 1703 editis, ubi proposito dubio: « *An in iisdem Ecclesiis possit celebrari Missa sive lecta sive cantata ante Missam Parochialem sive lectam sive cantatam* » responsum fuit « *Negative nisi aliter Episcopus disponat.* »

Et optimo sane iure praescribit enim Tridentinum in *sess.* 24 *cap.* 4 – ibi – « *Moneatque Episcopus populum diligenter, teneri unumquemque parochiae suae interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei.* At cum Dei verbum ex eiusdem Tridentini decreto *sess.* 22 *cap.* 8 a Parochis vel per se vel per alium sit annuntiandum, et explicandum inter Missarum celebrationem *Bened. XIV de Syn. Dioec. lib.* 11 *cap.* 14 *num.* 12. Patet proinde quod

ad Episcopum pertinet omnia removere obstacula, quae populum nimium abstrahant ab Ecclesia parochiali, uti bene ponderat Petra ad *Constit. Apost.* Paschalis II. *tom.* 1 *pag.* 390 *num.* 69, et latius prosequitur *Monacel. in formul. tom.* 2 *pag.* 52 *num.* 42. Sed in themate adamussim verificabatur quod populus, petendo Capellam Hospitiorum, ut divinis interesset mysteriis, verbum Dei a parocho minime audiebat. Concludendum igitur videtur, quod interdictum ab Episcopo latum manutenendum sit ad tramites resolutionis alias editae a S. V. O. in *Lucana 7 Decembris* 1720, 13 *Septembris* 1721, *et* 17 *Septembris* 1722, *Barchinonen.* 30 *Septembris* 1730.

Altera sed vero ex parte perpendi debet quod Capellae in Xenodochiis erectae uti publicae habendae sunt. Quod et docent generatim DD. praesertim Scavini *Theol. Moralis lib.* 1 *tract.* 2 *disput.* 2 *cap.* 1 *num.* 252. *Traisson. Manuale totius iuris canon. tom.* 3 *pag.* 69 – ibi – « Publica habenda sunt omnia Oratoria benedicta et destinata ad usus sacros, si habeant ianuam in via publica.... « item oratoria domorum Regularium et aliarum communitatum... hospitalium, carcerum. » Quod adeo verum est ut, teste S. V. O., dicta Oratoria nequaquam comprehendantur sub prohibitione Concilii Tridentini Missas in privatis Oratoriis celebrari vetantis ceu videre est in *Viglevanen. Oratorii* 1847, et in *Grossetana diei* 16 *Maii* 1778 §. *Neque* – ibi – « iam *die* 18 *Februarii* 1628. cum de « facultate celebrandi dubitaretur in Hospitali Fratrum « Congregationis S. Ioannis de Deo (S. H. S.) primo de- « finierat *prohibitionem hac de re editam ad Oratoria in Hospitalibus constituta non pertinere*, adeoque Capellas in « Nosocomiis erectas non comprehendi in Sacrosanctae Tri- « dentinae Synodi decreto Missas in privatis Oratoriis ve- « tante, sed eas nomine religiosae domus venire, et Ec- « clesiarum privilegiis frui concludit *Gattic. cap.* 16 *n.* 13 *et seq.*, ac *Fagnan. in V. decretal. numer.* 23. »: unde teste eodem auctore *Traisson. loc. cit.* « in his omnibus li- « citum est omni Sacerdoti missam celebrare absque licen- « tia Episcopi, et omnibus fidelibus Missam audire, etiam « in diebus solemnibus anni. » Cui concinit doctrina recitatae *Grossetan.* in §. *Altera* – ibi – « In publicis « Oratoriis, in locis firmiter Deo dicatis, in Capellis ho- « spitalium Missae audiendae onus impleri nemo inficiatur

« ad tradita per Eminentissimum Petra *Commentar. ad Con-*
« *stit.* 8 *Honorii III num.* 50. »

Neque ad publicitatem dictae Capellae denegandam officere valet deficientia ianuae in via publica. Quandoquidem neque de hoc requisito auctoritates loquuntur pro declarando publico Oratorio in Xenodochiis erecto, neque hoc solum est requisitum, quod Oratorium privatum a publico secernit. Cum et in causa Vercellensi 3 *Aug.* 1675 publicum declaratum fuerit antiquissimum Oratorium a S. V. O. licet intra moenia castri familiae Castellenghi reperiretur. Praeterquamquod in facto observandum esset, num revera ad dictum Oratorium petendum tam tortuosa via percurrenda foret, cum ipsemet testetur Parochus vidisse gentem memoratae sacrificio Missae adsistentem in publica via.

Ceterum quidquid sit tam si attendatur quod Capella in Xenodochio erecta reperiatur, quam si antiquissima consuetudo, quae nos edocet nemine reclamante populum illuc contendisse ad sacrum audiendum, necnon, uti animadvertunt Administratores, in hac, aliisque Galliarum Dioecesibus hospitalium Capellas uti publicas reputari, quas omnes indistincte petunt pro sacro adimplendo in diebus de praecepto, de publicitate Oratorii nullimode ambigendum esse putarem. Qua posita cum certum sit Christifideles ex universali Ecclesiae consuetudine ubilibet sive in Ecclesia sive in publico Oratorio posse praecepto audiendi Missam satisfacere, quin teneantur Paroeciam adire *Bened. XIV De Syn. Dioec. lib.* 11 *cap.* 14 *num.* 10, *Barbos. De Paroch. part.* 1 *cap.* 11 *num.* 18. *Pasqualig. De sacrif. Missae quaest.* 1259 *num.* 9, videretur quod Episcopus minime possit Missas in Oratoriis publicis prohibere eum in finem, ut populum compelleret ad interveniendum Missae parochiali. Hoc enim esset indirecte delere universalem consuetudinem, quae cum vigeat in toto orbe, iam induit naturam iuris communis *Bened. XIV De Syn. Dioec. lib.* 11 *cap.* 14 *num.* 10, quod nullimode valet ab Episcopo abrogari.

Nec secus iudicasse S.V.O. patet ex pluribus decisionibus relatis in *Ariminen. Iur. Paroch. diei* 18 *Ap.* 1722 sub §. *Quia* – ibi – « Operae pretium esse censeo reverenter insinuare,
« Sacram hanc C. C. semper fuisse in sensu, nec Parochum,
« nec Episcopum ad instantiam Parochi impedire posse,
« quominus Missae celebrentur in Ecclesiis sitis in distri-

« ctu Paroeciae, nisi post absolutam Missam Parochialem, « uti habetur in *Suessana die* 9 *Septembris* 1679 *lib.* 30 « *Decret. p.* 416 *a tergo. in Senogallien.* 8 *Februarii* 1681 « *lib.* 31 *Decret. fol.* 343, *in Nullius provinciae Calabriae die* « 11 *Iulii* 1682 *f.* 346 *a tergo, et* 347 – ibi – Sac. etc. « censuit dandum esse decretum editum tenoris sequentis, « *die* 5 *Februarii* 1677. S. Congregatio etc. censuit Ora- « trici dandam esse declarationem alias editam sequentis « tenoris, quaeritur, an Ordinarius ad instantiam Recto- « ris Ecclesiae Parochialis possit praecipere Rectoribus « aliarum Ecclesiarum non Parochialium eiusdem Terrae « ac Districtus, ne Missas celebrent, antequam absoluta « fuerit Missa Conventualis, quae in ipsa Parochiali quo- « tidie celebratur etc. Sac. Congreg. censuit non posse « Ordinarium id prohibere. »

Absque eo quod difficultatem ingerat deficientia populi ad parochialem Ecclesiam non accedentis ob celebrationem Missae in Oratorio. Haec siquidem populi deficientia despecta a S. C. fuisse videtur in *Theatina* 19 *Iunii* 1690, *Forolivien.* 16 *Ianuarii* 1694, *Fulginaten. Oratorii* 7 *Iulii* 1696, *Parmen.* 9 *Augusti* 1698, eamque despectam quoque fuisse a S. C. Ep. et Regul. in *Frisingen.* 17 *Iunii* 1693, tum etiam a S. R. C. in *Ostunen.* 22 *Septembris* 1703, et in *Castellaneten.* 22 *Augusti* 1707, ceu totidem verbis testatur S. H. C. in *Spoletana Interdictionis Oratorii* 20 *Aprilis* 1850 §. *Absque.* Et haec quidem in iure: in facto autem constare videtur aliquid aliud quam zelum Dei et bonum animarum causam fuisse, quae parochum S. Mauritii suasit ad dictam interdictionem provocandam. Et sane si haec ratio militavit pro impedienda Missae celebratione hora octava, quae uti animadvertunt administratores Hospitiorum perutilis est et agricolis, incolisque male firmae valetudinis, concipi nequit cur eadem de ratione minime prohibita venit publica sacri litatio in dicta Capella hora septima, vel etiam nona, in qua revera locum habet in dicta S. Mauritii Ecclesia Missa parochialis. Aliquid aliud esse notavi, et hoc facile coarguent EE. VV. si Parochi verba ad Episcopum scribentis perpendantur : « Non comprendo bene lo scopo, che si fa qui « apparire *la cura pel patrimonio dei poveri.* Il patrimo- « nio piuttosto della parrocchia di S. Maurizio viene dan- « neggiato e desolato di un reddito così meschino, che

« dovrebbe essere garantito e non compromesso con l'usur-
« pare i diritti parrocchiali. »

Hisce igitur bene ponderatis diiudicent EE. VV. quonam responso dimittendum sit

DUBIUM

An decretum Episcopi Gratianopolitani sit confirmandum vel infirmandum in casu.

Reproponatur.

PINNEN. ARCHIPRESBYTERATUS ET CURAE ANIMARUM. = Causae huius species prostat descripta in folio pro Congregatione diei 26 Ianuarii anni nuper effluxi distributo, in quo relata dumtaxat fuere iura Canonicorum, quia allegatio pro Archipresbytero Calvi, postquam folium iam typis erat impressum, exhibita venit. Proposita itaque tunc fuerunt EE. VV. quatuor sequentia dirimenda dubia: I. *An constet de validitate collationis et possessionis Paroeciae S. Angeli favore Sacerdotis Angeli Calvi, ita ut ius habeat standi in iudicio in casu.* Et quatenus affirmative: II. *An sit locus remotioni Sacerdotis Calvi a praedicta paroecia in vim processus summarii a Curia confecti, seu potius sint examinandi testes a Parocho inducti in casu.* III. *An cura actualis animarum resideat penes omnes Canonicos vel penes Archipresbyterum tantum in casu.* IV. *An et a quo cultus expensae sustinendae sint in casu.*

Sess. 21 cap. 6
Sess. 24 Cap. 12
de Reform.

Antequam autem sapientissimum hac super re iudicium proferrent EE. VV. quaestionem comperendinandam censuerunt ad hoc ut Aquilanus audiretur Archiepiscopus. Sequens enim prodiit rescriptum *Dilata et exquirantur informationes ab Archiepiscopo Aquilano.*

Acceptis libenter praeceptis S. V. O. ab Aquilano Archiepiscopo, hic civitatem S. Angeli misit delegatum Canonicum Vastarini. Qui ut sanctissimo muneri sibi concredito satisfaceret et iudicialiter et extraiudicialiter testes audivit. Ex iuratis porro testimoniis deprehenditur arbores caesas aridas infructuosasque fuisse, lampadem ante Augustissimum Sacramentum ex intervallo mansisse extin-

ctam. item ex Sacerdotis iam Parochi depositione eruitur personam, cui denegatus fuit ab Archipresbytero Angelicus panis, minime ipsius poenitentem fuisse: insuper si unum alterumve excipias testem deponentem Archipresbyterum: *preferire le conversazioni gioviali,* vel *negligere il suo ministero, non è decente nei discorsi,* omnes ferme conveniunt in hoc quod nihil in eo reprehensione dignum inveniatur quoad mores, et sacri ministerii exercitium. Dum contra in Canonicos, nonnullis exceptis, habetur quod abnuunt sacramenta ministrare. Omnes autem eo conspirant, ut ostendant quod litigiorum causa sit *l'interesse:* votaque protendunt, ut fine imposito iurgiis et litibus inter Canonicos et Archipresbyterum etiam in Sacrario ipsius Ecclesiae exercitis cum populi scandalo pax redeat inter partes.

Ex depositione autem testium extraiudicialium habetur Archipresbyterum anteacto tempore aleam sed minoris momenti exercuisse in apothecis mexicanis vulgo *Caffè,* mulieri pessimae vitae communionem publice recusasse, minime probabilem esse quod adstiterit matrimonio, denunciationibus despectis. Ab uno teste, quem Archipresbyter inter suos numerat hostes, haberi: *che discorrendo col Pretore del Mandamento, questi gli aveva secretamente confidato di essergli stato rimesso per informazione un carico fatto al Vescovo Mons. Martucci per le persecuzioni esercitate contro l'Arciprete.* Quoad facultatem vero, quam Archipresbyter asseruerat ab Episcopo D'Alfonso obtinuisse, eum in finem, ut in ius Canonicos vocaret, necnon quoad promissionem ab eodem Episcopo ipsi factam obtinendi nempe Bullarum Apostolicarum gratuitam expeditionem, retulit Delegatus scripsisse Episcopo D'Alfonso, qui per ipsius neptem respondit: *Che nè Arciprete nè Canonici hanno voluto prestare ubbidienza ai decreti della S. Visita che emanava all'uopo in presenza di sua Ecc. Mons. Salzano....ed a quanto avesse fatto per conciliare i loro piati,...si riporta perciò ai relativi decreti ed a tutto l'incartamento che esiste al riguardo nell'Archivio della Curia di Penne. Altro non ha da aggiungere tranne che non comprende come in questa causa v'entri il Sig. Gaetano Fiocco.*

Adducit demum documenta ad probanda accusationis capita, quae in numero 1. 2. et 3. habentur. Circa malam vitae ipsius consuetudinem in civitate S. Angeli, et antea in pago Moscufi ait. « Non si afferma d'alcuno che « l'Arciprete abbia pratiche immorali in Città S. Angelo.

« Di quello di Moscufo corre una voce vaga è probabil-
« mente falsa. » Demum quoad ea quae a numero 21 usque ad 24 inclusive habentur refert: « che l'Arciprete non ha « negato, ha dato però dichiarazioni che riesce quasi impos- « sibile controllare. »

Quibus acceptis, necnon declaratione Canonicorum, qui spoponderunt, usque dum pendeat lis: « voler continuare « come sempre nel passato, di provvedere a tutte le spese « occorrenti ad eccezione di quelle che l'Arciprete eroga, « desumendole dai proventi di stola nera per lo stipendio « dell' Economo Curato, per le funzioni del Natale e del « S. Sepolcro, e di prestarsi con tutto lo zelo al servizio « curato a maggior vantaggio della popolazione » relationem, quam typis impressam et seorsim distribuendam putavi, remisi Rmo Archiepiscopo Aquilano qui eam ad S. V. O. trasmittere curavit die 1. Iulii 1878 addendo « in quanto « al mio apprezzamento, dico ingenuamente che non sa- « prei a che appigliarmi. »

Resumpto igitur benigne praeterito folio, necnon allegatione ab Archipresbyteri patrono seorsim distributa, dignentur EE. VV. sequentia enodare.

DUBIA

I. *An constet de validitate collationis et possessionis Paroeciae S. Angeli favore Sacerdotis Angeli Calvi, ita ut ius habeat standi in iudicio in casu.*

Et quatenus affirmative.

II. *An sit locus remotioni Sacerdotis Calvi a praedicta paroecia in vim processus Summarii a Curia confecti, seu potius sint examinandi testes a Parocho inducti in casu.*

III. *An cura actualis animarum resideat penes omnes Canonicos vel penes Archipresbyterum tantum in casu.*

IV. *An et a quo cultus expensae sustinendae sint in casu.*

Ad I. Affirmative, sed ad cautelam consulendum SSmo pro sanatione ac revalidatione, imposita tamen Sacerdoti Calvi obligatione obtinendi Apostolicas literas collationis infra duos menses.

Ad II. Negative in omnibus.

Ad III. Negative ad primam partem, affirmative ad

secundam; Canonicos autem ius habere et obligationem Archipresbyterum coadiuvandi in cura animarum.

Ad IV. Affirmative ab Archipresbytero et Canonicis pro rata, et ad mentem. Mens est quod scribatur Episcopo Coadiutori ut, praeviis exercitiis spiritualibus peragendis ab Archipresbytero et Canonicis, curet eosdem ad reconciliationem et concordiam perducere.

Sess. 21 cap. 4
Sess. 24 cap. 13
Sess. 25 cap. 5
de Reform.

NOVARIEN. CURAE ANIMARUM. = In Congregatione diei 4 Maii 1878 proposita fuit haec causa sub dubii formula: « *An constet de bono iure Sacerdotis Baraggione ita ut sit locus eius manutentioni seu reintegrationi in casu* », et responsum prodiit « *Affirmative in omnibus.* » Ab hoc decreto infra tempora a iure praestituta appellationem interposuerunt Patres Oblati, atque obtento novae auditionis beneficio, causa reproposita fuit in generalibus comitiis diei 24 Augusti 1878 sub assueto dubio « *An sit standum vel recedendum a decisis in casu.* »

Verumtamen attenta defensoris Baraggione petitione dilationem expostulantis, ut ipse nova ab Oblatis adducta documenta ad examen revocare posset, EE. VV. pro ea qua fulgent benignitate et amore iustitiae, Oratoris votis obsecundantes respondere censuerunt « *Dilata.* » Sciendum interea est, quod Episcopus literis diei 14 Septembris 1878 Sacro Vestro Ordini datis retulit Sacerdotem Baraggione et viva voce et scriptis nuncium iam misisse liti penes tribunalia civilia contra Oblatum De Magistris excitatae, ita ut in praesens impossibile ipsi foret eamdem ad examen revocare.

Rebus sic stantibus causam reproponendam duxi in hodiernis Comitiis, tantum admonens quod ferme in pervigilio distributionis a defensore Baraggione mihi nova exhibita fuit Allegatio. Quapropter enixe deprecor EE. VV. benignitatem, ut resumptis praeteritis foliis, necnon nova allegatione circumferenda inspecta, sequens dignentur diluere

DUBIUM

An sit standum vel recedendum a decisis in casu.

In decisis et amplius.

Die Sabbati 15 Februarii 1879 in Palatio Apstolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua praeter alia proponentur infrascripta Dubia, iuxta morem eiusdem Sacrae Congregationis de iure resolvenda.

—

PLATIEN. IURIUM ET PRAEEMINENTIARUM. = Pientissimi Comitis Mazareni Iosephi Branciforti votis annuens Ioseph Artale Parochus in Matrici Ecclesia dicti Oppidi tunc D. Antonio Abbati modo autem Sanctae Mariae ad Nives dicata, anno 1644 voluit, ut in dicta Ecclesia pro maiori Dei gloria et divini cultus augmento Sacerdotum Communia institueretur, qui quotidie alternative ad normam Cathedralium et Collegiatarum chori servitio mancipati fuissent. Quod ut obtineret, simulque Communistarum congruae sustentationi consuleret, omnes fructus, introitus et proventus Ecclesiae suae suique beneficii per se suosque successores Communiae assignavit, reservata tantum favore Parochi pro tempore congrua in annua summa uncearum quadraginta quinque. Exinde regulae de communi consensu a Parocho Artale et electis ab ipso Communistis efformatae fuerunt.

Sess. 24 cap. 18. Sess. 25 cap. 12. Sess. 25 cap. 13. de Reform.

In hisce porro regulis circa iura et Parochi praeeminentias sub articulo secundo statuebatur, ut Parocho praecedentia in omnibus functionibus competeret, et in eius defectu Hebdomadario – ibi – « Si riserva esso beneficia- « to per sè e suoi successori la precedenza, che ci tocca « come beneficiato in detta Matrice ed in ogni altra Chie- « sa, di tutte le funzioni Ecclesiastiche . . . e quando . . . « non volesse o non potesse fare le dette funzioni, tocchi « all'Eddomadario e non altrimente. » Post haec conventum fuit ut parochiales libri penes Parochum manerent cui onus incumberet dimittendi fides, ea tamen adiecta conditione quod « *le ragioni che tocchino, abbian da entrare alla Comunia.* » Ac reservato Parocho, etiam successorum nomine, iure eligendi Capellanos ab Ordinario tamen probandos « *per l'amministrazione de' Sacramenti e cura delle anime, di quelli però che saranno della detta Comunia,* » praescriptae inveniuntur leges pro Officialium Com-

munistarumque electione. Heic enim adnotari debet quod sub articulo, cui titulus *Officio del Maestro della Comunia* perlegitur « Procurerà . . . . avere particolare cura del-
« l'esigenza quale abbia a consegnare al tesoriere della
« Comunia, e quando bene lui non potesse solo attendere,
« farsi aiutare dal Sotto-Communiero senza che si deputi
« salario alcuno, nè altro delli frutti e proventi di decime
« toccanti al detto Beneficiato e suoi successori; esigerà
« dopo la conferma dei presenti Capitoli d' ogni massaro
« un tumino di frumento di più...... »

Quomodo autem in vacatione Communistae forent eligendi, et quid agendum in Paroeciae viduitate praestat audire ex fundationis articulo 11 et 12 – ibi – « In caso di
« morte d'alcuni d'essi Sacerdoti di detta Comunia l'elezione
« sia di detta Comunia per voti segreti, ma la confer-
« ma dee essere del Prelato, che *pro tempore* sarà, sotto
« pena di nullità di detta elezione. – Ed in caso di morte
« d'esso Beneficiato lo successore che sarà nel Beneficio
« conforme la disposizione del Sacro Concilio di Trento
« sia per avere dalla detta Comunia le dette once 40 e le
« dette once 5 del luogo seu Chiusa, come si è detto... però
« per quello tempo che vacherà lo detto Beneficio, e non
« sarà preso il possesso, le dette once 40 e le dette once 5 o
« parte di esse *pro rata temporis* siano della detta Comunia e
« poi del possesso di detto Beneficiato che sarà *pro tempore*
« con avere a pagarsi detto Beneficiato tutte le ragioni
« di Visita.... Sicchè la consegna di dette once 45 prima
« del possesso sarà della Comunia e poi del possesso
« tutto lo resto, del Beneficiato che *pro tempore* sarà. »

Dicta igitur Communiae fundatio una cum adiectis Capitulis Ordinarii tunc temporis Syracusani confirmationi subiecta fuit, qui auctoritate propria omnia firma rataque habuit edito decreto diei 15 Aprilis 1644, adiecta tamen quadam reservatione hisce verbis concepta: « Reservantes
« nobis et successoribus nostris ius visitandi, computa vi-
« dendi, addendi, et mutandi et totum id et quantum pa-
« storali incumbit officio circa visitationem Sacerdotum,
« Clericorum, Ecclesiarum et piorum locorum. » Posteriori at vero tempore, anno nempe 1801, ad instantiam Communistarum indultum fuit ab Ordinario, ut loco Almutiae nigri coloris qua usi fuerant, illa uterentur violacei coloris.

Res hoc aevo non sine contentione processisse videntur. Quandoquidem anno 1841 cum utriusque Siciliae Rex statuisset, ut loco decimarum annua summa in numerata pecunia a Municipio Mazareni rependeretur, et res iam inter Parochum et Syndicum composita fuisset, obstitit antiquior Communista de aliorum mandato, quia erant bona Communiae reservata. Quamobrem composita re inter Parochum, antiquiorem et Syndicum, publico instrumento diei 14 Augusti 1842 statutum fuit ut annua summa ducatorum biscentum loco decimarum solveretur in manus « *del* « *Capo Collegiale che pro tempore* sarà di detta Reverenda « Comunia acciò l'istesso li cumuli cogli altri introiti e « farne la dovuta distribuzione a mandati firmati in pri- « mo luogo dal Parroco, giusta e come sta descritto in « una sentenza proferita dal Consiglio d'intendenza il di « 16 Novembre 1841....» Spopondit eodem vero tempore Communiae delegatus « pagare al summentovato Parroco « e suoi successori la somma di onze quaranta annuali al « medesimo dovute, giusta i Capitoli di fondazione . . . « Quale onze quaranta . . . il Capo Collegiale deve pre- « levarle dalla Massa totale degl'introiti di detta Reveren- « da Comunia. »

Nec satis; cum Christi Sponsa sub hostili dominatione, Deo ita permittente, constituta fuisset anno 1860, Communistae capta occasione vacationis Paroeciae sibi addicere contendebant prae Oeconomo ius benedicendi cadavera, et in posterum etiam peragendi functiones omnes feriae quintae et sextae in Parasceve. Horum tamen tentamina in irritum cessere, quandoquidem Curia haec omnia ab Oeconomo peragenda esse decrevit. Exinde factum fuit, ut ipsi ab associandis cadaveribus cum populi scandalo abstinuerint et dein, referente Episcopo, provocarunt a laica potestate decretum ad hoc, ut publica cadaverum per viam associatio prohiberetur; quod revera contigit, et nonnisi inclamante populo iniquum decretum fuit abrogatum.

In tantis dissidiis et iurgiis non sine magno populi scandalo Communistae, ut cuivis litis finis imponeretur, sub die 23 Iunii 1877 S. V. O. adiverunt enixe adprecantes, ut EE. VV. haec dubia dirimere dignarentur 1.° « Può il « Parroco ledere la legge fondamentale della Comunia « invitando a funzionare un Comunista, che non sia l'Eb- « domadario della settimana e molto più un Sacerdote

« fuori del corpo della Comunia ciò che è contrario al-
« l'articolo 2° della fondazione? – 2° Morto il Parroco, ed
« essendovi un Economo durante la vedovanza della Par-
« rocchia si possono attribuire a quest'Economo gli stessi
« dritti, e le stesse prerogative che si ha la persona del
« Parroco titolare giusta l'articolo 2° della fondazione?
« Oppure non si deve dire che appartiene all'Ebdomadario
« di settimana, come se il Parroco fosse assente o impe-
« dito a mente del sopra citato articolo 2° della fonda-
« zione? – 3° Nell'associare i cadaveri, ed in qualunque al-
« tra processione solenne ove intervengono i Comunisti
« capitolarmente colle proprie insegne, può l'Economo in-
« terino incedere con la stola al primo posto, che si spet-
« ta al Parroco titolare beneficiato in virtù della fonda-
« zione? Ovvero non è questo un dritto dell'Ebdomada-
« rio giusta l'articolo 2° della fondazione e dei Canoni
« della Chiesa? – 4° Se poi l'Economo sarebbe un sem-
« plice Sacerdote od un religioso potrà preferirsi all'Eb-
« domadario? – 5° Può il Vescovo durante la vedovanza
« della Parrocchia, concedere ad un Economo qualunque
« tutti quei diritti e privilegi, che sono stati dalla Comu-
« nia, e dall' Ebdomadario posseduti ed esercitati per ben
« 233 anni? »

Has preces uti fieri solet die 23 Iunii 1877 remisi Episcopo pro informatione et voto, audito parocho in scriptis. Quibus obsequens mandatis Revmus Praesul sub die 21 Augusti 1877 literas dedit, in quibus, postquam monuit Paroeciam esse vacantem, totus in eo est, ut iura Parochi et Oeconomi super controversis articulis defendat. Quinimo monet, quod praedicti fundationis articuli vix aut ne vix quidem observati fuerunt. Siquidem funerum emolumenta quae Communiae cedere debuissent, in facto a Parocho percepta fuere; item, licet in articulo tertio fundationis emolumenta ex fidibus provenientia Communiae cedantur, ea tamen iugiter Parocho tributa fuerunt, ceu de dictis emolumentis Administrationis libri probe testantur. Nec aliunde congrua uncearum 40 sufficiens est, hac nostra aetate, pro honesta Parochi sustentatione, attento praesertim taxarum numero paroecias et beneficia praegravante. Adnotat deinde quod ad Platiensem Sedem evectus quatuor Capellanos reperit extra Communistas electos contra articulum sextum fundationis, et Oeconomis Curatis in vacationibus Paroeciae constitutam

fuisse, ad iuris tramitem, congruam pro honesta vitae sustentatione contra praescriptum articuli duodecimi fundationis, ceu exempla perhibent de anno 1847, 1867 et 1872.

Quibus aliisque a me in specie relatis et in altera huius libelli parte referendis, Rmus Episcopus ad avertendas quaestiones in posterum orituras nonnulla dubia et ipse diluenda proponit: quae inter inveniuntur dubia tam circa Communistarum onera interveniendi ad omnes functiones parochiales et solemniores ad Rectorem Ecclesiae pertinentes, quam circa Rectoris Ecclesiae iura *supra libris Parochialibus, officio benedictionis et cadaverum associatione, eorumque funeribus ac campanae mortuariae sonitu, necnon pro matrimoniis contrahendis*. Quae autem omittenda censui ob editam super his a Procuratore Capituli renunciationem. Praeter haec autem alia dubia excitat, ab eodem Procuratore accepta, tam super iure percipiendi summam ducatorum biscentum, quae a Communitate Mazareni loco decimarum solvuntur, quam super iure deferendi Almutium super Cottam, et super opportunitate impetrandi ad hoc Apostolicum privilegium praeviis Communistarum humillimis precibus.

Quibus habitis atque actis de more completis sub die 27 Aug. anni 1877 causam in folio inscribi mandavi sub dubiorum formula in calce huius libelli relata, praesentemque diem pro eorumdem discussione statui, dum interea pro meo munere summatim referam prius argumenta, quae ab adlecto Communistarum Oratore in allegatione seorsim distribuenda afferuntur, et nonnulla dein pro altera parte adiiciam sive ex officio, sive ex Episcopi literis deprompta.

Communistarum defensor, ut sibi viam sternat ad dubiorum solutionem, conatur ostendere Ecclesiam S. Mariae ad Nives veram esse collegiatam, et ipsos proinde Communistas collegium efformare. Hoc autem ex indiciis conficere studet, quae, ceu docent Canonistae, satis superque sunt ad evincendam alicuius Ecclesiae collegialitatem, licet non constet de fundatione et privilegio *S. C. in Caputaquen.* 16 *Ian.* 1620 *relat. a Barbos. lib.* 2. *Iuris Eccl. cap.* 6 *n.* 14. et *De Canon. et Dignit. cap.* 2. *n.* 12. Huiusmodi porro signa sunt commune sigillum, communis arca et Massa, ius convocandi Capitulum penes eum qui gerit figuram capitis; electio et collatio Canonicatus facta per Capitulum et Canonicos; possessio Canonicatuum tradita cum assignatione stalli in choro,

et loci in capitulo; iuramentum praestitum de servandis constitutionibus, statutis, et Ecclesiae consuetudinibus; habitualitas curae penes Collegium residens; et insignia quibus Sacerdotes ornantur. Nec subdit, necesse est, ut haec omnia indicia concurrant, ut Ecclesiae collegialitas statui possit, sed satis est aliquas adesse coniecturas seu indicia et signa, ex quibus ipsa argui valeat et verisimiliter credi; quemadmodum tenent Barbosa aliique Doctores per Lotterium recitati in *quaest. 14. n. 79.*

In facto autem esse contendit plura Collegialitatis signa in themate concurrere. Memorata enim Ecclesia ab ipsa fundatione habet Parochum tamquam caput, caeteri autem sacerdotes uti membra, qui omnes *ab immemorabili* rochetum et almutium induunt violacei coloris nullo Episcopo contradicente. Ipsis traditur insuper possessio praebendae cum assignatione stalli in choro praesente collegio, atque ex ipsa fundatione electio Collegialium ad Collegiales ipsos spectat; imo habitualis animarum cura est penes collegium. Hoc ultimum autem conficere curat, tam ex fine institutionis, quae fuit praebendi plurium Sacerdotum assistentiam in Ecclesia Matrici, quam ex obligatione Parochi coadiutores sibi assumendi in cura animarum gerenda ex Communistis, prouti aperte docent fundationis leges. Quibus si addas quod a comite Mazareni et Parocho Artale fundari voluit Communia ad instar *Cathedralis et Collegiatae* et quod non modo in instrumento transactionis cum Mazareni municipio de anno 1842 Communistae vocantur *Canonici* sed et in ipso regio Decreto, si addas demum quod ab actuali Antistite Communistarum caput dicitur *Capo Collegiale*, nullatenus ambigendum esse putat Orator memoratam Ecclesiam Collegiatam esse, Communistasque collegium efformare.

Perperam ad collegialitatem destruendam obiici posse contendit curam animarum in fundatione soli Parocho fuisse reservatam: teste enim *Ferraris verb. Collegiata n.*75 « Ecclesia parochialis erigi potest in Collegiatam, et nihilominus « cura remanere penes parochum, prout antea erat, non au- « tem in Collegium vel dignitatem transferre. » Minusque subdit ad collegialitatem destruendam adduci posse, quod in facultate Episcopi non sit collegiatas erigere. Respondet enim cum Rigantio in *Comment. ad reg. 4 Cancell.* § 2 *n.* 95 quod « Antiquitus apud DD. et tribunalia commu- « niter vigebat opinio, quod possent locorum Ordinarii simi-

« plices seu parochiales Ecclesias in Collegiatas erigere. » Cum igitur Mazareni Ecclesiae tributa fuerint ab Ordinario collegialitatis signa, indubie tenendum concludit eamdem vere Collegiatam esse. Minusque obiici posset quod signa, quae memorata habet Ecclesia, etiam communitativis Ecclesiis conveniunt; reponit enim cum *Rota in Placentina Parochialis 27 Iunii 1636 § Sed quod in fin. cor. Panzirolo* – ibi – *collegiata non indicatur a nomine sed a substantia et effectu* –. Cum igitur collegialitatis signa optime Ecclesiae Mazareni aptentur, cumque collegium universitas et communitas idem importent teste *Fagnan. in cap. Responso 43 De Sententia Excommunic. n.* 35 certo concludit in themate agi de Collegiata, et Mazareni Communitatem verum collegium constituere.

Quo posito fundamento, ad singula dubia enucleanda descendens, sustinet non posse Parochum Sacerdotem sibi benevisum deputare ad sacras functiones peragendas, tam si spectetur lex fundationis, quam consuetudo, quae ambae militant favore Hebdomadarii. Lex enim fundationis aperte praescribit in articulo secundo *e quando bene* Parochus *non volesse o non potesse fare le dette funzioni, tocchi all'Ebdomadario e non altrimenti*. Nil mirum perinde si, excitata hac super re anno 1869 quaestione, Platiensis Curia fundationis legi inhaerendo eamdem diremit Hebdomadarii favore « che le succennate funzioni di Messe, processioni ed » altro devono celebrarsi nella vacanza del Parrocato, dal» l' Ebdomadario beneficiale della Comunia »; et si actualis Antistes die 12 Septembris 1876 dum apposito decreto reservavit Parocho paroeciales functiones, addidit *in di cui mancanza sarà sempre surrogato dall'Ebdomadario ed in di lui mancanza dal Seniore della settimana*. Et optimo quidem iure: subdit enim quod exercitium dictarum functionum eatenus Parocho competunt, quatenus caput est Collegii, in cuius locum substitutus venit Hebdomadarius. At ex iure habetur quod substitutus succedit in omnia iura et praeeminentias subrogati. Spectata igitur fundationis lege Parocho ius non est alium Sacerdotem praeter Hebdomadarium deputare ad sacras functiones peragendas. Nec aliter statuendum venit ex consuetudine, quae cuiusque dispositionis optima censetur interpres et magistra, omnemque tollit dubitationem. Iamvero testibus aedituis dictae Ecclesiae, cui alter inserviit per spatium 26

annorum, alter 47, habetur quod *in mancanza di Parrochi ha subentrato l'Ebdomadario di settimana, ed in difetto di questo l'anziano Canonico.* Cum igitur in casu consuetudo concurrat Hebdomadarii favore, cumque ipsa in praeeminentiarum materia maximi sit facienda, ambigendum non esse concludit, quominus decernatur minime competere Parocho ius deputandi alium Sacerdotem ad sacras functiones peragendas praeter Hebdomadarium.

Ad secundum dubium descendens Orator tenet Oeconomo quidem competere ea quae propria Parochi sunt, uno veluti verbo, onera et minime iura et praeeminentias. Hoc autem statuere conatur ex super recitato articulo fundationis recitatoque actualis Ordinarii decreto, ex quibus elucet in Parochi defectu Hebdomadarium succedere in iure sacras omnes functiones peragendi; necnon ex consuetudine quam probant supra memorati aeditui, qui uno veluti ore testantur *nella vedovanza della Chiesa... le funzioni tutte parrocchiali ed ecclesiastiche... come le processioni, si sono sempre celebrate dall'Ebdomadario.* Quod etiam de iure tenendum esse sustinet, ne Collegialium ordo subvertatur, dum Oeconomus, qui non est rector Ecclesiae sed *mercenarius*, quique tantum potest, quantum ei fuit commissum, anteponeretur hebdomadario, qui ipsi collegio praeest, quique ex ipsa fundationis lege loco Parochi succedere debet.

Verumtamen et si in absurda hypothesi statui velit Oeconomum succedere in omnia iura et praeeminentias Parochi praedefuncti, interveniente tamen Communistarum collegio, adhuc subdit ad Hebdomadarium et minime ad Oeconomum pertinere ius deferendi stolam atque in loco digniori incedendi sive in funeribus sive in solemnibus processionibus. Primo ex eo quod Hebdomadarius, beneficiatus cum sit, habet iuris adsistentiam in praecedendo caeteris aliis in propria Ecclesia, qui beneficiati non sunt, quemadmodum est Oeconomus; maxime ubi agitur de stolae delatione, quae est tantum signum sacerdotale, et non dat iurisdictionem et praerogativam; *Antonell. de regim. Eccl. Episc. lib.* 3 *c.* 18 *n.*21. Secundo ex eo quod Hebdomadarii favore militat consuetudo de qua recensiti aeditui testantur. « Le processioni si sono sempre celebrate dall'Ebdomadario, ed assente questo dall'anziano, assente il parroco o vedova la Chiesa... nell'associazione solenne dei Cadaveri, allorquando è stato invitato il Capitolo dei Canonici, ed essi essendo

« intervenuti in corpo in rocchetto e mozzetta la stola si « è indossata dall'Ebdomadario di settimana... e non dal« l'Economo provvisorio ». Sed in materia praecedentiae attenditur locorum consuetudo vel quasi possessio praecedendi; qui enim in huiusmodi possessione reperitur, tam in processionibus publicis quam privatis, appellatione remota, praecedere debet ex Constit. Gregorii XIII, ceu totidem verbis tradit *Antonell. loc. cit. cap.* 18. *n.* 6. Cum igitur pro Hebdomadario *immemorabilis* stet consuetudo, concludendum esse pergit, quod in hypothesi licet absurda, quod Oeconomus in iura et praeeminentias Parochi succedat, interveniente tamen Communistarum collegio in processionibus publicis, et cadaverum associatione, Hebdomadario et minime Parocho competit ius deferendi stolam et in loco digniori incedendi. Eo vel magis tertio, quia hoc ius per tanti temporis decursum ab Hebdomadario praescriptum fuit, cum notum sit ad inducendam praescriptionem in praecedentiae materia satis esse decennalem observantiam teste *Ferraris verb. Praecedentia n.* 87.

Nec pariter Episcopum statuta Communistarum immutare pro lubito posse contendit Orator, quemadmodum in quarto dubio proponitur. Ipsa enim roborantur plusquam duorum saeculorum observantia, quae ipsa centenaria fortior est, et haec adeo efficax existit « ut sup« pleat vices expressi privilegii Apostolici, cum ea so« la nominali differentia, quae inest inter tacitum et « expressum » *Rota cor. Ansaldo dec.* 546. *n.* 11. Cum igitur in Episcopi facultate non sit mederari statuta expresso Apostolico privilegio confirmata, dicendum est, quod neque moderare valet illa quae innituntur tacito privilegio Supremi Principis, quod expresso aequiparatur ex *L. Cum quid ff. § Si cert. pet.*

Contendit in quinto dubio pecuniae summam, quae a Communitate Mazareni decimarum loco rependitur ad Communistas spectare. Siquidem ex lege fundationis, *tutti l'introiti frutti e proventi del suo beneficio curato* Communiae debentur, exceptis unceis 40 Parocho pro congrua solvendis *liberi ed espediti da ogni aggravio*. Quae inter decimas numerandas esse aperte clarere dicit, ex iis quae inferius leguntur sub titulo *Officio del Maestro di Comunia*, in quo habetur eumdem teneri *avere particolare cura dell'esigenza quale abbia a consegnare al tesoriere della Co-*

munia..... Delli frutti però e proventi di decime..... esigerà da ogni Massaro un tumino di frumento di più etc. Iamvero si attendatur decimas ab ipso Communiae magistro exigendas esse, atque thesaurario, et minime Parocho, tradendas, si subsecuta observantia spectetur, quae edocet ipsas in massam communem redactas fuisse, ambigendi locus non est, quominus etiam nunc pecuniae summa, quae decimarum loco a municipio rependitur Communiae debeat attribui.

Quod adeo verum esse prosequitur, ut anno 1842, quando nempe regia voluntas imperavit, ut quaedam pecuniae summa loco decimarum debuisset persolvi a municipio, de bono et aequo inter Parochum et Syndicum definienda, Communistis reclamantibus, factum fuit, ut etiam caput Communiae interveniret pro dicta pecuniae quantitate statuenda loco praestationis in natura. Quo tempore, pergit, et recognitum fuit ab ipso Parocho ius decimandi Communistis competere, dum convenit summam bisceutum ducatorum solvendam esse « a mano del capo « collegiale... acciò l'istesso li cumuli cogli altri introiti, e « farne la dovuta distribuzione a mandati firmati in primo « luogo dal parroco giusta e come sta descritto in una sen« tenza proferita dal Consiglio d'intendenza il 16 Novembre « 1841 » firmo tamen manente onere « di pagare al « summentovato Reverendissimo Parroco e suoi successori « la somma di onze quaranta annuali al medesimo dovute « giusta i capitoli di fondazione. »

Quoad sextum et ultimum dubium edicit Communistas esse in pacifica possessione deferendi almutium super cottam, nullo usque adhuc Episcopo reclamante, proindeque, ipsos ab onere privilegium probandi eximi; praesertim cum iidem nitantur *immemorabili* consuetudine, quae facit praesumere quemcumque meliorem de mundo titulum, ipso non excepto Apostolico beneplacito. Quin dicatur hoc privilegium obtinuisse ab Episcopo: praesumendum enim esse sustinet Ordinarium minime se contra canonum dispositionem gerere voluisse in hoc privilegio concedendo, sed potius ad hoc speciali facultate praeditum fuisse. Verum in absurda hypothesi quod dictum privilegium in iure haud valeret sustineri, locum esse censet Apostolicae concessioni, ne, decreta expoliatione, scandala et admirationes oriantur in populo cum coetus ecclesiastici dedecore et detrimento.

Altera ex vero parte animadvertendum occurrit, quod licet inficiari nequeat alicuius Ecclesiae Collegialitatem evinci posse a signis, coniecturis et indiciis, quae collegialitatem univoce concludunt *Innocent. in cap. Postulasti n. 1. de Iurepatr. Lotter. De re benefic. lib. 1. cap. 14. n. 54, Barbos. de Iur. Eccles. lib. 2. cap. 6. n. 5., Petra ad Constit. 7. Innocent. 4. sect. 2. n. 16. tom. 3.* tamen in casu id statui non posse videtur, eo quia ad signa confugiendum esset, quatenus originaria erectionis tabula deficeret. Coniecturis enim locus est in incertis *L. Continuus 137 de verb. oblig.* Stante igitur fundationis tabula erectionem Communiae expresse enunciante, comprehendi minime potest, quomodo statui velit ab adversa parte Ecclesiae Mazareni collegialitas, ex memoratis signis, quae omnia ferme receptitiis Ecclesiis sunt communia, prouti pluribus relatis auctoritatibus probat S. C. in *Setina Chor. et Miss. Convent.* 10 *Dec.* 1785. §. *Plurima et seq.* Maxime vero quia auctoritate Episcopi ordinaria anno 1644 memoratam immutationem evenisse putat, quando nempe iam per resolutionem S. C. EE. et RR. in *Tropeien.* 22 *Iulii* 1583 *Messanen.* 4 *Iunii* 1602, *Aurien.* 23 *Maii* 1614 et S. H. O. anni 1623. prout notat *Riganti in Reg. 4. Cancell.* §. 2. *n.* 95. *Piton. Discept. Eccl.* 116. *n.* 30. *tom.* 4. declaratum iam fuerat erectiones Ecclesiarum Collegiatarum S. Sedi tantummodo reservatas esse. Eversa igitur collegialitate Mazareni Ecclesiae, nihil Communistis suffragare videtur consuetudo, de qua etiam inferius redibit sermo, eo quia totum ipsa robur acquireret ex approbatione statutorum ab Episcopo confecta, qui nequit iuri communi derogare: S. C. in *Ferentina Capellaniae* 1 *Martii* 1834 §. *De legis.* Ipsa subinde a titulo vitioso descendens nullimode sustinenda videretur, dum in omnium ore pervolitat adagium *quod initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere.*

Quibus praemissis ad singula dubia descendens Episcopus tenet Parocho ius competere Sacerdotem sibi benevisum deputandi, licet Communista non sit, ad sacras functiones peragendas. Ac principio admonet, indubii iuris esse ad Parochum in propria Ecclesia functiones omnes ecclesiasticas spectare, et pertinere non obstante quacumque consuetudine, ceu definivit S. R. C. in *Verulana die 2 Martii* 1641. apud Gardellini *n.* 1152. Neque refragari

posse contendit resolutiones, quae a SS. Congregationibus editae fuerunt pro Collegiatis Ecclesiis Curatis. Siquidem diversimode res se habet in Communiis, dum in illis, Apostolica demandante auctoritate, Ecclesiae status ita immutatus manet ut Capitulum censeatur Rector et Sponsus Ecclesiae *Pyr. Cor. Prax. Benef. lib. 2. cap. 2. num.* 24, penes quod habitualis residet cura animarum per designatam personam exercenda *Pignat. tom.* 9. *consult.* 150, *n.* 3.; in istis vero remanet Parocho veluti unico Ecclesiae Sponso tam habitualis, quam actualis animarum cura. Audiatur sane Episcopus. « La Parrocchia si conferisce al « Parroco nelle stesse forme come si conferiva prima « della Comunia. Ciò importa, che l' onnimoda giurisdi- « zione della cura abituale ed attuale risiede presso il « Parroco, come per lo innanti, ed il Parroco, nelle Co- « munie è di diritto l' esclusivo Rettore e Sposo della « Chiesa giusta la teoria di Oldrado ammessa universal- « mente da tutti i Canonisti: *id enim recte procedit in illis* « *Ecclesiis in quibus presbyteri divina ministrantes non fa-* « *ciunt Collegium, secus vero in Ecclesiis Collegiatis ut egre-* « *gie distinguit Oldradus cons.* 67. ita *Pignat. loc. cit.* »

Quod adeo verum esse propugnat, ut literae collationis, quae a Curia expeditae fuerunt post erectionem Communiae, amplissimis ita conceptae sint verbis, ut extra omnis dubitationis aleam ponant omnimodam iurisdictionem in Parocho remansisse, perinde ac si Communia numquam extitisset: legitur enim in literis collationis de anno 1764: « Nos de Rectore dictae Ecclesiae providere volen- « tes, tibi eamdem Parochialem Ecclesiam Matricem *cum om-* « *nibus annexis suis, iuribus et pertinentiis universis* conferimus « et assignamus. » Iisdem ferme verbis conceptae fuerunt literae collationis Parocho datae anno 1847, et 1874. Cum igitur Parocho competat ius omnes Ecclesiasticas functiones peragendi in propria Ecclesia, non obstante quacumque consuetudine, cumque hoc ius et ipsis in collationis literis reservatum fuerit, percipi nequit quomodo idem restringi velit ad hoc, ut in eius facultate non sit alium Sacerdotem pro eorumdem exercitio delegare.

Quin aliquid facessere valeat articulus secundus Constitutionum, vel consuetudo quae in contrarium adducitur. Non articulus Constitutionum; ipse enim prouti ex Parochi Artale renuntiatione procedens tantum vires suas exe-

rere poterat in praciudicium renuntiantis, non vero successorum proprio iure venientium absque confirmatione S. Sedis, et quidem non in forma communi, sed speciatim ex certa scientia, et cum causae cognitione; quemadmodum agentes de transactione loquuntur *Fagnan. in lib.* 1. *Decret. De transact. in cap. Veniens n.* 2. *et* 3, *Reiffenst. ad eumd. loc.* §. 3. *n.* 63. *et* 64, *De Luca De Benef. disc.* 32. *n.* 13, *Pignatelli tom.* 4. *consult.* 27. *n.* 9.

Non consuetudo, quia primo ipsa probata non fuit, cum probari debuisset quod Hebdomadarius functiones exercuit tamquam talis, prout esset iustificandum ad tradita per S. C. in *Aesina Iurium Parochialium* 25 *Augusti* 1877 § *Minusque* et quidem per spatium numquam interceptum 40 annorum veluti post *Text. in Cap. Irrefragabili de offic. ordin.* tradit *Rota cor. Molines decis.* 962, *n.* 17, *et decis.* 1316, *n.* 19: quia secundo ipsa veluti iurium parochialium laesiva tamquam abusus et corruptela haberi debet, uti passim docuit S. O. licet ageretur de quadragenaria vel centenaria consuetudine ceu videre est in *Baren. Iurium Parochialium* 28 *Augusti* 1756, *Nullius Sublacen. Iurium Parochial.* 29 *Ianuarii* 1825, *Firmana Iurium* 30 *Iunii* 1877 § *Urget, Oritana Iurium Parochialium* 22 *Septemb.* 1877 § *Incassum.*

Descendens ad secundum dubium tenet Antistes Oeconomum succedere in iura et praeeminentias parochi praedefuncti, quippe qui et de iure iurisdictionem ordinariam habet, et curam aliasque functiones Parochiales omnes exercet instar Parochi cuius vices gerit, et cui substitutus est in cura et officio. Pronum autem prostat in iure principium, quod substitutus de iure succedit in locum illius, cui subrogatus est, in commodis aeque ac in incommodis *L. un. c. De Offic. Vicar.* eodemque iure ac privilegio utitur *Rota decis.* 252 *num.* 7. *part.* 5 *recent., Gratian. Discep.* 298 *num.* 4. Cum igitur Oeconomus in iura et pertinentias Parochi succedat, fingi nequit quomodo eidem relinquenda sint tantum onera, atque e converso iura et praeeminentiae Communistarum hebdomadario tribuantur: minime enim rationi congruit ut alter succedat in onera, alter vero substituatur in honore. Nil mirum proinde si in consimili quaestione, uti in specie retuli, Ecclesiastica Curia licet sine iudicii strepitu eamdem Oeconomi favore diremit.

Post haec parum immorandum censeo in tertio dubio. Scitum enim in iure est, quod in huiusmodi controversiis

non attenditur maioritas vel minoritas personae, sed exercitium actus et indumentum sacrum ad effectum habendi praecedentiam. Si igitur Oeconomo competit ius omnes functiones ideoque et supplicationes peragendi, si ipse Parochi personam gerit, prono veluti alveo fluit, quod ad ipsum spectat et stolam deferre et in loco digniori incedere; praesertim in cadaverum associatione, in qua stolae delatio est signum iurisdictionale prouti deducitur ex auctoritate *Scarfant. in p.* 3. *addit.* 39. *n.* 80.

Ad quartum quod attinet dubium satis superque esse videtur perlegere approbationem ordinationum quae ab Episcopo Syracusano apposita fuit, ubi disertis verbis habetur: « Reservantes nobis et successoribus nostris ius « visitandi, computa videndi addendi et *mutandi* et totum « id et quantum pastorali incumbit officio ecc. » Quae verba adeo clara sunt ut interpretatione non egeant ad tribuendum Episcopo ius moderandi quolibet tempore Communistarum statuta; interpretationi enim locus est quoties occurrit verbum dubitabile *L. Et ideo* 11 *ff. de leg.* non vero quando verba per se clara sunt. Fortius autem hoc tenendum, quia ipsi Communistae ne obmussitarunt quidem, quando Episcopus in decursu S. Visitationis de anno 1876, attenta redituum tenuitate, reduxit chori servitium.

Praeter quod autem post eas variationes, quae in nonnullis fundatiônis capitulis, nemine reclamante, factae fuerunt, quemadmodum in facti specie notatum fuit, praescriptionem inutiliter pro se invocaret Communistarum coetus; additur etiam, quod etsi Episcopi antecessores hac facultate usi non fuerint, non descenderet, quod Episcopus amisit ius statuta mutandi a fundationis lege ipsi reservatum; cum ageretur de actibus facultativis, in quibus praescriptio non currit, nisi praecedente prohibitione et legitima acquiescentia *Portius de Manut. observ.* 53 *n.* 1 *et* 28, *Pignatell. Consult.* 143 *n.* 31 *in fin. tom.* 9, *Rota decis.* 253 *n.* 8 *part.* 3 *recent.*

Summam autem ducatorum biscentum quae a Mazareni Municipio decimarum loco rependitur, parocho tribuendam esse urget Episcopus, ex eo quia ab ipsis fundationis tabulis descendit, decimas favore Parochi reservatas fuisse. In articulo enim: « *Officio del Maestro di Comunia* » postquam mandatum fuit proventus Ecclesiae ab eodem colligendos remittendosque in thesaurarii manus, illico habetur

« *delli frutti però e proventi di decime spettanti a detto* « *beneficiato e suoi successori.* » Quod si isthaec locutio cum ea comparetur, quae in cessione ipsa bonorum Paroeciae perlegitur pro constituenda Communia « *mette alla Co-* « *munia tutti l'introiti frutti e proventi del suo beneficio* » exinde infert, decimas in beneficiati et minime Communiae favorem reservatas esse, dum in mox recitato articulo aperte declaratur decimas spectare « *a detto beneficiato e suoi successori.* »

Unde ipsamet civilis auctoritas in demandanda praestatione pecuniae loco decimarum rem bene perpendendo constituit, ut Parocho congrua biscentum ducatorum a municipio solveretur decimarum loco, et unceae 110 et 16 pro Vice-parochis, et Ecclesiae cultu versarentur in manus « *del Capo Collegiale.* » Ita enim retulit Minister internis rebus praepositus: « La Consulta di Sicilia incaricata di ordine « Sovrano a dare il suo avviso intorno al progetto di abo- « lizione delle decime a favore del Parroco di Mazzarino « colla costituzione ad esso di congrua ed assegni ha nel- « la sessione . . . . ad unanimità opinato di potere Sua « Maestà non altrimenti giudicando ordinare, che laddo- « ve il Parroco . . . consentisse, si assegnasse al medesi- « mo ed ai Parrochi futuri sullo stato di cassa comunale « la congrua di ducati duecento annui in luogo della pri- « mizia finora riscossa. Che le once 110 e 16 annuali as- « segnate per il mantenimento dei Sotto-parrochi e per « lo culto, esercizio della Chiesa si passassero direttamen- « te al Capo Collegiale della Chiesa parrocchiale. » Si igitur Commissio, quae omnia certe perpendit, hanc pecuniae summam Parocho decimarum loco rependendam esse statuit, non obstante quod inibi Communiam reperiri noscebat, apparere profecto ait eo tempore decimas Parocho tributas fuisse, ipsique subinde substitutionem pecuniae debitam esse.

Quin dicatur, etiam caput collegii, ut vocant, Communistarum nomine civili auctoritate imperante contractui interfuisse mediante sententia. Haec enim prodiit non a Commissione, non a ministro pro internis negotiis gerendis proposito, quibus status Ecclesiae notus erat, sed a potestate subalterna vulgo *Sottointendente di Terranova*, cui Communistae recursum habuerunt, quique forte de Ecclesiae statu ignarus erat, unde edixit ob municipii uti-

litatem, ne lites enascerentur, etiam collegii caput intervenire debere; addidit sed vero « qualora dal Parroco si facesse « opposizione per intervento del cennato Capo Collegiale « se ne redigga il circostanziato rapporto dal Sindaco, cui « sospenderà la stipulazione sino ad ulteriori provvedi« menti. » Nil mirum subinde si delegatus Communistarum hac arrepta occasione et forte bonae fidei Parochi confisus illico quamdam cessionis dictae summae speciem ab eodem exegit, spondens ex altera parte « *pagare . . . . la somma di onze quaranta annuali al medesimo dovute giusta i capitoli della fondazione della detta Reverenda Comunia.* »

Sextum aggrediens dubium Rmus Praesul praemonet die 19 Iunii 1764 Communistas obtinuisse ab Episcopo *auctoritate ordinaria* facultatem gestandi superpelliceum et almutium nigri coloris, quod dein in violaceum conversum fuit Episcopali auctoritate, edito in S. Visitatione decreto die 17 Septembris 1801. Porro Episcopi in hac materia habituum et insignium in choro per ipsos canonicos gestandorum, ac etiam circa illorum colores nullam prorsus auctoritatem habent, cum omnia Papae sint reservata, ceu tradit *Scarfant. ad Ceccoper. Lucubr. Canon. lib.* 1 *tit.* 7 *num.* 3, *Ricc. decis.* 332 *num.* 3 §. *Caeterum, Pit. discept. Eccl.* 116 *num.* 47 *tom.* 4, ubi habet quod iste habitus « neque « gestari licitus, nisi concurrat speciale privilegium Apo« stolicum, praesertim resistente titulo erectionis Ecclesiae, « quae non concessit talem habitum proprium Collegiatae « Insignis, ut in *Gerunden. Almutiarum* 13 *Ian.* 1690 *et « in Ianuensi Insignium* 4 *Febr.* 1705. » Minime autem suffragatur consuetudo, quae in contrarium adducitur, antiquitas enim et longa consuetudo non dat privilegium, quod de iure communi possideri non potest *Pignatell. tom.* 6 *consult.* 59 *num.* 10, quodque nonnisi ex Principis concessione haberi nequit.

Verumtamen si hoc super dubio in negativam abeant sententiam EE. VV. videant, prae assueta qua pollent prudentia, et iuris canonici peritia, num, praesenti in casu, ut quaerit Episcopus, Apostolicae concessioni locus fieri debeat, praeviis Communistarum precibus, prouti in septimo dubio exquiritur, dum pro meo munere diluenda propono

DUBIA

I. *An Parocho ius competat deputandi alium Sacerdo-*

tem praeter Hebdomadarium et Communistas ad sacras functiones peragendas in casu.

II. *An vacante Paroecia, Oeconomus deputatus, seu potius Hebdomadarius succedat in iura et praeeminentias praedefuncti Parochi in casu.*

Et quatenus affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

III. *An in funeribus et processionibus solemnibus cum interventu Communistarum ad Oeconomum licet extra Communistas electum, seu potius ad Hebdomadarium competat incedere cum stola in loco digniori in casu.*

IV. *An ius competat Episcopo moderandi quolibet tempore statuta Ecclesiae Communistarum in casu.*

V. *An et cuius favore cedat pecuniae summa quae a Mazareni Communitate loco decimarum solvitur in casu.*

VI. *An ius competat Communistis deferendi Almutium super Cottam in casu.*

Et quatenus negative.

VII *An praevia Communistarum petitione sit locus concessioni dictorum insignium in casu.*

Ad I. Negative et amplius.
Ad II. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam quoad iura et functiones parochiales tantum.
Ad III. Iterum proponatur.
Ad IV. In accidentalibus affirmative, in substantialibus negative,
Ad V. Affirmative favore massae Communistarum ita tamen ut ex eadem summa praelevandum sit supplementum favore Parochi, quatenus hodierni eiusdem reditus iudicio Episcopi non sint amplius congrui.
Ad VI et VII. Nihil innovetur: facto verbo cum SSm̃o.

Sess. 22 Decret. de observant. et evit. in celeb. Miss.

VITERBIEN. MISSAE CONVENTUALIS. = In Cathedrali Ecclesia Viterbien. duo clericorum Collegia extant ad quotidiana divini cultus obeunda munera, Canonicorum primum, Capellanorum beneficiatorum alterum.

Licet unicuique ex praefatis Collegiis idem praestitutus sit finis, idest Deum iugiter in loco sancto collaudare, eique statis horis in templo dicere gloriam, unumquodque tamen nedum bonis atque administratione, sed et muneribus a *prima ipsa institutione* penitus distinguitur ac separatur.

Quoad vero Missae Conventualis onus sciendum est ab ipsa Cathedralis fundatione solos Canonicos presbyteros illud gravasse. Capellani enim Missas statuta cuilibet hebdomada modulabantur, et in minoribus festivitatibus Epistolam et Evangelium cantaturi Canonicis celebrantibus adsistebant. Patet id ex vetustissimis monumentis et praesertim ex Synodo Emi Episcopi Muti anno 1614 celebrata, ubi in Cap. XXV haec leguntur: « Ad presbyteros Missas Conventuales, ad Diaconos et Subdiaconos Canonicos, nobis celebrantibus, ac in Prioralibus festis Epistolam et Evangelium cantandi munus incumbit. Capellani Missas item statuta cuilibet hebdomada modulentur, et Canonicis in minoribus festivitatibus Missarum solemnia celebrantibus Epistolam et Evangelium cantaturi tunica et Dalmatica adsistant induti. » Synodo autem Muti concinit et altera Synodus Emi Episcopi Brancatii anni 1659.

Nec solum vetera monumenta testantur ad Capellanos Missarum Conventualium onus haud spectasse, sed etiam clarissime perhibent eos nec ad Missas *de Feria* nec ad Missas *de Vigilia* obligatos fuisse. Scatet hoc pariter e Synodo Brancatii; legitur enim in ipsa pagin. 6: « Quoties in Ecclesia nostra Viterbien. ex Rubricae Missalis Romani praescripto duas, sive plures Missas Conventuales decantari contigerit, Camerarius Capituli Canonicorum solitam eleemosynam alicui Presbytero eiusdem Ecclesiae aliis oneribus non praepedito tribuat, qui alteram ex huiusmodi Missis canat. » Id autem posteriori tempore qua de causa nescitur, mutatum fuisse patet, siquidem in facto est Capellanos oneratos fuisse celebratione et cantu Conventualis Missae dierum ferialium per hebdomadas decem et octo. Imo volventibus

annis onus omnium Sacrorum conventualium in ferialibus diebus totius anni Capellanis impositum fuisse explorati facti est. Sane cum ipsi praeter alia onera tres Missas planas, seu lectas ut vocant, quarum eleemosyna erat « *la quarta parte di un giulio* » unaquaque hebdomada celebrare tenerentur, preces ad Apostolicam Sedem transmiserunt, ut inspecta reddituum beneficiorum tenuitate, et augmento eleemosynae, earum reductionem obtinerent, et sic miserrima ipsorum conditio leniretur: cumque Emus Episcopus eas veritati inniti retulerit S. Congregationi Concilii id expostulanti, eius arbitrio et prudentiae remissum fuit, ut veris existentibus narratis circa dicta onera Missarum id indulgeret quod divino cultui et pii Fundatoris suffragio expediret. Iamvero huiusmodi rescriptum Emus Episcopus Brancatius die 8 Martii 1664 executioni demandans statuit ut Capellani in posterum unam ex tribus Missis unaquaque hebdomada celebrarent, at voluit insuper ut ipsi omnes Missas Conventuales in ferialibus diebus totius anni canerent et applicarent haud exceptis Missis de *Feria* ac de *Vigilia*.

Insuetum et grave onus superadditum aegro animo tulerunt Capellani, sed nonnisi decem ac octo post annos eius gravamen amplius perferre pertaesi Curiam Episcopalem adiverunt petentes decretum Emi Brancatii deleri. Vicarius Generalis iniustitiam agnovit, at cum ei preces S. Pontifici Alexand. VII oblatae haud innotescerent, (ita enim caute a Canonicis custodiebantur ut ne Emo quidem Episcopo nuper exposcenti tradiderint) decreti nullitatem haud proclamavit, sed satius duxit eius gravitatem temperare Canonicos damnans ad celebrationem 90 Missarum, queis Capellanorum beneficia gravabantur. Huic sententiae haud morem gesserunt Canonici, siquidem Emus Episcopus Santacroce in actu S. Visitationis praefatam sententiam neglectam aspiciens eam decreto suo confirmavit. Ab hoc decreto Canonici appellarunt ad H. S. Congregationem expostulantes decretum Santacroce deleri, et illud Brancatii confirmari.

Pendente sed vero appellatione, amicorum ope ad transactionem anno 1706 ventum fuit, qua cautum est ut Capellani omnes Missas Conventuales in diebus ferialibus totius anni canerent, canonici autem Missas 45 lectas celebrarent, quas Capellani litare tenebantur pro implemento legati Iannotti. Conventio huiusmodi servata fuit ad

haec usque tempora licet non sine querelis ex parte Capellanorum uniuscuiusque aetatis ceu idem Eminentissimus Episcopus innuit.

At cum hodie tenues beneficiorum reditus ob temporis tristitiam imminuti valde fuerint, et numerus Capellanorum admodum decreverit, ad Emum Episcopum confugerunt Capellani ut Rmum Capitulum suaderet ad aliquam pro graviori servitio tribuendam compensationem. Cui petitioni cum Canonici assentiri noluerint, Capellani diligentioribus investigationibus adhibitis primaevas preces apud Alex. VII promotas tandem aliquando invenerunt, a quibus Canonicorum adsertiones penitus profligari putant. His itaque precibus maximopere confisi Capellani iure iudicioque agere iam parabantur, quando Emus Episcopus Patris et Conciliatoris munere fungens rem de bono et aequo componere sategit schema conciliationis iunctum literis suis ad Canonicos transmittens, eosque paterne exhortans ad pacem et concordiam.

At cum illud quoque Canonici amplecti recusaverint, Capellani magis exinde provocati Sacratissimo Principi libellum obtulerunt exposcentes, quod « essendo venuti a conoscere chiaramente la enormissima lesione di tal contratto, » scilicet concordiae anni 1706, « ed essendo venuto a mancare tra loro per l'attuali calamitose vicende il numero primitivo dei contraenti abili al servizio senza speranza di rimpiazzo, supplicano la giustizia della Santità Vostra a dichiarare nullo il mentovato contratto, ed ingiungere a ciascuna delle parti contraenti di ritornare all'antico turno. »

Accepto libello rescriptum fuit ab H. S. Ordine, ut Emus Episcopus audito in scriptis Capitulo informationem et votum transmitteret. Ordinarius ea qua par erat cura mandatis S. Congregationis obtemperans informationem transmisit exposita factorum historia, uti superius enarravi. Addidit autem Capellanorum rationes gravioris momenti sibi videri, et a voto promendo se abstinuit. Tunc rescriptum fuit, ut causa poneretur in folio.

Hoc edito rescripto contendentium patroni unanimiter dubia concinnarunt, quae in calce descripta leguntur. Cum autem hodie causa proponatur, et cum allegationes typis editae mihi oblatae fuerint, praestat earum summam, ut moris est, exponere.

Qui Capellanorum iura tuetur triplici capite orationem suam complectitur. *Primo* propugnandum assumit decretum anni 1664 nullum atque irritum esse. *Secundo* concordiam anni 1706 utpote accessorium memorati decreti pari nullitate infici. *Tertio* tandem infirmata conventione anni 1706 sermonem instituit de modo, quo in themate providendum sit. Primum itaque caput aggrediens contendit praedictum decretum uti nullum, cassum atque irritum esse traducendum eo quod Viterbiensis Episcopus illius temporis ulla absque Romani Pontificis venia, nova et graviora onera superaddidit beneficiis Capellanorum in Cathedrali fundatis. Quod cum fieri expresse prohibuerit Conc. Tridentinum *Sess.* 25 *Cap.* 5 *de reformat.* prono alveo fluere edicit praefatum decretum aperta nullitate laborare. Quin opponere iuvet huiusmodi facultatem Emõ Episcopo tributam fuisse a S. Congregatione, quando anno 1663 missarum reductio a Capellanis expetita eius arbitrio et prudentiae remissa fuit. Id enim respuit clarissime nedum litera rescripti S. Congregationis, sed et spiritus ipsius. Sane respuit *litera*, quia S. Congregatio facultatem Episcopo unice tribuit eam elargiendi reductionem missarum, quae divino cultui et pii fundatoris suffragio magis expediret, ceu clare innuunt rescripti verba, et praesertim illa *veris existentibus narratis circa antedicta onera missarum.* Respuit *spiritus* praefati rescripti. Mens enim et voluntas S. Congregationis fuit, ut *veris existentibus narratis circa onera missarum* conditio Capellanorum leniretur gratiam reductionis impertiendo, minime autem ut ea gravaretur. Quare concludit praedictam facultatem tributam haud fuisse a S. Congregatione. Subdit autem quod si aliquid dubii hac super re fortasse oriri posset, illud statim propulsaret nedum constans et perpetua praxis S. H. Congregationis in missarum reductionibus indulgendis, sed et preces ipsae a Capellanis S. Pontifici oblatae. Scitum enim est Principum rescripta recte interpretari a precibus, quae illis causam dederunt. Rota in *Romana Collationis census* 8 *Maii* 1840 *cor. Zacchia.*

Praeterea nullum atque irritum esse edicit praefatum decretum , quia Ordinarius Viterbii fines mandati seu rescripti S. Congregationis excessit: mandatum enim S. Congregationis fuit, ut veris existentibus narratis circa onera missarum sublevaretur Capellanorum conditio reductionis gratiam elargiendo, minime autem ut ipsa aggravaretur.

Quapropter decretum Antistitis Viterbiensis etiam hoc ex latere inspectum aperta nullitate affici concludit, ceu eleganter innuit ipsemet hodiernus Emus Episcopus in suis literis informatoriis. Huc autem perventus ait ridiculum esse obiicere de huiusmodi rescripto disseri non posse nisi aperitio oris prius impetretur. Inauditum enim est decreta Episcoporum, quae rescripta SS. Congregationum interpretantur, hac oris aperitione indigere.

Ad secundum vero suae orationis caput transvolans non modo nullitate infici ait praefatum decretum, sed infici etiam famigeratam transactionem anni 1706, quia cum dictum decretum anni 1664 fuerit « *base e fondamento dell'istromento di concordia dell'anno* 1706, » et cum illud utpote patenti nullitate laborans corruerit uti mox probatum fuit, prono veluti alveo fluere subdit et concordiam anni 1706 quae praefato decreto accessit, mole sua ruere necesse esse. Quando enim principale non subsistit, nec ea quae sequuntur consistere posse tradunt *leges* 129 *et* 178 *ff. de regul. iuris et ff. de pecul. legat.* Haec satis superque esse instat ad famigeratae concordiae nullitatem illico proclamandam; verum alia vehementiora et validiora argumenta rem perstringere subsumit. Sane canon est iurisprudentiae tum civilis tum Ecclesiasticae transactionem fieri non posse nisi de re dubia et lite incerta, ceu docet *lex.* 1 *ff. de transact.* et *lex.* 12 *ff. Cod. eodem.* Iamvero Capellanorum iura minime dubia fuisse substinet, cum ea luculenter promanarent e veteribus monumentis et praecipue e Synodo Eminentissimi Episcopi Muti anno 1614 edita, tum e Synodo Eminentissimi Episcopi Brancatii anni 1653, e quibus manifestum erumpit nedum Missae Conventualis onus, sed et ne illud quidem Missarum de *Feria* et de *Vigilia* ad eos pertinuisse. At ne litem quidem incertam dici potuisse prosequitur: 1° Quia iura Capellanorum, uti mox dictum, luce meridiana clariora emicabant: 2° quia eam Vicarius Generalis viderat, et innixus praefatis iuribus ipsorum favore diremerat: 3° tandem quia eam agnoverat in actu S. Visitationis Emus Episcopus Santacroce, et eorum favore definiverat Vicarii Generalis sententiam confirmans. Cum itaque neque res dubia, nec lis incerta in themate fuerit, luculentissime patere infert transactionem rite ac legitime iniri haud potuisse, ideoque nullam ac irritam esse proclamandam.

Sed nedum primum et secundum legitimae transactionis requisitum in themate exulavit, verum etiam tertium ac postremum omnino defecisse subjungit. Sane notissimi iuris est transactionem fieri haud posse nisi aliquo hinc inde dato et retento, promisso vel remisso *leg.* 38 *Cod. De transact.* Porro in transactione an. 1706 miseris Capellanis, quorum iura clarissima erant, novum, gravissimum, perpetuum et nunquam reducibile onus impositum fuit, celebrandi scilicet omnes Missas Conventuales in omnibus ferialibus diebus totius anni, quae ipso fatente Capitulo Canonicorum ad 331 Missas ascendunt, quarum eleemosyna saltem unius Iulii eo tempore erat. E contra Canonicis adeo leve et reducibile onus additum est, ut pro nihilo reputari possit, implendi scilicet legatum Iannotti Missarum lectarum 45, quarum eleemosyna erat « *la quarta parte di un giulio* », ipso referente Episcopo, ita ut hoc onus dictis causa adiectum fuisse sustineri facile possit. Hoc praeiacto, transactionem in themate onerose processisse defendi non posse edisserit, imo in hoc reciproco celebrando contractu nedum enormem, sed enormissimam laesionem, ideoque et dolum intercessisse tuetur. Re sane vera pro Missarum Conventualium 331 stipendio, antiquitus occurrebat summa scutatorum 33 et obul. 10 considerata eleemosyna Missae uniuscuiusque saltem unius Iulii ; hodie vero occurrit summa libell. 500 circiter, habita eleemosyna Missae conventualis unius libellae cum dimidio, dum econtra pro stipendio Missarum 45 legati Iannotti antiquitus occurrebat summa unius scutati circiter, hodie vero ad summum occurreret summa libell. 45. Porro quae hoc modo transactio celebratur, nedum enormem , sed enormissimam laesionem continet ad tradita per Reiffenstuel *lib.* 3 *Decretal. tit.* 17 *n.* 358, imo et dolum, siquidem laesionem enormissimam dolo aequiparari docet *lex* 5 *Cod. De dolo malo*, Reiffenstuel *cit. loc.*

Neque hilum heic iuvaret huiusmodi laesionem imminuere invocando et praedicando reductiones Missarum favore Capellanorum obtentas intuitu Sacrorum Conventualium ab ipsis celebrandorum. Istae enim reductiones vel non existunt, vel datae non fuerunt in compensationem oneris Conventualium, ceu ipsemet Emus Episcopus retulit in literis informatoriis, vel si qua forte reductio obtenta fuerit intuitu et contemplatione ipsarum, id contigisse ait ex eo quod Capel-

lani ad eam reductionem facilius obtinendam inter alia onera etiam illud Missae Conventualis enumerarunt. Quare cum transactio nulla fuerit utpote laesione non enormi tantum, sed enormissima infecta, utendo verbis Imperatorum Diocletiani et Maximiani in *leg.* 2 *Cod. De rescind. vendit.* concludit *humanum* esse, 'ut *auctoritate iudicis intercedente* rescindatur.

At memoratae concordiae nullitatem manifestius erumpere instat, si paulisper animadvertatur in transactionibus inter personas Ecclesiasticas initis confirmationem Apostolicam ad successores obligandos requiri non in forma communi, sed speciatim ex certa scientia et cum causae cognitione Reiffenstuel *lib.* 1 *tit.* 36 *n.* 64. Pignatelli *tom.* 4 *consult.* 27 *num.* 9. S. Congregatio in *Volaterrana Missae Conventualis* 23 *Aprilis* 1864 et 6 *Maii* 1865. Iamvero huiusmodi confirmationem in themate omnino deficere subdit, et adversarios ipsos urget, ut eam probent interfuisse. Huc autem perventa oratione inclamat nihil Canonicis prodesse ad elementaria iuris principia quoad effectus transactionis sine beneplacito S. Pontificis confugere. Scitum enim est istiusmodi iura tunc solum principem sibi locum vindicare posse cum de personali transactione agitur, minime vero cum de reali sermo sit, tunc enim ad rite ac legitime transactionem ineundam confirmationem Apostolicam non in forma communi, sed specifica, et ex certa scientia necessariam esse Doctores omnes tradunt. Hinc inani profecto consumeretur labore qui ea ad desperatam Spartam defendendam invocaret. Risum autem hic moverent, si ob temporis lapsum ad praesumptionem Beneplaciti Apostolici recurrerent. Scitum enim est praesumptionem locum cedere veritati; et cum veritas sit, quod illud omnino defuerit, uti clarissime perhibent ipsae transactionis tabulae, unde nulla de praesumptione haberi ratio potest.

Multoque minus Canonicos iuvaret diuturnitatem temporis, praescriptionemque invocare. Praeter enim quam quod tempus non est modus neque constituendae, neque solvendae obligationis, et praeterquamquod omnia requisita ad praescribendum necessaria haud interfuerint, illud animadvertendum esse existimat transactionem in themate ab initio vitiosam fuisse nedum ob enormissimam laesionem in contractu interventam, sed et ob Decreti Branca-

tiani apertissimam nullitatem, ideoque tractu temporis convalescere haud potuisse iuxta illud iuris theorema – *quod ab initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere.* – Subdit praeterea quod cum Emus Episcopus testetur, exemplar precum Pont. Alex. VII per Capellanos promotarum anno 1663 a Canonicis ita caute custoditum fuisse, ut ne quidem ipsi illud reposcenti tradiderint, luculenter apparet Capellanos haud potuisse Canonicos iudiciali actione pulsare, hinc praescriptionem in casu repelleret illud iuris principium « *contra non valentem agere nulla currit praescriptio.* »

Ast dato etiam, et numquam concesso, quod transactio, qua de agitur, usque ab initio iusta fuerit, et viribus steterit suis, nihilotamensecius auctoritate iudicis intercedente eam rescindendam esse subsumit eo quod incidit in eum casum, a quo incipere non poterat ob temporis, et rerum immutatas circumstantias. Sane ipsa Curia Episcopalis testatur Capellanorum redditus valde imminutos fuisse, et ipsorum Capellanorum numerum admodum decrevisse, quin substitui possint, lege vetante. Porro hisce in casibus ipsa aequitatis ratio exigit ut contractus, qui initio iustus tractu temporis ad iniustitiam vergit, officio iudicis ad bonum et aequum redigatur iuxta regulam desumptam *ex leg. Cum quidam ff. De usuris – Praesidem provinciae adi, qui stipulationem, de cuius iniquitate questus es, ad modum iustae exactionis rediget* – In contractibus enim semper subintellegitur clausula – *rebus sic stantibus* –: *leg. Finali Cod. de Sponsal., leg. Quod Servius ff. de Condict. causa data,* quia in his causa supervenire potest, quae a contrahentibus praevideri nequibat. Eleganter ad rem Card. De Luca *discurs.* 156 *n.* 11 *De regalib. – Praeterea ubi etiam ista concordia tunc valide ac etiam aequaliter inita esset, ita ut eo tempore attento substentabilis esset, adhuc tamen cum tractu temporis redacta esset ad magnam inaequalitatem et iniustitiam ut supra dicebam locum esse eius rescissioni. Licet enim regula sit, ut in contractibus attendi debeat tempus, in quo illi fiunt, non curato subsequente accidentali eventu, qui aeque poterat se habere ad lucrum et damnum ad communiter notata in l. praeses, et l. de fideicommisso Cod. de transact. Attamen in iis quae habent tractum successivum, si tractu temporis contractus reducatur ad iniquitatem ac magnam laesionem, seu inaequalitatem, adhuc*

laesio attenditur Natt. *cons.* 304. *et cons.* 548. *num.* 36. Thes. *dec.* 226. Capyc. *Latr. decis.* 18. – Quo posito nihil iuvare edicit imaginarias compensationes ex missarum reductionibus habitas, nihil iuvare temporis diuturnitatem, praescriptiones, praesumptiones et elementaria iuris principia quoad effectus transactionis, quae tanto cum clamore ex adverso invocantur.

Ad tertium autem orationis caput digrediens ait a primis Ecclesiae incunabulis clericos omnes canoni, sive albo Ecclesiae adscriptos preces pro benefactoribus fundere, ac praesertim sacrificia *suis respective vicibus* litare suevisse et morem hunc laudabilem passim sacri Canones sanxisse. Qui autem Missam celebrare et canere tenebantur, eam etiam applicare debebant. Non enim celebratio ab applicatione est seiungenda, nisi alias expresse id cautum fuerit ceu saepius S.H. Ordo declaravit. Subdit idcirco Bened. XIV in Constit. *Cum semper oblatas* novum onus haud imposuisse, sed primaevam obligationem ex abusu in pluribus Ecclesiis obsoletam in vigorem revocasse. Ante commemoratam enim Constitutionem S. H. Congregatio in singulis casibus censuit, ut tam Canonici, quam Beneficiati seu Cappellani servitio chori obstricti *suis respective vicibus* Missam Conventualem celebrare atque applicare deberent. Porro his praemissis prono alveo sequi edicit, ut de medio sublata conventione anni 1706 tum Canonici, tum Capellani in themate *suis respective vicibus* Missas Conventuales celebrare et applicare teneantur, scilicet Capellani per decem et octo hebdomadas ut ante concordiam fieri solitum erat, Canonici autem per reliquas totius anni hebdomadas. Cum enim Benedictina Constitutio rationem, qua huiusmodi celebrandi et applicandi onus inter choro addictos distribui debeat, peculiariter non determinaverit, hinc observantiae et consuetudini locorum id remisisse videtur.

Subdit vero quod si Canonici huiusmodi onus ferre hodie dedignentur, oportet ut eis dignam mercedem retribuant, qui illud onus pro ipsis suscipiunt. Hoc enim exigit iustitia, hoc vult aequitas, hoc recta ratio suadet, hoc denique decrevit H. S. Congregatio in casu huic nostro simillimo in *Abellinen. Missae Conventualis* 6 *Augusti* 1746, ubi proposito dubio. – An soli Canonici supranumerarii, sive de adiuncta subire tenerentur onus hebdomadae in Ecclesia Cathedrali, ac celebrationis Missae Conventualis, illiusque appli-

cationis pro benefactoribus in genere absque eo quod petere valerent eleemosynam a Canonicis antiquioribus in casu–; die 27 Aug. eiusdem anni, etsi veteres Canonici pactum conventum urgerent, tamen Emi Patres pacti iniquitate cognita prius rescribere censuerunt – *Negative.* Reproposita autem causa die 14 Ianuarii 1747 responderunt – *Praevio recessu a decisis affirmative, soluta tamen a Canonicis antiquioribus eleemosyna Missae Conventualis pro rata servitii debiti ab iisdem Canonicis antiquioribus.* –

Haec de iure, verumtamen Capellanos viam aequitatis ingredientes rem usque eo perducere haud velle, sed desiderantes in domo Domini deambulare cum consensu et consiliis proprii Episcopi morem gerere, inquiens, satis sibi esse existimare subsumit, si Canonici conciliationem ab Ordinario propositam amplectantur. Idque eo vel magis quia Beneficiatorum Massa potis haud est ad eleemosynam pro sacris Conventualibus retribuendam et redditus beneficiorum suorum ad honestam substentationem haud sufficiunt, uti apud acta satis abunde probatum reperitur. Quo in casu eleemosynarum summam a Massa distributionum Canonicalium desumendam esse saepissime S. H. Congregatio docuit, et praesertim in *Ferrarien.* 18 *Martii* 1719 ubi propositis dubiis – *An Dignitates, Canonici, Mansionarii et Capellani Capituli qui omnes ex usu et consuetudine tenentur celebrare in Cathedrali Ecclesia Missas Conventuales, teneantur ad easdem applicandas pro Benefactoribus in genere.* Et quatenus affirmative. *An celebrantibus et applicantibus Missas Conventuales solvenda sit eleemosyna a Capitulo.* – S. C. ad 1m et 2m respondit – *Affirmative.* –

Ex adverso vero Canonicorum patronus ad validitatem transactionis anni 1706 propugnandam minime obstare contendit Apostolici beneplaciti defectum, cui innituntur adversarii. Notum enim in iure est quod huiusmodi beneplacitum requirunt SS. Canones, quando agitur de alienationibus, vel distractionibus bonorum sive iurium Ecclesiae, minime vero quando dictae obligationes, quae iura Ecclesiae nullatenus laedunt, ipsos pertingunt Clericos vel Beneficiatos quicumque sint, iuxta *text.* in *cap.* 1 *et* 3 *De Pactis in* 6, *Card. De Luca De Canon. et Capit. disc.* 30 *num.* 17 *et seq. Rota in Sarsinaten.* 1 *Februarii* 1822 §. 4 *coram Spada* – ibi – « Quoties. . .
« non agitur de bonis Ecclesiae alienandis et distrahendis,
« sed solum de interesse Clerici eiusve emolumento, ne-

« cessarium non est beneplacitum Apostolicum, quia re-
« missio non vergit in praeiudicium Ecclesiae, sed respi-
« cit ius, cui possunt Clerici renunciare. » Atqui transactio in themate respexit solummodo obligationes a Canonicis et Beneficiatis invicem initas, quibus nullimode Ecclesiae iura laedebantur. Ex defectu igitur beneplaciti Apostolici, ausu prorsus inutili transactionis invaliditatem adversarios sustinere posse affirmat.

Verum etsi in absurda hypothesi fingi velit Apostolicum beneplacitum necessarium fuisse, ut controversa transactio vim suam exerere posset, ex tanto tamen temporis decursu, quo Beneficiati mutuas obligationes in ea invicem acceptas constantissime observarunt, firmiter tenendum edicit veniam Apostolicae Sedis revera interfuisse, vel saltem quovis in casu illius defectus exceptionem amplius proferri non posse teste *Ursaya Discept. Eccl. tom.* 3 *part.* 2 *disc.* 16 *num.* 181 – ibi – « Ex dicta fere triplicata cen-
« tenaria cum subsequenti pacifica observantia non unum,
« sed mille Apostolica Beneplacita et quemcumque alium
« meliorem magisque utilem titulum de mundo allegare
« possumus, et constanter asserere omnia legitime facta fuisse
« et sufficienter iustificata esse ». Concinunt *Rota* in *Nepesina Devolutionis* 29 *April.* 1697 *num.* 5 *et seq.*, *Romana Bonorum seu Canon.* 4 *Iul.* 1698 *num.* 3 *et seqq.*, *Firmana Execut. Instrum. etc.* 28 *Iun.* 1762 *num.* 3 *et seq. cor. Riminaldo.*

Minusque offici posse subdit alterum adversariorum argumentum a laesione enormissima desumptum. Qua in re praemonet Canonicorum patronus se non intelligere, quomodo Beneficiati asserere audeant contractum transactionis anni 1706 laesione enormissima infectum fuisse, cum per huiusmodi contractum ipsi nedum nullum novum onus susceperint, verum etiam ab onere, quo antea gravati erant, exonerati fuerint. Sane dum Canonici obligationem inivere celebrandi missas legati *Giannotti* quae obligatio ad Beneficiatos spectabat, isti solummodo promiserunt « di cantare le messe Conventuali in detta
« Chiesa per hebdomadam et turnum nel medesimo modo
« e forma che presentemente cantano e che sono stati
« soliti di cantare per l'addietro ». Ex quibus verbis compertum esse tenet a Beneficiatis nihil fuisse remissum, sed fuisse tantum confirmatam antiquam eorum obligationem. Quam urget caeteroquin nulla confirmatione indigere, quia

suam vim receperat nedum a decreto Emi Brancatii, nedum a sententia Vicarii Generalis Viterbiensis anni 1682, verum etiam ab ipsorum Beneficiatorum ratihabitione in actu Episcopalis Visitationis anni 1702.

Quin ex adverso obiiciatur nullius roboris fuisse decretum Emi Brancatii, ut ex hoc deducatur onus a Beneficiatis susceptum veluti novum onus esse habendum. Primo enim sustinet memoratum decretum utpote editum ab Emo Brancatio, qui ad hoc facultatibus apostolicis fretus erat, in suo robore permanere quousque facultates illae per oris aperitionem non infirmentur. Secundo quia de ipsius validitate amplius disceptari non licet post editam super ipso a Vicario Generali sententiam de anno 1682 quae cum ob non interpositam appellationem in rem iudicatam transierit, iura omnia clamant, quidquid de ipsius nullitate opponitur *exceptione rei iudicatae* esse refellendum.

Verumtamen paulisper concesso, quod obligatione celebrationis missarum conventualium aliquid a Beneficiatis Canonicorum favore fuisset remissum; id tamen nihil ipsis profuturum subdit, siquidem missas Conventuales celebrandas 427 in totum esse ait. Ab iis detractis 96 quas Canonici et Dignitates diebus festis celebrare consueverant, detractis 108 quae ante annum 1664 ad Beneficiatos pertinebant, explorati facti esse tenet obligationem a Beneficiatis susceptam ad missas 223 cohiberi. At veluti in correspectivum huiusce obligationis singulis Beneficiatis onus duarum missarum in quavis hebdomada, nempe missarum 104 in quolibet anno remissum fuit et cum novem tunc temporis essent Beneficiati, tota unius oneris remissio missarum 936 numerum attigit. Nec satis. Beneficiatos vi transactionis anni 1706 a celebratione aliarum 45 missarum legati Iannotti relevatos esse subdit, quas celebrare Canonicos spopondisse in facto est. Praeter haec, missarum 342 sub anno 1802 nec non 108 sub anno 1810 reductiones ipsos consecutos fuisse urget: idque a capitularibus monumentis liquido colligi clamat. Quarum omnium si ratio habeatur, exploratum fieri contendit ipsos super missas *mille Quadringentas Triginta et unam* remissionem obtinuisse veluti correspectivum celebrationis Conventualium 223.

Nodum autem in scirpo quaerere adversarios tenet, quando pro inita transactione invalidanda confugiunt ad exiguitatem massae communis, qua missarum conven-

tualium celebratio retribui deberet, nec non ad imminutum Beneficiatorum numerum. Licet enim in veritate consistat massam communem, quae libellis 260 constat, haud sufficere ad missarum conventualium eleemosynas retribuendas iuxta hodiernam taxam, a veritate tamen alienum esse subdit, quod ob hanc causam relate ad missas conventuales deficiat correspectivum a suprema auctoritate constitutum. Enimvero si massae communi eleemosynae adiungantur quas Beneficiati percipiunt, missarum 1431, quarum respectu suscepti oneris missarum conventualium condonationem obtinuerunt, palam esse edicit Beneficiatos correspectivum recipere longe maius illo a Dioecesano praefixo.

Beneficiatorum autem numerum nedum imminutum, imo auctum esse in praesentiarum edisserit. Sane ex actis Episcopalis Visitationis de anno 1702 peractae constare ait Beneficiatos de *massa* eo tempore novem tantum fuisse, Cum autem hunc numerum auctum esse non constet ab anno 1702 ad annum 1706, quo tempore transactio inita fuit, rationi magis consentaneum videri contendit eumdem numerum tempore transactionis adhuc servari. Hinc cum in praesens decem sint Beneficiati de *massa*, eorum conditionem meliorem factam esse propugnat. Quin obstet quod alter ex Beneficiatis caecitate laboret, alter vero sit aliis officiis distentus. Ii siquidem cum huiusmodi onere adhuc graventur, aliis Beneficiatis eleemosynas rependere teneantur, pro conventualium celebratione, quas ipsi litare nequeunt.

Neque pariter officere ait, quod ob neotericas leges numerus beneficiatorum magis magisque cohibebitur. Praeprimis enim admonet hoc adhuc non contigisse: verum dato etiam quod reapse contigerit, transactionem tamen, cum inita fuerit inter duo entia moralia, executioni demandandam esse subdit, etsi ipsorum Beneficiatorum unus vel duo supererint; eo quod Collegium Canonicorum vel Beneficiatorum constituitur et conservatur per duas vel tres personas, ceu pluries docuit S. Rota praecipue in *decis.* 79 *num.* 1 *part.* 17, *Decis.* 265 *num.* 2 *part.* 19 *tom.* 1 *et Decis.* 747 *num.* 3 *seqq. part.* 18 *tom.* 2 *Recent.* Card. De Luca *De Praebend. disc.* 21 *num.* 4, *De Paroch. disc.* 28 *num.* 10 et alibi. Quam doctrinam inniti subdit dispositioni *legis* 85 *De rer. et verb. signif.* – ibi – « *Neratius Priscus tres facere existimat Collegium, et magis sequendum est* ». Cui

concinit *Gloss. Cap.* 1 *verb. tres de elect.* Quin imo et collegium per unam personam repraesentari pergit ad notata per *Rot. Adnot. ad Dec.* 14 *num.* 50 *part.* 3 *et decis.* 43 *num.* 14 *part.* 12 *recent.*

Ad quartum tandem argumentum deveniens, etsi concedat, quin tamen admittat, massae communis revera exiguitatem accidisse, et Beneficiatorum numerum imminutum, cum haec locum habuissent post tempus ab inita transactione, nullum ex his emolumentum Beneficiatos sperare posse contendit. Plane explorati iuris esse evincit cuiuscumque contractus iniustitiam ex posteriori eventu iudicari non posse, eo quod correspectivitatis defectus demonstrari debet ad eam diem, qua contractus initus fuit, ceu docuit S. Rota praesertim in *Faventina Renunciationum* 11 *Ianuarii* 1819 §. 6 *coram Serlupi* – ibi – « *Idoneae correspectivitatis defectu renunciationes ad id temporis quo initae designabantur laborasse, hoc opus erat ut nominatim pleneque demonstraretur.* Quaquaversus ergo res perpendatur, contendit Canonicorum patronus, odiosam transactionis nullitatem numquam decerni posse. Posito itaque quod transactio anni 1706 in suo robore permanere debeat, duo remedia ipsemet innuit quae Beneficiatis praestò fuissent, *rescissionem* nempe contractus transactionis, vel oneris Missarum Conventualium *reductionem* a Summo Pontifice impetrandam. Verum rescissionem neque in hac neque in alia iudicii sede ipsos obtinere posse concludit. Non in hac, quia deest instantia et ea controversia in dubii formula haud continetur: non in alia, quia adductae rationes eam excludunt. Rebus sic stantibus nihil aliud ipsis superesse subdit, nisi ut reductionis oneris remedium a Summi Pontificis clementia impetrare satagant.

Hisce expositis iudicent EE. VV. quonam responso dimittenda sint

DUBIA

I. *An concordia anni* 1706 *sustineatur in casu.*

Et quatenus negative.

II. *An et quomodo providendum sit in casu.*

Ad I. Affirmative
Ad II. Provisum in primo et ad mentem.

16

Sess. 25. cap. 13 de Reform.

VIRDUNEN. IURIS FUNERANDI. = Vertente anno 1876 die 24 Septembris R. D. Iulius Didiot Confessarius Monialium Congregationis Sancti Ioseph in urbe Virdunensi existentium, supplicem libellum H. S. C. exhibuit, nonnulla dubia proponens. Praestat ex ipsius ore ea percipere: « Ante viginti quatuor annos Illustrissimus « ac Reverendissimus Ludovicus Rossat Episcopus Vir- « dunensis fel. rec. Congregationem Monialium S. Ioseph « in hac sua civitate erexit, ad normam scilicet Congre- « gationis eiusdem nominis, quae nuper ab Apostolica Se- « de pro dioecesi Bellicensi approbata est. Moniales au- « tem post novitiatum legitime exactum tria vota religio- « nis in perpetuum emittunt, et Superiorissae Generali « obediunt. Domum novitiatus et professionis praedictus « Episcopus sibi immediate subiectam fecit et ita a iu- « risdictione parochiali immunem, ut Superior aut Con- « fessarius, quaecumque ad vitam spiritualem iuvant, sa- « cramenta nimirum, doctrinam christianam, caeterasque « functiones sacras, in proprio domus oratorio constanter « administraverit. Neque enim ipsae Moniales, novitiae « aut puellae quae ibi educantur, ad audiendam in ec- « clesia parochiali Missam communionemve paschalem su- « scipiendam adactae sunt. Neque parochus aegrotantes in « domo umquam visitat aut curat, aut aliquid Congrega- « tioni utile praestat.

« Propterea Reverendissimo Episcopo Rossat ea mens « fuit, ut ius ipsum funerum seu sepulturae ad Sacerdo- « tem domui praepositum tamquam ad verum et ordina- « rium rectorem pertineret; quo caeterum privilegio do- « mos alias duas monialium votorum simplicium in sua « dioecesi decoravit. At quia functioni funebri oratorium, « utpote nimis angustum minime aptum erat, ideo per « plures annos parochus ad hoc vocatus est, ut corpora « defunctarum Monialium ab ostio domus conventualis le- « vata ad ecclesiam cathedralem et ad coemeterium usque « duceret; coemeterium autem toti civitati commune « est, nec uni tantum parocho reservatum. Oratorio autem « ampliori et satis commodo facto, confessarius et orator « qui supra, ius funeralium prima qua potuit vice a Rm̃o « et Illm̃o Praesule Augustino Hacquart, nunc Episcopo

« Virdunensi, sibi expostulavit et bis impetravit. Ad normam igitur a Sancta Sede Apostolica pro similibus casibus praescriptam, sepulturae praefuit, et ad coemeterium recta via sine pompa corpus deduxit.

« Quam agendi rationem, etsi a pluribus Galliarum « Episcopis constitutam et, ut videtur, iuri ecclesiastico « consentaneam, quidam parochialis potestatis defensores « impugnant, atque Rm̃um Episcopum Virdunensem, quasi « ius parochiale laeserit, ne amplius confessario hanc li« centiam faciat, dehortantur. Hinc ab Em̃is Cardinalibus « S. Concilii Tridentini interpretibus, orator et confessa« rius praedictus humiliter quaerit:

« 1° An . . . confessario Monialium Congregationis « S. Ioseph ius competat funerandi et ad publicum coe« meterium ducendi cadavera Monialium, quae in domo « novitiatus decedunt. . . . absque parochi cuiusvis in« terventu ad normam resolutionis Sacrae eiusdem Con« gregationis Concilii in Syracusana 24 Februarii 1872?

« 2° An hoc idem statui posset de funere puellarum « et aliarum personarum, quae in conventu ordinarie de« gunt ibique postea moriuntur?

« 3° An eidem Parocho ius competat exigendi stipen« dium et quartam funeralium? »

Acceptum libellum, ceu de more, Episcopo Virdunensi pro informatione et voto ablegavi, qui H. S. C. ea qua par erat diligentia ac reverentia mandata faciens, quasdam animadversiones subdidit, quas operae pretium esse censeo EE. PP. oculis subiicere, ut in dirimenda quaestione lux maior effulgeat. Episcopi verba sequentis sunt tenoris:

« 1° In decreto episcopali quo Rm̃us Antecessor meus « DD. Ludovicus Rossat erexit in sua Dioecesi Congrega« tionem Sororum Sancti Iosephi, specialiter et expresse « declaravit reservari iura Parochi Cathedralis Ecclesiae in « laudatarum Sororum exequiis, ut ferunt in articulo 138 « Statuta Dioecesana. Utrum vero deinceps aliter statuerit; « priusque decretum suum immutaverit, nullibi constat « scripto authentico; et reapse Rector parochiae, cuius in « ambitu sita est dictarum Sororum Communitas, scilicet « Parochus Cathedralis Ecclesiae, illarum exequiis praees« se consuevit, nisi quod semel aut iterum; eodem Paro« cho non consentiente, imo et vehementer reclamante,

« hoc munere functus est Sororum S. Ioseph Confessarius
« aut Capellanus.

« 2° In dioecesi Virdunensi duae aliae Congregatio-
« nes existunt, quae ante rerum eversionem in Gallia
« solemnia vota profitebantur, nunc autem emittunt vota
« simplicia, utpote quae non sint erectae a Summo Pon-
« tifice, nec observent clausuram papalem, videlicet: do-
« mus Tertiariarum S. Dominici in Civitate Baroducensi,
« et in civitate Virdunensi domus Religiosarum Sororum
« SS. Salvatoris sub regula Beati Petri Foverii , quam
« tamen ex integro non observant. Pias istas Sorores, ex
« eo quod episcopali clausura teneantur, duodecim circi-
« ter abhinc annis D. Ludovicus Rossat, Rmus Ante-
« cessor meus, nullis quidem observatis formalitatibus et
« frustra reclamantibus parochis, ditavit hoc privilegio ,
« ut a iurisdictione parochiali eximerentur, non solum,
« sicut mos est apud nos, in sacramentis recipiendis, sed
« etiam in funeribus celebrandis , contra consuetudinem
« universalem. An autem duabus illis Congregationibus
« asservandum sit et obfirmandum hoc privilegium etiam
« quoad funeralia, oro cum summa reverentia diiudicent
« Emi Patres S. Congregationis Concilii.

« 3° In iis quae spectant ad Sorores S. Ioseph ut ma-
« gis ac magis informetur Emorum S. Congregationis Pa-
« trum conscientia, haud inficiatur humillimus eorum fra-
« ter Augustinus Hacquard , nunc Virdunensis Episcopus,
« a se nihil praeiudicatum ad hunc usque annum, ne in-
« consultius processisse inter partes litigantes videretur ;
« at nuper, re diu multumque examinata et ponderata,
« eumdem Antistitem ad normam non modo statutorum
« dioecesanorum, sed etiam iuris communis et declaratio-
« num S. Congregationis Concilii , speciatim diei 21 Au-
« gusti 1682 in Taurinen. et diei 19 Aprilis 1844 in Fo-
« rolivien. decrevisse manutenenda iura Parochi in fune-
« ribus Sororum S. Ioseph ; illarum quidem Capellano,
« doctori Didiot, fas esse in die depositionis cantare in
« proprio ipsarum Oratorio officium defunctorum et Missam
« de Requiem; at Parocho reservari ius faciendi absolu-
« tionem ad tumulum et corpus defunctae ad coemeterium
« deducendi. »

Hac habita Episcopi responsione sub die 25 Novem-
bris 1876 rescriptum edidi: « Ponatur in folio » atque omnibus

de more absolutis, causam in hodiernis plenariis comitiis proponendam duxi sub dubiorum formula in calce libelli excripta. Praestat itaque argumenta exponere quae scriptis exarata utraque pars mihi exhibuit.

Capellanus, antequam ad iura propria hac super controversia vindicanda descendat, praemonet in facto esse quod Moniales Congregationis S. Ioseph ex quo die Anicii in Galliis institutae sunt, nempe ab anno 1665, omnimoda simul exemptione a parochiali potestate gaudere coeperunt; idque eruitur ex Constitutionibus Monialium S. Ioseph de auctoritate Armandi de Bethune Episcopi Aniciensis editis, in quibus legitur: « che esse godessero di tutte « le grazie, privilegî e vantaggi che sono accordati di diritto « alle Congregazioni, che s'innalzano per l'esercizio della « Religione e pratiche di opere di pietà e di miseri« cordia. »

Addit quod textus ipse Constitutionum dum de obitu ac sepultura Sororum tractat, de parocho sileat penitus; imo in plerisque editionibus haec expresse leguntur: « i « cadaveri delle nostre Suore saranno sempre seppelliti nelle « Chiese delle Case, ove esse saranno morte. » Hinc factum est, ait, ut a duobus saeculis ad hanc usque diem exemptione plenissima, etiam *quoad sepulturam realiter fruantur* quamplures Domus dictae Congregationis, dum iisdem Confessarius seu Capellanus specialis est constitutus, qui Monialibus decumbentibus assistit, sacramenta administrat, et cadavera defert ad sepulchrum; ita refert servari Anicii, Sancti Flori, Claromontis in Alvernia, Lugduni, Burgi in dioecesi Bellicieusi unde conventus Virdunensis ante 24 annos canonice defluxit. Quod si huiusmodi praxis pacifice et religiose servatur in aliis eiusdem Ordinis Familiis, nulla ratio obsistit ne etiam servetur in Familia Virdunensi, dum in favorem illius eamdem exemptionem decrevit Episcopus Ludovicus Rossat in titulo fundationis die 2 Iulii 1858 dato, sive declarando in Art. 4° domum ita erectam eo privilegio gaudere, quod in statutis episcopalibus refertur; sive statuendo, ut quaecumque in eisdem statutis de aliis domibus religiosis dioecesis Virdunensis sancita sunt, ad Congregationem S. Ioseph pertineant. Praescriptioni autem ab Episcopo Rossat editae plausum fecisse apparet Illmus ac Rmus Augustinus Hacquart actualis urbis Virdunensis Episcopus, qui attenta paritate, quae ex titulo fundationis

inter domum S. Ioseph et alias praedictas existit, iterata vice Capellano benigne indulsit ut monialium cadavera, posthabito Parochi interventu, ad coemeterium elata cruce deferret.

Hisce in facto praestitutis, de iure disserens, evincere conatur huiusmodi Monialium S. Ioseph exemptionem esse omnino legitimam; idque ex triplici ratione adnititur demonstrare quia nempe ipsa est iuribus Regularium penitus consentanea; quia observantia ducentorum annorum firmata; quia demum in praedictarum Monialium regulis ab Episcopo recognitis est solemniter sancita.

Quoad primam quidem rationem contendit, nullatenus de generali exemptione Monialium a iurisdictione parochorum dubitari posse, quum haec examussim sit doctrina Bened. XIV *Institut.* 105 § *II De Tertiariis num.* 80 = *Moniales claustris inclusas potestati Episcopi fere omnes obtemperare; a iurisdictione tamen parochorum penitus liberari.*= Ad exemptionis huiusmodi privilegio fruendum admittuntur etiam *novitii*, quippe qui in favorabilibus sub religiosorum nomine veniunt: quin imo et ipsi saeculares hoc privilegium participant, qui vere sunt *de Religiosorum familia* seu *continui eorum commensales ex Trid. Sess.* 25 *cap.* 2 *de Regularib.* Ut autem quis de Regularium familia dici queat et illorum privilegiorum particeps fieri valeat, tres conditiones requirit idem *Trid. Sess.* 24 *Cap.* 11 *de Reform.* nempe ut monasterio actu inserviat, ut intra illius septa ac domos resideat, et sub obedientia vivat, quae omnia debere simul concurrere declaravit Gregorius XIII *in Constit. Circumspecta* 25 *Novembris* 1580. Porro in dubium haud revocari posse ait de huiusmodi privilegio participare etiam Moniales, quae in favorabilibus et illarum statui non repugnantibus communicationem privilegiorum habent cum virorum ordinibus quibus subiacent. *Pellizar. Man. Regul. tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 1. *n.* 72 *et* 73, *Pignat. tom.* 4. *cons.* 177 *n.* 4.

Minus alioquin inficiari posse ait, quod sorores S. Ioseph in dioecesi Virdunensi institutae, sint revera Moniales propriae dictae, eo quod post expletum legitime novitiatum tria vota religionis in perpetuum emittunt, ac Superiorissae Generali obediunt. Admisso idcirco, quod exemptionis privilegium Religiosis Viris primario concessum, in iis quae eorum statui non repugnant, etiam religiosis mulieribus extensum

est; inde sequitur quod nedum ex generali privilegio omnibus Monialibus competente immunes sunt praedictae Moniales S. Ioseph a iurisdictione Parochi Virdunensis, imo etiam novitiae atque puellae educandae in earum domibus degentes eodem privilegio participare et perfrui debeant. Idque eo magis evinci posse contendit Religiosarum Confessor, quia domum novitiatus et professionis praedictus Episcopus Rossat « *sibi immediate subiectam fecit et ita a iurisdictione parochiali immunem,* » ut Superior aut Confessarius Moniales ad vitam spiritualem iuvat; sacramenta nimirum, doctrinam christianam, caeterasque functiones sacras in religiosae domus oratorio constanter administret. Neque enim ipsae Moniales, novitiae aut puellae quae ibi educantur, ad audiendam in ecclesia parochiali Missam, communionemque paschalem suscipiendam adactae sunt. Neque parochus aegrotantes in domo umquam visitat, aut curat, aut aliquid Congregationi utile praestat. Caeterum huiusmodi a Parochi iurisdictione exemptionem nullo modo exorbitantem retineri posse contendit; vel quia est iuri ecclesiastico et constanti H. S. C. praxi conformis; vel quia adsunt in eadem Virdunensi Dioecesi aliae duae Monialium domus, quae pariter ab hac iurisdictione parochiali exemptae ab eodem Episcopo formiter et solemniter declaratae sunt.

Neque regerere valeret, quod Episcopus talia peragendo limites potestatis Episcopalis a iure praefinitas excessit. Siquidem Episcopus exemptionem hanc declarando, aliquid minus facit, quam si paroeciam in duas divideret; aut si pro subiectis sibi Monialibus sepulturam extra paroeciam, in qua spiritualiter alerentur eligeret; aut si tandem sua auctoritate ecclesiam non parochialem privilegio coemeterii augeret: quae tamen in eius potestate esse facile probatur teste *Fagnan. in Lib.* 3° *Decretal. de Sepulturis Cap. Fraternitatem.* Huiusmodi vero exemptionis legitimitate et iustitia admissa, ex ea naturaliter deducitur associationem cadaveris Monialium ad Confessarium, tamquam ad verum propriumque earum parochum atque pastorem pertinere, quum nemini sit impervium quod iura funeratitia quaecumque sint ad eum primario spectant qui curam fidelium, dum viverent, gessit, iisque morientibus adstitit et sacramenta administravit. *Reiffenst.* in *Ius Can. univ. lib.* 3. *tit.* 28. *n.* 16., *Passerin. De Statib. quaest.* 187. *art.* 4. *n.* 311., *Farg. De Iurep. p.* 1. *can.* 1. *et* 2. *cas.* 2. *n.* 9.

Quod autem de Monialibus ac de Commensalibus affirmat, id ad puellas et ad alias personas extendi posse autumat, quae in conventu ordinarie degunt ibique postea moriuntur, ratione quasi domicilii ibidem acquisiti. Ait siquidem quod educandae praeterquamquod acquisiverint quasi domicilium in monasterio, siquidem in eo ordinarie degunt, et a confessario dependent tamquam a proprio parocho, unum corpus morale insuper cum Monialibus efformant earumque proinde privilegiis participare debent. In cuius rei confirmationem adducit auctoritatem Pelizzarii, qui in Lib. *De Monialibus edition.* non *prohibit.* C. 10 puellas in monasterio educationis causa degentes commensalibus comparat de quibus *loc. cit. n.* 233 tradiderat, quod si Commensales extra conventum sepeliri debent, funus non a parocho sed a Monasterii confessario est ducendum.

Nec aliquid facessere edisserit, puellas educandas habendas esse *tamquam hospites vel peregrinantes in monasterio;* quandoquidem etsi educandae domicilium in monasterio non eligunt, ibi tamen manent per tempus notabile et ad quasi domicilium acquirendum certo certius sufficiens, cui annectuntur iura parochialia, ad tradita per Fagnanum in *Cap. Significavit de parochiis num.* 34 qui nihil aliud requirit ut quis parochianus alicuius Ecclesiae existat, nisi ut ibidem se transtulerit ob causam quae talis non sit ut possit probabiliter ex incontinenti cessare.

Ad observantiam posthac deveniens Confessarius demonstrare idem studet, huiusmodi exemptionem fulcimentum habere in ducentorum annorum consuetudine. Sane affirmat Confessarius quod a duobus saeculis ad hanc usque diem exemptione plenissima *etiam quoad sepulturam* realiter fruuntur singulae domus dictae Congregationis, in quibus Confessarius seu Capellanus specialis est constitutus. Hoc enim verificatur examussim in Familiis Anicii, Sancti Flori, Clormontis in Alvernia, Lugduni, Burgi in Dioecesi Belliciensi, unde iste conventus Virdunensis S. Ioseph ante 24 annos canonice defluxit. Probata autem huiusmodi consuetudine, iam liquet, observantiae centenariae tantam vim esse, ut immemorabili aequiparetur, et meliorem utilioremque titulum de mundo praebeat, ut privilegium praesumere faciat ac pro lege habeatur, cui omnes obtemperare teneantur, adeo ut iustissima iuris praesumptione retineri debeat, quod exemptio istiusmodi, quatenus omnibus et

singulis Domibus communis est, sit etiam Ecclesiae disciplinae et ordinationi canonicae apprime consentanea. Dato igitur in facto quod haec exemptio observantiae centenariae innitatur, et quod legitime militare valeat pro aliis monasteriis eiusdem Congregationis, nihil obsistit, quominus etiam pro Domo Virdunensi efficaciter invocetur, quum iisdem iuribus et privilegiis isthaec Domus donata fuisset in erectione, quibus et aliae Familiae huiusce Instituti perfruuntur.

Ad tertiam denique rationem progrediens Confessarius exemptionem propugnat ex auctoritate Episcopi tum quoad Ordinem Religiosum, tum quoad singularem hanc domum legem edicentis. Sane statuta ab Augustino Letourneur Episcopo Virdunensi per modum decretorum anno 1844 data relate ad domos religiosas haec tradunt part. 7 n. 132: « Tutte le case religiose sono sottoposte alla nostra sorve-« glianza immediata ed esclusiva da quella di un Supe-« riore particolare nominato da noi ed incaricato di rap-« presentarci in tale ufficio. I Curati ancorchè Decani ed « Arcipreti non hanno in virtù del loro titolo alcuna giu-« risdizione sopra le comunità situate entro i confini del-« le loro parrocchie. » Quae verba, ait Confessarius, Religiosarum S. Ioseph exemptionem a Parochi iurisdictione adeo clare et praecise designant, ut in dubium nullatenus revocari possit.

Huiusmodi autem generalibus constitutionibus accedit etiam decretum speciale Episcopi Rossat, qui in titulo fundationis pro Virdunensi Familia dato die 2 Iulii 1853 aperte constituit, ut quae in genere de quibusvis communitatibus religiosis statuta sunt, ad Congregationem Religiosarum S. Ioseph in specie pertineant, perinde *art.* 2. « La « Congregazione delle Suore di S. Giuseppe in Verdun « è posta in perpetuo sotto la nostra immediata autorità « e quella dei nostri successori: Essa sarà diretta o da noi « ovvero da quell'Ecclesiastico a cui ne avremo dato speciale « mandato. » Post haec quamlibet iurisdictionem Parochis exercere prohibet in iisdem Religiosarum familiis. «I Curati « ancorchè decani ed arcipreti non hanno in virtù del loro « titolo alcuna giurisdizione sopra le comunità situate en-« tro i confini delle loro parrocchie. » Declarat tandem Episcopus (art. 4°) quod quaecumque in eisdem statutis de aliis domibus religiosis dioecesis Virdunensis parag. 7

art. 130-139 sancita sunt, haec eadem Congregationi S. Ioseph tribuantur. Inter ista porro habetur etiam quod Capellanus seu Confessarius eadem potestate item spirituali polleat, qua ipse Parochus in sua paroecia pollet; ita quippe in art. 139 legitur: « Negli ospizii ed altri stabilimenti d'istruzione e « di carità provveduti di un Cappellano con titolo spe- « ciale, questi esercita le stesse attribuzioni, ed ha gli « stessi poteri nell'interno dello stabilimento relativamen- « te alle funzioni puramente spirituali che i Curati ed i « suoi addetti per rapporto alle loro parrocchie. » Quod si inter attributiones et officia quae ad Parochum spectant, illud etiam adnumeratur, quod deferre debeat parochianos ad ultimam dormitionis domum, est per se manifestum, quod idem officium relate ad Religiosas Confessario quoque est optime iure diiudicandum.

Quin ullum praesidium capiat Parochus ex erectione publici coemeterii, ad quod cadavera deferuntur, ut aliquod sibi ius in themate prae Confessario addicere valeat. Cum notum in iure sit, quod erectione coemeteriorum locus sepulturae tantum materialiter mutatus est, non vero ius sepeliendi, quod integrum mansisse censuit S. C. in *Derthonen.* 14 *Aprilis* 1821, *Forolivien. Funerum* 26 *Ianuarii* 1833, *Syracusana Funerum* 24 *Februarii* 1872 in qua proposito dubio = *An et ad quem pertinet associatio cadaveris Sanctimonialium in casu* – responsum fuit – *Affirmative favore Confessarii; dummodo cadaver deferatur cum stola et Cruce, sed absque pompa et recto tramite ad Coemeterium.* =

Ex hactenus disputatis prono alveo fluere subdit Confessarius Congregationem Monialium S. Ioseph ab omni onere stipendium et quartam funeralium persolvendi immunem extare. Re sane vera portio canonica vel quarta funeralium, ex iuris communis censura, ideo Parocho debetur, quia, cum Parochus in administrandis Divinis vivo parochiano onus et laborem impendit, dignum est ut de funere ipsius capiat emolumentum, iuxta, quod prostat in *Cap.* 1 *lib. III decret. tit. XXVIII de sepult.* – ibi – « *quia dignus est operarius mercede sua.* » Cum autem, ex dictis, Moniales S. Ioseph a quavis Parochi iurisdictione exemptae sint, et cum nullus labor in sacris administrandis a Parocho impensus sit, eo quod sacramenta omnia a Confessario administrari solent, exinde consequens est, quod neque stipen-

dium neque quarta funeralium eidem debetur. Profecto si iuxta *cit. Cap.* 1 Parochus dignus est mercede sua, quia operarius est, ex hoc consequitur quod nullam meretur mercedem si nullam operam praebuit, nec ullam iurisdictionem vel potestatem in defuncti personam ipse exercuit.

Ex altera sed vero parte Parochus quantumvis haud inficiatur exemptionem a parochiali iurisdictione vel potestate quibusdam virorum religiosis familiis indultam fuisse, eamque quibusdam Monialium familiis etiam extensam, verumtamen totis viribus impugnat in hoc numero Religiosas S. Ioseph Virdunensis Civitatis comprehendi; ideoque eas rectori paroeciae intra cuius limites habitant subiici. Edisserit enim ipse quod huiusmodi exemptionis privilegio illae familiae solum frui possunt, quae in statu regulari vere constitutae sunt; verum ad hoc ut familia in statu regulari constituta dicatur, non sufficit ut personae insimul sub communi regula vivant, sed oportet ut personae quae hunc statum amplectuntur, emittant tria vota solemnia iuxta *Cap. Ad Apostolicam De Regul.* et vivant etiam sub regula quae a Sede Apostolica approbata sit, prout in *Can. Perniciosum* 18 *quaest.* 2. Hisce addit auctoritatem Benedicti XIV qui in Constit. super Conservatoriis Virginum Anglicanarum nuncupatarum, diei 30 Aprilis 1749, postquam declaravit, quod Virgines Anglicanae institutioni puellarum curam impendentes non pro veris Religiosis habendae sint, « quia vota paupertatis, obedientiae et castitatis ab ipsis « emissa coniuncta dici nequibant cum expressa aut ta« cita professione in aliquo Ordine per Sedem Apostoli« cam in statu verae Religionis approbato, ac proinde vota « sic emissa simplicia ad summum vota, non vero solem« nia censeri debebant, » praedictas virgines, non obstante regularum approbatione et confirmatione, voluit subiici auctoritati Ordinarii, ipsisque, quamdiu sub obedientia Ordinarii vixissent, concessit licentiam conservandi in propria Ecclesia Sacramentum Eucharistiae, absque praeiudicio tamen iurium Ecclesiae parochialis. Quod tandem Congregationes Monialium a Sede Apostolica non approbatae subiiciantur rectori parochiae intra cuius limites existunt, decrevit S. C. C. in *Salernitana Iur. paroch.* 28 *Augusti* 1702, teste S. C. in *Ripana Iurium Parochialium* 25 *Ianuarii* 1873 §. *Moniales.*

At vero Moniales S. Ioseph Virduni existentes neque vota

perpetua et solemnia emittunt, nec sub regula vivunt, quae Sedis Apostolicae approbationem retulit, ita ut nullo pacto eaedem vere ac proprie Regularem Familiam constituere dici possint. Ipsemet sane Episcopus Virdunensis in sua ad H. S. C. informatione de hisce Monialibus haec refert: « neque paupertatem et obedientiam neque perpetuam « castitatem promittunt sese observaturas absolute, sed « cum ista exceptione quae in Constitutionibus illarum in« scribitur, scilicet: – Nisi Ordinarius dispensaverit – vel « quamdiu non iudicaverit Ordinarius super his votis cum « ipsis dispensandum. – Itaque interveniente Ordinarii di« spensatione propter illas quas graves reputat causas, ab « omnium votorum ipsiusque castitatis perpetuae vinculis « solvuntur et confestim ad saecularia vota redire pos« sunt, atque matrimonium contrahere, sicuti iam pluries « accidisse conspeximus. An vero talia vota constituant, « seclusa quacumque approbatione Summi Pontificis, Re« ligionem proprie dictam et immunitates inducant pri« vilegiaque Regularibus a iure reservata, diiudicabit Sacra « Concilii Congregatio. » Cum itaque ex hoc ipso pateat Sorores S. Ioseph inter Religiosas proprie dictas adnumerari haud posse, sequitur quod ipsis applicari et extendi nequeant immunitates atque privilegia quae Regularibus proprie dictis reservata sunt. Sequitur etiam quod frui non debeant exemptione ab auctoritate et iurisdictione Parochi, inter cuius parochiae limites earum domus existunt. Quod autem de Sororibus S. Ioseph opponitur, maiori ratione dicendum esse liquet de iis puellis quae in earum domibus instructionis vel educationis gratia degunt; quum non magis tribuendum sit illis personis, quae in domo religiosa temporanee et precario convivunt, quam Religiosis ipsis ibidem professis competere possit.

Ut consuetudinem autem seu observantiam a Capellano deductam refellat, nihil validius proficere videtur quam ipsius Episcopi Virdunensis informatio, quae ita se habet: « Profert laudatus Capellanus et magna animi « contentione ad suum sensum detorquet decretum Episcopi « Aniciensis anno 1665, quod, ut putamus indictum non est « *Urbi et Orbi*. Quaenam autem inibi privilegia fuerint « olim irrogata a Comite Episcopo an facultas in unum « pacifice habitandi, vel etiam domos et praedia a vecti-

« galibus libera possidendi , nostrum non est inquirere. « Nemo autem dixerit his piarum feminarum conventi- « bus concessas a iure canonico easdem immunitates ac « Regularibus speciatimque immunitatem a iurisdictione « parochiali in exequiis. Imo certis documentis (quorum « fasciculum infra exhibui) mihi compertum est D. Di- « diot incaute ab Anicio, Floriopoli, Claromontio, Lugduno « exempla adduxisse consuetudinis *duorum saeculorum*, si- « quidem Anicii, ante annos abhinc viginti, Sorores S. Io- « seph sepultura mandabantur a Parocho , neque ex eo « tempore quidquam aliter ab Episcopo Aniciensi statu- « tum est; pariter Lugduni et Floriopoli, ubi praefatae « Sorores nonnisi Communalibus utuntur coemeteriis, imo « et Claromontii ubi coemeterium habent sibi proprium « semper ad Parochum recurrunt in funeribus, quia pos- « sessio proprii coemeterii stricte per se non inducit il- « lam de qua disceptatur immunitatem. Nihilominus ex « citato decreto Episcopi Aniciensis anni 1665 audacter « infert D. Iulius Didiot a Sororibus S. Ioseph, ubique « locorum invocari posse *consuetudinem duorum saeculorum* « antiquitate firmatam. Neque advertit easdem Sorores re- « center in dioecesi Virdunensi fuisse admissas ibique ef- « formare familiam ab aliis eiusdem nominis omnino sepa- « ratam. Fatemur tamen quod, quibusdam in locis ubi se- « pulcreta possident intra domorum suarum limites, ibi « ministerio Capellani sui utuntur in exequiis : haecque « exceptio non destruit sed confirmat generalem regulam, « quae praefatas Sorores in Gallia Parocho subiectas re- « tinet quandocumque coemeteriis utuntur Communalibus. « Ad haec autem in dioecesi Virdunensi semper deferun- « tur Sororum cadavera et quidem processionaliter et cum « facibus atque exteris invitatis. »

Res cum ita sese habeant inutili prorsus labore, Parochus subdit, Monialium Capellanus ad consuetudinem plusquam centenariam recurrit, quae licet pro quibusdam Monialium S. Ioseph domibus alibi existentibus allegatur, ad eas tamen nullatenus extendi potest, cum ipsae familiam efforment ab aliis eiusdem nominis omnino separatam. Sublata vero consuetudine aedificium quod supra Capellanus extruxerat, mole sua ruat, necesse est.

Aliam denique rationem oppugnans, in qua de statutis Dioecesis Virdunensis disseritur, observat praeprimis paro-

chus eadem parochialibus iuribus opponi posse. Ait enim agi in themate de iuribus per sacros canones sancitis, quibus statuta Dioecesis ab Episcopis lata nullam laesionem inferre valent. Iura siquidem parochialia a iure communi profluunt, cui Episcopi derogare nequeunt; cum tralatitium in iure sit quod inferior non potest derogare legi a Superiore lata. Praeter haec, parochus quaestionem statutorum propius pertingens observat, quod ipsa nedum iuribus suis non refragantur, verum etiam iisdem quam maxime patrocinantur dummodo in toto perpendantur contextu. Iamvero dioecesis Virdunensis statuta a Monialium Capellano allegata praeter ea quae suae causae favere videntur, quaedam alia continent quae ipsius causae obsistunt, prouti erui datur ex Episcopi informatione quae sequentis est tenoris. « His autem duobus decretis quam« quam generaliter in suo textu enuntientur, quaedam exce« ptiones formaliter in eorumdem statutorum serie apponun« tur, ut cuique legenti perspicuum est scilicet in . . . art. « 138: – Nel caso di morte di una Religiosa o di una delle « persone indicate nel precedente articolo,.... l'uffizio a pro « della defunta si fa nella cappella del Monastero . . . Il « cadavere in seguito si trasporti all'ingresso del Monaste« ro ove il Curato della parrocchia lo riceve e lo porta « alla Chiesa parrocchiale ed ivi fa le preci e le cere« monie prescritte per tutti i fedeli. – Luce clarior est « praefata exceptio nullique disceptationi obnoxia. Cum « enim singulis diebus dominicis teneatur parochus, non « autem Monialium Capellanus (*ex decreto S. Rituum Congr.* « *diei 7 Decembris* 1844 *in Quebecen.*) ad Sacrosanctum « Missae Sacrificium offerendum pro spirituali familia, ex « qua certe Sorores nostrae non excluduntur, aequum erat, « ut non arceretur parochus ab ultimis precibus pro sa« lute illarum fundendis nec ultimo suo iure privaretur.

« Aliunde nemo nescit parochum plerasque puellas quae « scholam Virdunensem S. Ioseph frequentant, in Christo « Iesu per baptismum genuisse, nec unquam suo paterni« tatis huius spiritualis titulo posse destitui, rursusque pa« rochum, non autem Capellanum Monialium proprium « esse Sacerdotem, cuius praesentia vel delegatio requiri« tur ad matrimonium puellarum in quocumque monaste« rio educationis causa degentium. Quando enim aliud non « habent domicilium neque parentes apud quos confu-

« giant, recurrunt ad Rectorem parochiae, cuius in ambitu « situm est monasterium. Id proinde mihi mirum est a « Capellano Sororum S. Ioseph parochum vocari *Sacer-* « *dotem extraneum, cuius nec puellae cum ipsis conviventes* « *ullatenus oves sunt.*

« Magis ac magis demiror eumdem Capellanum asse- « rere praescriptionem statutorum, qua reservatur paro- « chorum ius in funeribus *iterata vice ab hodierno Virdu-* « *nensi Episcopo ita fuisse oblatam pro Monialibus S. Ioseph,* « *ut nunc non tantum ius, sed etiam possessio penes earum* « *Confessarium sit.* – Etenim mea quidem pace praedictus « Capellanus bis funera Sororum celebravit, scilicet qua- « dam die, moriente parocho, et iterum parocho absente; « sed non multo post, die 8 Septembris 1876 re matu- « rius examinata multumque ponderata decrevi : Sorores « S. Ioseph in posterum sicut antea submittendas iurisdi- « ctioni parochiali in exequiis istudque decretum, ut prae- « dictis Sororibus Capellanoque ipsarum denuntiaretur , « quamprimum curavi, ita ut nullus hodie allegari queat « erroris vel ignorantiae praetextus. » Hisce omnibus parochus tandem addit quod statuta dioecesana in illis articulis in quibus exemptionem et immunitatem a parochiali iurisdictione concedere videntur Monialibus, pertractant de Monialibus quae vere ac proprie sunt Regulares quae vota solemnia emittunt, et sub regula vivunt, quae a Sede Apostolica approbata sit. Cum vero in themate haec omnia Religiosis S. Ioseph nullatenus accommodari queant, perperam igitur Capellanus invocat subsidium vel a constitutionibus per Episcopum tantummodo sancitis, vel a resolutione S.C. in *recit. Syracusana* in qua de Monialibus, quae vere Regulares sunt, movebatur quaestio, ut sibi ius addicat in themate cadavera funerandi, ac ad commune coemeterium deferendi.

Quae cum ita sint grave ne sit EE. VV. ea qua pollent religione et iuris peritia sequentia dirimere

DUBIA

I. *An et cui competat ius funerandi ac sepeliendi cadavera Monialium in casu.*

II. *An et cui competat ius funerandi ac sepeliendi ca-*

davera Educandarum, Commensalium aliarumque personarum in religiosa domo ordinarie degentium, ibique decedentium in casu.

Et quatenus affirmative ad utrumque favore Confessarii.

III. *An locus sit solutioni stipendii et quartae funeralis favore Parochi in casu.*

Ad I. et II. Affirmative favore Parochi
Ad III. Provisum in praecedentibus.

Sess. 22 Decret. de Observ. et evit. in celebr. Miss.

SPALATEN. EXONERATIONIS. = Postremo condito elogio anno 1836 Matthaeus Juric' Vragnicensis in Spalatensi dioecesi nepotem ex sorore Stephanum Jelic' vocavit haeredem, nonnulla legata eidem imponens, et istud praeprimis « iure legati lascio al Parroco di Vragnizza la « mia terra Jankovacca ,perchè possa coi redditi di quella « celebrare tante Messe in suffragio dell'anima mia e de' « miei maggiori ».

Testatore e vivis sublato, possessionem dicti praedii mox obtinuit Vragnicensis Parochus Matthaeus Benzon; eoque pro sua vice debitum naturae persolvente, tenuerunt etiam possessionem eamdem nonnulli alii Parochi, oneribus alioquin Missarum examussim satisfacientes. Haud deerant verumtamen, qui legatum, non perpetuum , sed personale ac temporaneum favore unius Parochi ad obitum testatoris existentis relictum existimabant ; eapropter illo Parocho obeunte, iam praedium tamquam haereditarium haeredibus eiusdem autumabant esse devolutum. Ita nimirum arbitrabantur consanguinei quidam testatoris; iique exinde obtenta prius a parochi Benzon haeredibus cessione super iuribus legati , apud civile tribunal contra illius aevi Parochum institerunt, ut dictum praedium adiudicaretur iisdem tamquam cessionariis Benzoniorum.

Contestata lite, res in longum perducta fuit, usquedum, uti exponitur, in vim renunciationis a Parocho quoad litem emissae sententia civilis tribunalis legatitium praedium attribuit actoribus. Capta praedii possessione, in quatuor partes illud totidem victores diviserunt inter se. Nonnulli

deinceps alienarunt suam portionem; nonnulli vero ad proprios transmiserunt haeredes, tamquam liberam, atque ab onere Missarum penitus immunem.

Alter verumtamen ex hisce haeredibus, qui suam portionem conservarunt, Hieronymus Jelic' dioeceseos Spalatensis presbyter ac trium pupillorum tutor, haud obstante sententia iudicis civilis, voluntatem testatoris verosimilius eam reputans fuisse ut nominatum praedium una cum obligatione missarum ad parochos Vragnicenses in posterum spectaret, non ita iudicio tribunalis civilis acquievit, quominus Apostolica dispensatione opus esset ut familia sua in tuta ac iusta possessione partis quartae sibi obtentae persisteret. Die 1 Augusti 1876 supplici oblato libello Summum Principem adiens humillime expostulavit, ut attenta ipsius ac pupillorum nepotum paupertate, sibi venia elargita celebrandi una vice tantum certum ac determinatum numerum missarum, tum quoad praeteritum tum quoad futurum ipsius familia ab omni onere libera permaneret, ut possessionem quartae partis legati tuta conscientia conservaret perinde. Haec enim exponit Sacerdos praedictus. « Se non che allo scrivente sembra più probabile, « che sia stata l'intenzione di Matteo Juric' di tramandare « da Parroco in Parroco per l'annua celebrazione di tante « S. Messe, e, godendo pure la sua famiglia un quarto « di tale prateria, vorrebbe, la godesse colla benedizione « del Cielo, con coscienza sicura e tranquilla. Ma e che « fare? Obbligare la famiglia a restituire il suo quarto ai « Parrochi di Vragnizza? No: 1, perchè essa è legalmente « investita da un foro competente, senza che chiaramente « vi apparisca l'ingiustizia, 2. perchè v'hanno diritto teneri ragazzi, che non possono alienare – Costringerla a « devolverne i redditi annui per messe? Nemmeno: 1. per- « chè l'obbligo non è evidentemente certo; 2. perchè è « povera e non lo può fare. Quindi per tranquillare la « coscienza altro non resta allo scrivente, che rivolgersi « umile e devoto alla nota bontà della Santità Vostra, o « Beatissimo Padre, affinchè voglia *ex plenitudine potestatis* esonerare la famiglia dello scrivente da ogni ob- « bligo, qualora lo avesse presso Dio, pel futuro, e da « ogni mancanza pel passato, assegnando allo scrivente « (giacchè la famiglia non può) un dato numero di messe « da celebrarsi all'intenzione del Testatore per una volta « soltanto. »

Has preces, uti assolet, die 9 Augusti 1876 Episcopo Spalatensi pro informatione ac voto remisi, ut parocho Vragnicensi in scriptis audito, referret de valore et annuo redditu fundi, de quo in precibus, ac de legitima petitionis causa.

Die 17 Septembris 1877 una cum demandata relatione Archipresbyteri atque item Parochi, qui petitioni Oratoris obsecundans pretium quartae partis praedii in florenis 500, redditum autem in florenis 40 designabat, responsum ab eodem Episcopo accepi, qui ultro expetitae gratiae concessioni suffragatus est. « Io mi sento autorizzato di appoggiare la di-
« manda del sacerdote Jelic' di unirmi per le concernenti
« informazioni a quanto riferisce in merito l'arciprete Parroco
« e di proporre come faccio sommessamente alle EE. VV. che
« la famiglia dell'Oratore venga assolta da ogni eventuale
« mancanza pel passato, e sciolta da ogni obbligo per
« l'avvenire, derivanti dal possedimento di una porzione
« della prateria Jankovacca, lasciata da Matteo Juric' al
« parroco di Vragnizza per celebrazione di S. Messe, e
« che all'Oratore suddetto D. Girolamo Jelic' venga impo-
« sto l'obbligo di celebrare per una volta tanto un deter-
« minato numero di messe all'intenzione del testatore. Il
« quale numero venga ridotto al minore possibile. »

Haud tamen hactenus de legitimo titulo possessionis illius praedii liquido constante, transmitti exinde mandavi copiam sententiae tribunalis civilis, qua haeredibus parochi Benzonii vel haeredibus testatoris eorumdem cessionariis adiudicatum fuit. Studuit Episcopus mandatum adimplere; nihil aliud tamen exhibere valuit, quam litteras ab Oratore die 15 Maii 1878 ad eumdem datas in quibus apparet, petitionem tribunali civili ab eodem oblatam, ut requisitam copiam sententiae eiusdem tribunalis obtineret, remissam fuisse cum responso: « si restituisca con dichia-
« razione che nella presente istanza non è dato di rile-
« vare quale sia la sentenza di cui si domanda la copia. »

Hisce omnibus absolutis, petitionem sapientissimo iudicio vestro submittere constitui; nunc itaque praestat nonnulla utrinque ex officio animadvertere.

Ex parte quidem Oratoris militare prae primis videtur auctoritas rei iudicatae ob sententiam tribunalis civilis, cuius vigore legatitium praedium restitutum fuit cessionariis haeredum Benzonii. Utcumque enim exhiberi haud

valuisset sententiae eiusdem exemplar, nihilominus neque ex parte subsequentium Rectorum Ecclesiae, neque ex parte possessorum illius praedii, qui alioquin timoratae affirmantur esse conscientiae, neque ex parte alterius cuiuscumque dubitatum umquam est, quod praedium ipsum revindicatum fuerit in vim iudicii, quod a praedictis Jelic' fuit instauratum. Obtestatur enim Orator, quin tamen ullatenus eidem contradicat Episcopus, quod « giammai nessun par-
« roco si levò contro gli eredi del Juric' pel possesso di tale
« prateria. Che giammai nel paese s' udì la minima taccia
« di usurpazione o di ingiustizia riguardo a tale prateria.
« Che appena entrati gli eredi del Juric' sul possesso di
« tale prateria alcuni di essi vendettero tosto le loro por-
« zioni a uomini intelligenti e cospicui del paese, i quali
« certamente giammai le avrebbero prese, qualora non
« fossero stati più che certi del legale acquisto della pra-
« teria. Che gli eredi di Matteo Juric' i quali riacquista-
« rono la prateria, erano di fama illibata e di buona co-
« scienza nè giammai nemmeno in punto di morte diede-
« ro segno del minimo rimorso per aver acquistato tale
« prateria. »

Haec autem res iudicata ex eo potissimum valorem et robur desumit, quod praecipuam causam eidem dederit cessio a parocho, qui litis tempore Ecclesiam regebat, emissa in iudicio. Manifestum enim per se est, quod renunciatio, quae affirmatur a parocho facta liti, haud aliud in se fuerit, quam repudiatio legati, quia in eodem iudicio examussim disceptabatur de revindicatione praedii a testatore Ecclesiae Parocho relicti pro celebratione Missarum. Quo magis at vero potuisset Parochus legatum repudiare, prae primis suadet incertitudo legati ipsius, num nempe eiusdem personae relictum fuerit, potiusquam Ecclesiae. Ex quo enim ita se expressit testator: « lascio al Parroco di
« Vragnizza la mia terra di Jankovacca, perchè possa coi
« redditi di quella celebrare tante messe in suffragio del-
« l'anima mia e de' miei maggiori », haud satis liquido constabat, non Parocho sed Ecclesiae voluisse praedium relinquere: quandoquidem non raro contingit ut intuitu amicitiae, vel consanguineitatis, vel alterius persimilis causae testatores magis personae Rectoris, quam Ecclesiae beneficium conferre intelligunt, quemadmodum animadvertit Ferraris *biblioth. can. verb. legatum num.* 172: « si le-

« gatum relictum sit Episcopo, seu Rectori alicuius Eccle-
« siae, ad cognoscendum cui debeatur, attendendae sunt
« coniecturae. Vel enim legatum relictum est ab extraneo,
« nulla praecedente amicitia, seu benemerentia Episcopi,
« aut Rectoris, et tunc legatum non debetur Episco-
« po vel Rectori, sed Ecclesiae . . . Vel legatum relictum
« est a consanguineo, propinquo, amico, familiari, bene-
« ficato, et huiusmodi; et tunc legatum debetur, non Ec-
« clesiae, sed Episcopo seu Rectori; cum censeatur reli-
« ctum solum intuitu personae, non obstante quod expres-
« sum sit nomen dignitatis. »

Quum perlongo quidem tempore super legato efferbuisset quaestio inter successores Parochi existentis de tempore obitus testatoris, et consanguineos testatoris eiusdem ex cessione iurium ab illius Parochi haeredibus effecta, haud quidem facile praesumi potest, quod praedictis cessionariis contendentibus nullum ex intuitu ipsius Parochi legatarii subsidium opitularetur, quominus non Ecclesiae, sed eidem Parocho prativum praedium relictum assererent a testatore. In ancipiti alioquin quaestione, neque consultum, neque illegitimum diiudicari debet, si Parochus, qui impetebatur iudicio, tametsi in possessione praedii versaretur, nihilominus recedendo a lite, abdicaverit legatum. Non una quippe, sed variae et non tenues occurrebant rationes, ut a dispendiis et periculis iudicii eximeret suam Ecclesiam. Primo quidem quod nullum ex eo legato ipsa compendium referebat, dum fructus praedii essent ex integro in celebratione missarum erogandi; deinde etiam quod forsan scandalum ex eo iudicio derivabat, maxime dum testatoris successores in indigentia versabantur; quibus profecto in casibus magis est conveniens ut Ecclesia damnum patiatur, quam ut scandali praebeat occasionem, ceu scite animadvertit *Amostatius de causis piis lib. 1 cap. 12 n. 51* « sunt aliquae causae, qui-
« bus Praelatus excusatur, si legatum repudiet; nempe
« quando adesset grave scandalum, si non repudiasset,
« quia relictis pauperibus consanguineis, Ecclesia perci-
« peret legatum, *cap. Nihil 2 De praescript.* Ecclesiae
« enim magis est conveniens, ut damnum patiatur, quam
« det scandalum; vel quando haereditas ita litibus com-
« plicaretur, ut difficile foret legatum accipere, quia ser-
« vos Dei expedit ab strepitu causarum esse quietos, *cap.*
« *un. De syndic.* »

Quod si, quemadmodum Orator affirmat, eidemque fidem adhiberi posse Episcopus obtestatur, post captam ex relato iudicio praedicti praedii possessionem, nedum consanguinei testatoris, verum etiam tertii possessores, qui in partem praedii vel venditionis vel successionis titulo concesserunt, numquam dubitarunt de eiusdem possessionis legitimitate per longissimum temporis effluxum, non minus validum exinde subsidium eruitur, ut de iustitia et firmitate eiusdem sententiae iudicetur, adeo ut de ipsa haud aliter instrui posset disquisitio quam per restitutionem in integrum. Hoc enim haud intercedente remedio, sententia habet semper pro se praesumptionem, atque in statu implicitae validitatis consistit, ad ea quae tradit *Menoch. de praesumpt. lib.* 6 *praes.* 62 *n.* 9, *Scaiux de appellat. qu.* 19 *remed.* 2 *n.* 16, *Oddo de rest. in integr. part.* 1 *art.* 4 *n.* 13 *Cavaler. dec.* 180 *n.* 3. *et Rota Rom. dec.* 513 *num.* 11 *part.* 18 *rec.* « dum agitur de sententia, quae transitum fecit in rem iudicatam, et executioni fuit demandata, ac diu observata, et sic faciat statum et de ea cognosci non possit, nisi praevia restitutione in integrum, dum interim habet praesumptionem pro se, et statum validitatis ».

Quoniam vero ex hucusque adductis, tum nempe ex ambiguitate voluntatis testatoris, tum ex sententia super legato prolata, tum denique ex praesumpta et asserta abdicatione rectoris Ecclesiae affirmari posse videtur, quod ipsum legatum in favorem Parochi tunc viventis cessisset, consequens exinde erit, quod onus missarum haud etiam eiusdem personam excesserit, quando testator de perpetuitate oneris nec verbum adiecit, nec volam. Scitum enim est, in ambiguo legato semper id quod minus est contineri *Rot. Rom. in Fanen. Divisionis super relicto* 18 *Iunii* 1830 § 6 *coram Ruspoli* « alia sed iuris regula subibat, quare bonis libere per testatorem acquisitis legatum sit coercendum; namque cum non appareat quid plane testator senserit, ambiguumque sit omnino legatum, quod proinde minus est in eo contineri, certum exploratumque erat *ad text. in leg. nam Severus* 39 § 6 *ff. de legat. si ita* 14 *ff. de legat.* 3, *Rot. in Romana seu Sabinen. legati* 2 *Iulii* 1749 §. 4 *cor. Manual*, *Romana legati* 5 *Decembris* 1808 §. 2 *cor. Bardaxy* ».

Sive itaque hoc ipsum attendatur, sive etiam consi-

deretur, quod bona adhuc fide omnes detentores partium legatitii praedii in pacifica possessione versati sunt, congruum esse ac rationabile videtur, ut Orator, qui non magis suum compendium persequitur, quam indemnitatem pupillorum suae curae concreditorum, opitulante suffragio Episcopi, et Rectoris Ecclesiae consensione, hac gratia donetur, ut mediante celebratione cuiusdam numeri Missarum iuxta voluntatem testatoris, ab quacumque alia obligatione tam pro sua quam pro pupillorum parte praedii exoneretur, iuxta preces ab ipso porrectas. « Desiderando, che « tutto sia secondo Dio, si fa sacro dovere di tranquillare la propria coscienza, e di esonerare la propria famiglia da ogni obbligo, che aver potesse presso Dio, memore delle parole dell'Apostolo – si quis suorum maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, « et est infideli deterior ».

Ex altera tamen parte apprime considerandum est, quod in praescribendis quibuscumque iuribus et obligationibus erga Ecclesiam, possessio haud minus 40 annorum spatio continuata requiritur. Quum vero sententia tribunalis civilis nonnisi circa annum 1856 feratur lata, hinc nullatenus locus fieri huic praescriptioni poterit, dum vix viginti tres anni effluxi abhinc fuerint a possessione. Praedium igitur legatitium tametsi iudicialiter contra Ecclesiam vindicatum fuerit, adhuc tamen remanet oneri missarum subiectum; nec quisquam possessor tuta conscientia propriam portionem illius conservare potest absque oneris respectivi satisfactione.

Animadvertendum enim est maximum discrimen adesse inter possessionem praedii et onus missarum eidem inhaerens. Etiamsi enim concedatur quod possessionem prati, attentis particularibus circumstantiis superius expositis, Tribunal civile legitime haeredibus Jelic' adiudicare potuisset, eos tamen ab onere missarum numquam potuit eximere. Hoc unice ad forum Ecclesiae pertinet; quare, revindicata etiam possessione pro haeredibus Parochi, obligatio celebrationis missarum sequitur ipsum praedium apud quoscumque detentores, quum non ob aliam causam illud testator reliquisset parocho, praeterquam ad celebrationem missarum ex fructibus illius satisfaciendam.

Sacra namque et inviolabilis debet esse testatorum voluntas, praesertim ubi ad animae suae propinquorumque

suffragium dispositio testamentaria sit collata. Et si ex ipso profano iure religiosum semper fuit iuxta legem XII Tabularum ut = *uti quis de pecunia tutelave rei suae legassit, ita ius esto,* = multo magis hoc erit custodiendum, ubi pia ac religiosa in id feratur voluntas, ut in obsequium Dei, et in subsidium animarum in piacularibus ardoribus existentium praestentur legata. Nefas enim est violare testatorum voluntatem, ut propinquorum utilitati consulatur; quando eorumdem testantium conscientiam, quae supremas tabulas ut plurimum inspirat, perscrutari et dignoscere haudquaquam hominibus concessum est, sed sibi Deus reservavit.

Hisce autem accedit, quod nec bona fides in possessione quartae partis praedii suffragari Oratori censendum est, quominus hanc eamdem partem praedii legitimo titulo detineat; quippe qui ex iure haereditario possidens de mala fide antecessorum suorum iuxta notissimum iuris principium respondere debet. Etsi enim integrum praedium ipsius auctores revindicassent in vim sententiae iudicialis, inficiari haud tamen poterit, quod titulus ab iisdem deductus aliquam fraudis suspicionem ingerat. Non enim ex iure proprio, sed ex iure haeredum Parochi Benzon, et tamquam eorumdem cessionarii iudicium vindicationis instaurarunt contra Ecclesiam. Quum alioquin praedicti Parochi haeredes numquam possessionem prativi fundi obtinuissent, perfacile quidem vel precibus vel aliquo premio utut etiam tenuissimo adpromisso, cessionem iurium ab illis extorquere potuerunt Oratoris auctores. Hoc autem collusionem quamdam praesetulisset inter cessionarios et cedentes quae ad intentionem testatoris eludendam et fraudandam fuisset directa; sed quia fraus et dolus nemini debent patrocinari, nec igitur iuvari debuissent Oratoris antecessores ut praedium obtinerent, quod non a suis auctoribus haereditario iure consequuti sunt, sed ab alienis personis acquirere studuerunt.

Quidquid caeteroquin sit de ratione, qua indicium vindicationis praedii adstruere, atque amicam sententiam obtinere valuerunt testatoris consanguinei, cum caeteroquin sententia ipsa ex una desertione Rectoris Ecclesiae repetenda sit, nihil ferme eadem proficit ad legatum missarum in persona Oratoris et pro quarta parte ab eiusdem auctoribus occupata perimendum. Utut iamvero controversia

aliqua de ambiguitate voluntatis testatoris quoad personam legatarii potuisset exagitari, onus tamen missarum in eo quod respicit perpetuitatem durationis, haud umquam posset in discussionem vocari; quippe quod cum sit satisfaciendum ex fructibus non vero ex capite seu pretio fundi, ex eo ipso censendum est perpetuum, quemadmodum perpetui sunt fructus legati praedii. Scitissime enim per relatum *Amostatium* traditur, quod in legato Missarum, quando ex qualitate rei legatae coniici potest voluntas reiterandi in perpetuum suffragia iuxta naturam frugiferam ipsius rei, tunc legatum ipsum censendum est perpetuum; ita citatus Auctor *de causis piis lib.* 2 *cap.* 10 *num.* 8. = *in dubio favore causae piae legatum praesumitur perpetuum, non vero pro unica vice.... Quod idem dicendum quando ex qualitate rei legatae, ad adimplendas Missas coniecturaretur voluisse testatorem Anniversarium, seu onus perpetuum Missarum, veluti si fundum legasset fructiferum, et qui quotannis pensionem, seu fructus redderet, nam ex qualitate rei legatae cognoscitur velle onus perpetuum Missarum: Tiraquellus in leg. boves* § *Hoc sermone ff. de verbor. signif. limitat.* 18, *Lara De anniversar. lib.* 1 *cap.* 3 *n.* 29, *Leon. de offic. capellani quaest.* 5. *sect.* 1 *num.* 6. =

Haud quidem alioquin agitur in praesenti casu de absolutione super omissa missarum celebratione ob causam paupertatis quoad tempus praeteritum, in quo iis celebrandis imparem omnino factum esse Oratorem videtur; quo porro in casu impotentiam supplendi praeteritas omissiones legitimam esse causam ut absolutio indulgeatur facile eruitur ex quamplurimis H.S.O. resolutionibus uti in *Feretrana* 17 *Septembris* 1808, *Civitatis Castellanae Absolutionis* 22 *Ianuarii* 1842, *Massen. Pii legati* 23 *Aprilis* 1842. Agitur e contra de absolutione super celebratione missarum quoad futurum et praesertim ob partem praedii ab Oratore possessam. Utcumque enim tres partes fundi, de quo controversia est, ad tertios possessores devenerint liberae ab omni onere missarum ac uti tales ab iisdem bona fide emptae fuerint, ita ut de legitima possessione partium venditarum ne dubium quidem moveretur, non inde tamen argumentari licet, hanc etiam partem quartam ab omni onere missarum immunem esse. Esset quidem contra aequitatem illas tres partes praedii ad tertios possessores translatas ab

omni obligatione exemptas manere, et quartam partem integro onere praegravari; sed non minus iniustum videtur, quod haec pars ab Oratore detenta a qualibet obligatione liberetur ; quum, ceu desuper notatum est, illud praedium haud alias auctores eius obtinuerint quam propter cessionem valde suspectam ab haeredibus Parochi Benzon emissam, et propter renunciationem liti factam a Rectore Ecclesiae, qui impetebatur iudicio; et quoniam haeres nedum in obligationibus sui auctoris succedit, imo etiam de eiusdem mala fide participat, hinc quemadmodum a praedicto onere missarum haud potuissent auctores iidem absolvi, idcirco nec ipse quidem absolvi posse videtur.

Haec omnia EE. VV. perpendentes dignentur infrascriptum exsolvere

DUBIUM

An et quomodo indulgendum sit Oratoris precibus in casu.

Praevia absolutione quoad praeteritum, pro gratia exonerationis quoad futurum celebratis Missis viginti pro una vice tantum, facto verbo cum SSmo.

FULGINATEN. REINTEGRATIONIS. = Per renunciationem ab Angelo Cirilli Parocho Episcopi Fulginaten. iussu emissam , sub die 17 Iunii anni 1857 vacavit Ecclesia Parochialis Sancti Fortunati Villae Cassignani , quam idem Episcopus modo uni, modo alteri Sacerdoti administrandam precario dedit; donec die 1 Octobris 1863 bonum esse duxit eam adsignare cuidam Aemygdio Girolami, qui Oeconomi Parochi munus pariter exercebat. Parochus sed vero resignans, in rerum patrimonialium, qua detinebatur, angustia , ne victum, cum ecclesiastici ordinis dedecore , mendicare cogeretur et ne titulo ordinationis carens extaret, pensionem annuam 30 scutatorum super beneficii parochialis redditibus , saltem donec alio titulo provideretur , in renunciationis actu sibi reservare sategit. Verumtamen de huiusmodi pensione parochus Ci-

Sess. 24 cap. 18 de Reform.

rilli diu siluit; donec post elapsos plusquam septem annos, die nempe 10 Augusti 1864 Parochum Oeconomum Girolami apud tribunal civile Perusiae in iudicium vocavit, ad effectum reclamandi praeteritarum pensionum solutionem, quae numquam praestitae fuerant.

At Oeconomus Girolami, qui de hac pensionis reservatione ullo tempore ne verbum quidem audiverat, ab huiusmodi iudiciali petitione percitus, administrationi parochiali vale dicturus, Episcopum illico adivit. Voti tamen compos haud factus est: siquidem videtur quod Episcopus bene noscens huiusmodi pensionem, utpote S. Sedis approbatione destitutam, nullo iure suffultam esse, eidem persuasit, ut causam pro parochialibus bonis tuendis susciperet, quandoquidem Episcopus ipse pecuniam, pro lite sustinenda, provideret. Huiusmodi promissionibus Oeconomus allectus, Episcopi mandatis licet invitus obtemperavit atque patronum sibi elegit, cui 50 libellae pro lite aggredienda oblatae sunt, quae iuxta promissa ab Episcopo solutae fuerunt. Post haec ad pugnam ventum est, quae votis non arrisit: tribunal namque civile bonum ius actoris recognovit et Parochum Oeconomum cum ad praeteritas annuas pensiones, tum etiam ad expensas iudicii solvendas condemnavit. Quo vix audito Oeconomus, ne gravioribus aliis incommodis obviam iret, paroeciam dimisit et litis prosequutioni insuper valedixit, quae deinde opera et studio Suboeconomi regii, uti ferunt , ad quem bonorum parochialium administratio spectabat, resumpta, immutato fato, meliorem exitum habuit.

Verumtamen huiusmodi renunciatio eo quod ab Oeconomo nimis sero emissa fuit, eumdem a peracti iudicii molestiis immunem haud reddidit. Sane paullo post 500 libellarum summam solvere coactus est pro suo et adversae partis patrocinio; quapropter aere alieno se gravare necesse fuit.

Ex hactenus expositis Oeconomus Girolami ratus huiusmodi expensas vel de bonis Episcopi, quo iubente litem ipse suscepit, vel sin minus de redditibus parochialis beneficii, quorum gratia lis suscepta fuit, solvendas esse, sub die 7 Iunii 1878 H. S. O. supplicem libellum obtulit expostulans: *affinchè vedute le sue ragioni voglia o dalla Curia o dalla Parrocchia farlo risarcire de' gravissimi danni ingiustamente sofferti.*

Acceptum libellum ea ipsa die Episcopo ablegavi pro informatione et voto, ut, auditis interesse habentibus, referret super bono Oratoris iure.

Episcopus H. S. C. iussa faciens litteris die 24 Iulii 1878 postquam nonnulla praemiserit circa invaliditatem reservationis pensionis a Parocho Cirilli peractae, qui iam in summa paupertate diem obiit supremum, quoad preces ab Oratore S. V. O. oblatas animi sui sensum aperuit haec animadvertens. « Quo autem bono iure nunc praefatus Aemygdius « praetendat dictam summam L. 500 ipsi reintegrandam « esse sive a Curia, sive super temporalia Paroeciae bo« na, quae maxime exigua sunt, hoc non intelligitur. Certe « in praesenti casu est miseranda conditio Oratoris, at « ipsi ius nullum arridere videtur ut eius preces exci« piantur cum damno tertii, sive Curiae, quae nullum « fundum habet, sive actualis Parochi Cassignani ».

Huiusmodi accepta Episcopi informatione, die 27 Iulii eiusdem anni iterum rescripsi. *Coadiuventur probationes super bono Oratoris iure*. Novis H. S. C. mandatis obtemperavit Sacerdos Girolami, et sub die 24 Augusti binas depositiones misit, quarum una a Secretario defuncti Episcopi Belletti subsignata erat, altera vero ad quemdam Salvatorem Maneschi pertinebat Curiae Episcopali Fulginaten. tunc temporis addictum. A prima ex hisce declarationibus eruitur Episcopum revera praefato Oratori 50 libellas tradidisse ut contra praetensa Parochi Cirilli iura sese defendere valeret. Ex altera vero patet saepe laudatum Girolami Paroeciae ideo nuncium mittere voluisse, quia huiusmodi quaestioni sese immiscere nolebat, eo quod agebatur de negocio, quod ipsum non afficiebat, quodque ipse iugiter ignoraverat: scatet etiam Episcopi mandatum, cui repugnare nullimode poterat, causam fuisse, ut ipse spiritualem Paroeciae administrationem denuo susciperet. In tali rerum statu die 31 Augusti 1878 sequens edidi rescriptum: *Ponatur in folio* atque actis rite expletis, cum causa in hodiernis comitiis dirimenda proponatur sub dubii formula in calce libelli excripta, mei muneris ratio postulat, ut rationum momenta a partibus adducta proferam una cum nonnullis interdum ex officio animadversis.

Parochus Oeconomus Girolami pro aris et focis sustinet libellas 500 ab ipso solutas, ex fructibus parochialibus, vel ab Episcopo sibi rependendas esse. Ac prae-

primis ex fructibus parochialibus quia tale damnum ipse pertulit propter litem quam pro tuendis iuribus et bonis ipsius paroeciae suscepit. Quo posito aequitati iustitiaeque conforme esse asserit, ut quis ab eo sublevetur, in cuius commodum controversia cedere debebat. *Cum non decet alicui officium alteri praestitum esse damnosum* uti legitur in *Cap. Cum non* 30 *de Elect.* in 6. Nec obstat quod, ut evenit in praesenti casu, negotium utiliter haud gestum fuit; hoc siquidem per accidens atque extra agentis intentionem et culpam accidit. Porro non est novum in iure neminem sine culpa esse poena plectendum, prout docet *Reg. Iur.* 23 *in* 6. – ibi – « *sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.* »

Quod si EE. PP. videbitur de bonis paroeciae haud esse reintegrandum quia actualis parochus, quatenus oeconomus hac super re excutiendus haud esset, contendit hoc onus ab Episcopo successore satisfieri debere; idque evincere conatur simplici innixus rationi, quod scilicet Antistes Belletti fel. rec. tunc temporis Fulginatensis Episcopus litis auctorem et veluti expromissorem sese constituerat expressis verbis spondendo sese eiusdem litis varias vicissitudines et incertos eventus esse subiturum. In cuius rei confirmationem factum adducit, quod huiusmodi iudicium ipso Episcopo auctorante incoeptum fuerit: quod ipse Episcopus patronum proposuerit ab Oeconomo Guglielmi eligendum pro iudicio penes tribunal civile Perusiae prosequendo : quod tandem ipse idem Episcopus 50 libellas pro iudicio instituendo ad laudatum patronum sibi benevisum de proprio miserit.

Sane quidam Lucas Giacinti ad rem requisitus haec pro veritate deponit: « Attesto inoltre avere interrogato « il detto Girolami, perchè non ritornava in Parrocchia, « ed aver ricevuto in risposta non voler ritornare più « affatto e volersi invece stabilire in Foligno per non « aderire ad una causa mossa da un certo Cirilli suo « antecessore, dalla quale, stando in Parrocchia, non po- « tevasi esimere in verun conto; alla fine poi per sola « obbedienza al Vescovo d'allora Mons. Belletti, fece a « suo malincuore ritorno, perchè incoraggiato da ampie « promesse e protezione per qualsiasi sinistra eventualità, « dal ripetuto Vescovo di Foligno, che spedì all'Avvo- « cato Lelmi lire cinquanta. » Eadem recinit Petrus

Balzetti Parochus Loci Pepola. « Per la pura verità richiesto io sottoscritto Parroco del Castello di Pepola « certifico di ricordarmi benissimo che... il lodato Sig. « Canonico Girolami nel giorno 18 Agosto 1864 si recò « in questa Curia per emettere la sua rinuncia dall'officio « di Vice-Parroco della suddetta Parrocchia, non volendo « sottostare alle spese di lite e molto meno al pagamento di detta pensione, che avrebbe assorbito tutte le « rendite della medesima Parrocchia. Però alle molte e « ripetute assicurazioni fatte da Sua Eccellenza Mons. Nicola Belletti di ch. mem. al ripetuto Sig. Canonico « Girolami, che cioè le spese necessarie per la lite sarebbero state da lui improntate, come infatti nell'atto « stesso vennero dalla lodata E. S. antistate L. 50 per « le prime spese della causa stessa, desistè dall'emettere « la sua rinunzia, e solo per obbedienza ed a malincuore « acconsentì a firmare il mandato di nomina di procuratore *ad lites* etc. » Concordant quae tradit Sacerdos Franciscus Fucci tunc eiusdem Episcopi Secretarius. « In « allora Monsignor Belletti per opporre una difesa alla « suddetta citazione consegnò lire cinquanta, somma prelevata dai fondi spettanti alle tredici Parrocchie povere « della Diocesi. » Prae ceteris tandem digna est ut specialiter perpendatur depositio Francisci Filippini, qui tempore quo haec evènerunt, Cancellarii Episcopi munus obibat. Iamvero praefati testis verba sic sonant: « Per la pura « verità richiesto, io sottoscritto certifico di ricordarmi « benissimo che... il lodato Sig. Canonico Girolami nel « giorno diciotto Agosto 1864 si recò in persona in questa « Curia Vescovile per emettere anche egli la rinuncia a « detto Officio di Vice-parroco della suddetta Parrocchia, « non intendendo di sottostare alle spese di detta lite e « molto meno al pagamento della reclamata pensione, « ma in seguito alle più esplicite osservazioni fattegli da « Mons. Nicola Belletti allora Vescovo di questa Città di « ch. mem. alla presenza mia e anche di Mons. Gaetano « Franceschini che ricuopriva la carica di Vicario Generale, « che le spese necessarie per la detta lite sarebbero state « da lui improntate, come infatti nell'atto stesso vennero « dal lodato Mons. Vescovo antistate lire cinquanta per « le prime spese di èssa, desistè dall'emettere la detta « rinuncia e per sola ubbidienza ed a malincuore accon-

« sentì di firmare il mandato di nomina di procuratore « *ad lites* ricevuto per gli atti miei nella persona ec. ».

Ex hactenus adductis praeter alia hoc maxime erui posse concludit Oeconomus Girolami, Episcopum nempe fecisse suam hanc causam, adeoque ipsum solum teneri ad satisfactionem onerum et obligationum omnium quae ex hac causa obvenerunt. Siquidem factum cuique suum, minime vero alteri nocere debet, regula iuris est qua non vulgatior ulla. Eo vel magis quia inter partes aperte cautum fuit quod Episcopus expensas omnes ex hoc iudicio derivaturas sustineret. Labore itaque prorsus inutili hanc obligationem Episcopus hodie eludere conatur quia *quod semel placuit, amplius displicere non potest Reg.* 21 *de Reg. Iuris in* 6. Idque vel maxime in praesenti casu locum obtinet, in quo voluntatis mutatio in praeiudicium alterius verteret, iuxta *Reg.* 33 *de Reg. Iuris in* 6° – ibi – « *Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum.* Cui concordat altera Iuris Civilis 75 *ff. de Reg. Iur.* – ibi – « *Nemo potest mutare consilium suum in alterius iniuriam.* » Ratio est: quia fidei humanae, aequitatique et iuri naturali nil est magis adversum, quam dicta et promissa sicque fidem praesertim in aliorum praeiudicium non servare *l.* 1 *ff. de pecun. constit. pr.* – ibi – « *Grave est fidem fallere* etc. *Reiff. Cap. II de Reg. Iuris in* 6° *num.* 7°. Quin imo consilii mutatio nedum in damnum innocentis cederet; verum etiam in praeiudicium illius verteret qui huiusmodi mala ideo perpeti deberet, quia proprii Episcopi votis et mandatis obtemperavit. Quod quam abnorme sit, praesertim ob malum exemplum et ansam quod caeteris ecclesiasticis praeberetur Episcopi monita et iussa contemnendi nemo est qui non videat.

Quae cum ita sint iure optimo concludi posse videtur Oeconomi Girolami preces nedum aequitatis verum etiam iustitiae legibus inniti; cum in iure notum sit ibi debere esse poenam, ubi est noxa. Quod autem noxa reperiatur in eo qui Episcopi iussa fecit, nullo modo concedi posse videtur. Neque enim de negligentia praefatum Oeconomum Girolami arguendum esse putarem eo quod, ut ait actualis Episcopus, in iudicio non exceperit actorem Cirilli omni legali actione contra ipsum esse destitutum, tam quia Paroeciae bonorum administratio erat penes regium Suboeconomum, et minime penes ipsum,

quam quia reservatio pensionis nullius roboris erat, nam in facto ab Episcopo Belletti admissa non fuit, nec eamdem admittere potuisset obstante *Constit. Benedict. XIII. Quanta pastoribus animarum* qua reservatur Apostolicae Sedi ius pensionis admittendae super parochialibns beneficiis.

Praeterquamquod enim demonstrandum foret huiusmodi exceptionis defectum causam fuisse quod revera inimicam sententiam idem retulerit; animadvertendum praeterea est quamlibet culpam, si culpa in hoc peragendo negotio reapse adfuit, in ipsum Episcopum recidere qui talem patronum Oeconomo Guglielmi eligendum obtulit. Perpendendum quoque venit ulterius Oeconomum Girolami ad impossibile non teneri: profecto impossibile ab eo petitur, cum Episcopus contendit quod huiusmodi exceptionem patrono suo suggerere debebat ipse, qui nihil omnino sciebat, sive de pensione, sive de modo quo ea reservata fuit,quique solum nomen in hac controversia praestiterat. Hoc onus edocendi nempe de omnibus patronum Episcopo incubuisse videtur, quem nihil horum omnium latebat, quique reluctantem Oeconomum ad litem suscipiendam coegit. Cum itaque malus huiusce controversiae exitus sine Oeconomi culpa accidisse affirmari posse videatur, consequitur quod mala quae inde obvenerunt ab Episcopo sustinenda sint, cuius imperio atque nomine negotium gestum est.

Neque tandem ad sublevandam a dicta solutione Curiam, opponere iuvat agi in themate de simplici asserta verbali promissione defuncti Episcopi uti persona privata, quae successores non tangit. Haec siquidem res quantum a veritate abhorreat luculenter ostendere videtur depositio defuncti Episcopi Secretarii asserentis: « In allora Mons.Belletti « per opporre una difesa alla suddetta citazione consegnò « lire cinquanta, *somma prelevata dai fondi spettanti « alle tredici Parrocchie povere della Diocesi.* » Quae sane verba, absque ulla dubitationis alea, innuere videntur, Episcopum Belletti non uti personam privatam se gessisse, sed tamquam Dioecesis Fulginaten. Ordinarium, qui propterea potestate utebatur, qua uti Ordinarius gaudebat, disponendi de fundis Paroeciarum indigentium paupertati sublevandae reservatis. Sub quovis itaque respectu res inspiciatur, concludi posse videtur Curiae Episcopali Fulginaten. onus incumbere Oeconomum Girolami reinte-

grandi pro expensis in 500 libellarum summa ab eo indebite solutis.

Ex altera vero parte actualis Episcopus Fulginaten. contendit Oeconomum Girolami a limine iudicii repellendum esse, eo quod actione sive contra Curiam Episcopalem, sive contra praesentem Parochum Ecclesiae S. Fortunati experiunda deficiat. Sane huiusmodi actionem haud habere videtur contra Parochum , nedum quia cum paroeciam regendam susceperit iudicio iam absoluto , rem nec habuit nec habere potuit cum actore Girolami, verum etiam quia Oeconomus cum sit, nullo pacto sese occupat de Paroeciae patrimonio, cuius administratio in praesenti rerum conditione ac statu penes Sub-oeconomum a Gubernio deputatum remanet. Re quidem vera actualis Sacerdos vices parochi gerens veluti operarius spiritualis habendus est, qui ob operam in animarum sibi commissarum bonum praestandam, mercedem suam servitio correspondentem a Gubernii Sub-oeconomo quotidie recipit. Res itaque cum ita se habeant, profecto nescitur quo bono iure innixus Oeconomus Girolami 500 libellarum summam a vices parochi gerente nunc repetere potest. Si enim huiusmodi controversiam contra Parochum Cirilli suscipiendo, negotium patrimonii parochialis gessit sique ab eo foret reintegrandus ; sequeretur inde quod praedictarum 500 libellarum restitutionem ab eo petere deberet , in cuius commodum ac utilitatem parochialis beneficii redditus cedunt. Atqui excepta mercede favore Parochi Oeconomi pro servitio spirituali statuta, caeteri fructus omnes a Paroeciae beneficio profecti Gubernii administrationi vulgo *Demanio* cedunt : ergo unice contra Demanii administrationem Oeconomus Girolami actiones atque iura sua exercere debuisset: hoc siquidem magis aptum magisque proficuum opus futurum fuisse videtur.

Neque aliter dicendum de actione, quam ipse protueri conatur contra Curiam Episcopalem. Sane tralatitium in iure est quod factum Procuratoris in vim accepti mandati agentis , censetur factum domini , seu mandantis iuxta Reg. Iur. 72 in 6° – ibi – « *Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per seipsum.* » Cuius regulae veluti sequela est aliud iuris principium , quod scilicet procuratoris sive generalis sive specialis negligentia vel dolus si in executione mandati fines non excesserit ,

domino nocet qui sibi imputare debet, quod negligentem vel dolosum procuratorem constituerit *L. Cum mandato ff. de Minorib.* ipsique non melius invigilaverit. Cum itaque in themate Oeconomus Girolami culpa et negligentia procuratoris ab eo constituti causa ceciderit, et 500 libellarum expensis obviam iverit: ex hoc sequitur quod ipse mandans hoc damnum unice persentire debeat; eo quod ad ipsum tantum pertinebat de proprio negotio maiorem curam habere. Audiatur sane quid ad rem H.S.O. scribit Episcopus: « *facile erat citato Emygdio Girolami excipere in iudicio Actorem Cirilli omni legali actione contra ipsum esse destitutum ac propterea ab observatione iudicii esse exemptum.* »

Frustra vero, ad huiusce argumentationis vim debilitandam, opponere videtur Girolami, verum mandantem seu dominum huius iudicii fuisse defunctum Episcopum Belletti: hoc enim ex factorum historia non apparet. Resultat quidem quod Episcopus, ad expugnandam Oeconomi Girolami reluctantiam, promisit se expensas necessarias fore soluturum, et quod etiam procuratorem indigitavit: at manifeste non erumpit, quod ipse in locum Oratoris successit hanc controversiam in se suscipiendo, nec quod eumdem coegit ad illum, et minime alium Procuratorem eligendum.. Eapropter Oeconomus Girolami tamquam verus mandans, seu verus litis dominus habendus erat, qui de procuratoris culpa sive negligentia tenebatur; maxime quia ipsa in Episcopum Belletti nullatenus refundi debet, dum paucos post dies ab huiusce mandati exhibitione, antequam lis inchoata esset, supremum diem obiverat.

Verum, prosequitur Episcopus, dato etiam quod Episcopus Belletti veluti litis dominus habendus sit, tamen Oeconomi causa nihil proficeret, eo quod praefatus Episcopus, non tamquam Dioecesis Ordinarius, sed uti persona privata hoc debitum contraxit. Iamvero cum de huiusmodi obligationibus haeredes sive legitimi, sive testamentarii respondere debeant, sequitur, quod consultius et utilius Oeconomus egisset, si contra huiusmodi haeredes sua rationum momenta apud tribunal civile expendisset. Tandem parumper admisso, sed numquam concesso, quod hanc controversiam et subsecutam obligationem uti Dioecesis Ordinarius Episcopus Belletti suscepisset, ut expensarum refectionem a Curia repetat, tamen fixum et immotum remanet, quod actualis Episcopus de huiusmo-

di obligatione nullo pacto respondere debet. Siquidem exploratum in iure est quod praedecessorum negligentia successoribus iure suo et independenter ab illis venientibus gravamen inferre nequit, teste *De Luca disc.* 7 *num.* 29 *de Praeeminentiis* et alibi passim. Verumtamen admisso etiam quod quilibet successor, quocumque sub titulo veniat, damna et expensas a suo praedecessore provenientia sustinere debeat, tamen videtur quod actuali Episcopo onus haud incumbit 500 libellarum expensas ab Oeconomo Girolami solutas restituendi. Sane axioma iuris est, quod successor plus eo non debeat, ad quod suus auctor sese obligavit. Sed Episcopum Belletti inter expensas necessarias, quas persoluturum spoponderat praedictas 500 libellas ab Oeconomo Girolami reclamatas comprehendere voluisse nullo pacto praesumendum est. In facto siquidem est quod Episcopus Belletti Oeconomi Girolami animum ad litem aggrediendam reluctantem ideo inflectere sategit, quia certo certius victoriam sibi arrisuram sperabat: expensas vero, de quarum reintegratione H. S. O. Orator recursum exhibuit ideo solvere necesse fuit, quia victoria votis haud arrisit. Rebus itaque sic stantibus nullimode praesumi potest, quod Episcopus ad huiusmodi expensas sese obligare animo concepit, quas neque uti possibiles fore cogitabat. At si Episcopus Belletti ad has expensas reficiendas obstrictus non est neque actualem Episcopum teneri dicendum esse videtur. Quaquaversus itaque res perpendatur, patet sive hodiernum paroeciae S. Fortunati Oeconomum, sive Curiam Fulginatensem ex facto praedecessoris sui nihil omnino de proprio debere.

Res cum ita se habeant grave ne sit EE. PP. ea qua pollent religione et iuris peritia sequens dirimere

DUBIUM

An ius competat Sacerdoti Girolami repetendi a beneficio parochiali Cassignani, seu potius a Curia Episcopali summam 500 *libellarum in casu?*

Impensas libellarum 500 persolvendas esse ex fundo Paroeciarum pauperum.

MATHELICEN. ERECTIONIS FONTIS BAPTISMALIS. = De hac controversia actum iam fuit in plenis comitiis die 24 Augusti praeterlapsi anni habitis, et dubium in calce positum ob suffragiorum paritatem dimissum fuit responso *Iterum proponatur*. Quoniam igitur hodie EE. VV. iudicium iterum subit, non abs re erit, quaedam de illa disputare, quae faciliorem eidem dirimendae viam sternere videantur. *Sess. 21 cap. 4 de Reform.*

Ac principio quidem animadvertendum est cum Card. Petra *ad Constit. II Gregorii XI,* ius baptizandi praescribi posse tum contra Ecclesiam, tum contra parochum. Contra Ecclesiam: nam etsi regulariter omnis Ecclesia parochialis, praesertim extra Italiam, sit baptismalis et viceversa, id tamen non adeo cum parochialitate connexum est ut eam necessario sequatur aut inferat: *loc. cit. n.* 15 *seqq*. Unde Ecclesia ex privilegio aut praescriptione acquirere potest ius retinendi fontem Baptismalem. Contra parochum; nam non omnes parochi baptisma suis ovibus ministrare possunt, sed tantum ii, qui Ecclesiis Matricibus aut baptismalibus praesunt; quia facultas baptizandi, quemadmodum et sepeliendi, ac decimas seu oblationes primitiasque exigendi, tametsi inter iura parochialia accenseri valeat, atque indicet Ecclesiam esse parochialem, non tamen est constitutivum Ecclesiae parochialis, cum haec talis esse possit etiamsi fontem baptismalem non obtineat. Quare qui Ecclesiam illam regit, quae fontem baptismalem possidet, praescribere potest ius baptismum aliarum Ecclesiarum subditis ministrandi. Hactenus in sententia Cardinalis Petra.

Ex altera parte certum est, ius proprium ac nativum esse Episcopis, cum novas paroecias pro suarum ovium necessitate instituendi, tum in iam institutis ex eadem necessitate fontem baptismalem erigendi. At quando aliqua Ecclesia vel parochus privativo huiusmodi iure vel ex privilegio vel ex consuetudine pacifice pollet, tunc Episcopus videtur non posse, huiusmodi iure iam quaesito eam Ecclesiam vel parochum privare, nisi adsint graves causae, quae aliquoties infantium baptisma remorentur, vel impediant. Hoc enim in casu duo iura inter se decertarent; ius Ecclesiae et parochi ad baptismum confe-

rendum, et ius fidelium ad baptismum recipiendum. Sed cum hoc valde gravius sit, illi praevalere debet, cum baptismum favore fidelium, non parochi alicuius vel Ecclesiae fuerit institutum. Quibus positis, duo in facto inspicienda erunt; nimirum adsint necne in specie, de qua agimus, graves causae, quae novi fontis erectionem suadeant, et an consuetudo vel privilegium fontis baptismalis unice retinendi Ecclesiae Cathedrali quaesitum fuerit.

Circa primum nihil immoramur, cum id ex rei narratione, superiori in Congregatione proposita facile dignosci possit. De altero vero dubium omne dirimere videtur resolutio S. Congregationis Rituum die 16 Februarii 1754 emissa. Disputatum enim tunc fuit de Matricitate Ecclesiae S. Mariae: utraque vero pars admittebat illius favore ius exclusivum fontis baptismalis retinendi, et baptismum conferendi. Sed ex hoc iure altera pars inferebat matricitatem, altera maioritatem tantum. S. Congregatio pro maioritate iudicium tulit, matricitate reiecta. Igitur iam tum a nemine in controversiam vocabatur fundamentum maioritatis, quod ex iure exclusivo regenerandi infantes aliarum Ecclesiarum oritur. Ab eo vero tempore cum centum et amplius anni interfluxerint, Ecclesia S. Mariae pacifice hoc iure potita est; quae res ei titulum meliorem de mundo tribuit. Ius igitur Episcopi erigendi fontem in Ecclesia parochiali S. Teresiae iam praeventum videtur iure Ecclesiae Cathedrali eiusque parocho quaesito.

Quoad praxim vero animadvertendum est, extra Italiam vigere consuetudinem, Synodis etiam provincialibus firmatam, ut singulae parochiales Ecclesiae proprio fonte instructae sint: in Italia vero plures adesse civitates vel nobilissimas, in quibus unicus tantum fons baptismalis existit, idque ut vestigium aliquod primaevae disciplinae servetur, qua in omnibus dioecesibus unicus tantum fons in Cathedrali Ecclesia extabat, ad quem omnes baptismi recipiendi causa afferri debebant. Quare Benedictus XIV Ecclesiasticae disciplinae peritissimus et retinentissimus cum Bononiensem Ecclesiam regeret, cumque unicus fons baptismalis in Metropolitana Ecclesia, veteri consuetudine, extaret, licet perampla esset civitas, et populi frequentissima, nulla habita ratione incommodi, quod ad illam adeundam ferre deberent ii, qui remotiores partes incolebant, noluit hanc disciplinam immutare *rerum novarum minime cu-*

pidus, ut videre est in *Eccles. Instit. I. n.* 8 et *Eccles. Instit. XCVIII n.* 12.

Quod vero spectat iudicandi morem huius S. Congregationis, sexcentae reperiuntur resolutiones, quibus novi fontis erectionem modo concessit, modo denegavit. Ne vero eas, hic magno cum EE. VV. taedio singillatim expendamus, nosse satis sit, quoties graves causae in facto adessent, quae erectionem suaderent, eam concessam fuisse, nulla etiam habita ratione anteriorum iurium vel Ecclesiarum vel parochorum : quoties vero huiusmodi causae desiderarentur et ius baptizandi alicui Ecclesiae vel parocho quaesitum esset, denegatam; idque fortasse in obsequium venerandae antiquitatis, ne videlicet sine necessitate omnia omnino vestigia delerentur pristini moris, quo in unica tantum Cathedrali Ecclesia baptismus conferebatur.

Quae Benedictus XIV de Bononiensi Ecclesia, id haec S. Congregatio de Camerinensi censuit. Nam cum in Camerini civitate tres adsint parochiales Ecclesiae, sed sola Cathedralis ab immemorabili fontem baptismalem retineat; cumque Canonici Collegiatae et parochialis Ecclesiae S. Venantii facultatem ab hac S. C. postulassent erigendi fontem baptismalem in propria Ecclesia, propterea *quod hyemali praesertim tempore plurimis incommodis infantes afficiuntur*, cum ad Cathedralis Ecclesiae fontem deferuntur, atque Episcopus confirmaret, id *esser innegabile;* tamen cum Canonici Cathedralis Ecclesiae sustinerent, *incommoda non esse nova*, et sibi *ius privativum retinendi fontem* vindicarent, proposito dubio : « *An sit locus erectioni fontis baptismalis et iuri baptizandi respective in Ecclesia Collegiata et parochiali S. Venantii in casu* »; S. Congr. nulla habita ratione illius incommodi, de quo Canonici S. Venantii querebantur, respondit: *Negative, et amplius. Camerinen. Erectionis Fontis baptismalis, et iuris baptizandi* 10 *Februarii* 1748.

Denegata insuper constanter fuit ab hac S. C. facultas erigendi fontem baptismalem in ceteris alicuius civitatis parochialibus Ecclesiis, quoties ex una parte constaret, unicam Ecclesiam baptismalem esse etiam Matricem, et ex altera non verificari gravia incommoda, si infantes ad eam tantummodo baptizandi deferrentur. Imo in huiusmodi casibus satis ei fuit, ut constaret tantummodo de maioritate. Duo tantum exempla, ceteris missis, referam. In oppido

Campobasso dioecesis Bojanen. tres aderant parochiales Ecclesiae, sed unicus fons in parochiali S. Mariae Maioris. Quaesitum fuit, ut eiusdem retinendi facultas reliquis etiam duabus concederetur. Disputatum est tam de Matricitate, quam de iure retinendi fontem. S. Congregatio iudicavit, *constare de maioritate, non autem de matricitate* Ecclesiae S. Mariae Maioris. Circa fontem vero baptismalem censuit: *nihil innovandum. Boianen. Iurium Parochialium 24 Maii* 1732. In oppido *Supino* Ferentinae dioecesis tres parochiales Ecclesiae aderant, Presbyteralis nempe S. Petri, in qua tantummodo fons baptismalis reperiebatur, et simplices parochiales S. Mariae Maioris et S. Nicolai. Parochi harum duarum Ecclesiarum ex Rescripto Episcopi fontem in suis Ecclesiis extruxerant. Re delata ad H. S. O. cum Parochus S. Petri immemorabilem consuetudinem retinendi fontem favore suae Ecclesiae vindicasset, idque ex eius matricitate repeteret, S. haec Congregatio cum ad primum dubium respondisset, *constare de maioritate, non constare de matricitate* Ecclesiae S. Petri, ad secundum Dubium: « *An constet de iure privativo eiusdem Ecclesiae Archipresbyteralis habendi fontem baptismalem*, censuit: *Affirmative, et amplius.* » *Ferentina Matricitatis et Fontis Baptismalis* 18 *Martii* 1797.

Hisce perpensis, facile apparet, controversias de novis fontibus erigendis ex facti adiunctis dirimi potissimum oportere: in praesenti vero specie, cum constet de *Maioritate* favore Cathedralis Ecclesiae, nec dubitandum videatur de immemorabili consuetudine, videbunt EE. VV., utrum prostent in facto legitimae gravesque causae, quae fontis erectionem suadeant. Ex quo facile erit dirimere

DUBIUM

An decretum Episcopale de novi fontis erectione in parochiali S. Teresiae sit confirmandum, vel infirmandum in casu.

Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

GRATIANOPOLITANA INHIBITIONIS. = Sub dubio quod in calce prostat in mox praeteritis Ianuarii comitiis quaestio haec proposita fuit, quam EE. VV. reproponendam esse mandarunt edito rescripto *Reproponatur*.

Sess. 22 *cap.* 8 *de Reform.*

Praeceptis EE. VV. libentissime obsequens hodie iterum remitto diluendum

DUBIUM

An decretum Episcopi Gratianopolitani sit confirmandum vel infirmandum in casu.

Attentis peculiaribus circumstantiis affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Die Iovis 13 Martii 1879 in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii extraordinaria, in qua proponetur infrascriptum dubium, iuxta morem eiusdem Sacrae Congregationis de iure resolvendum.

—

DUBIUM SUPER IMPEDIMENTO MATRIMONII

An actus, qui vulgo audit matrimonium civile, pariat impedimentum iustitiae publicae honestatis.

DISCURSUS SECRETARII

Mirari forsan quis poterit, quod post consultissimas lucubrationes trium in theologicis et canonicis disciplinis peritissimorum virorum super praemisso dubio, ab Episcopo Nolano proposito, quidquam me adiicere utiliter posse censeam. Sed nemo certe mirabitur, qui novit mei esse muneris, super omnibus quaestionibus, quae dirimendae deferuntur in ordinariis EE. VV. comitiis, nonnullas exarare animadversiones in folio, quod de more distribuitur. Quae quidem animadversiones in anteactis quoque temporibus, ubi gravius aliquod negotium respicerent, plenius nonnunquam exponi consueverunt sub titulo discursus. Exemplum igitur praeclarissimorum praedecessorum sequutus mei muneris partes aggredior.

Sacra Poenitentiaria, super hoc puncto pluries rogata, plura edidit responsa, quae prima fronte videntur quaestionem in sensu affirmativo plane dirimere. Ast, re magis accurate perspecta, verius forsan dicendum est, Sacram Poenitentiariam per memorata responsa noluisse quaestionem decretorie definire, sed potius sententiam proponere pro regula

practica, quae tutius prospiceret sacramento, necessitatem quodammodo obiiciens petendi, saltem ad cautelam, dispensationem. Idque sane in primis suadet agendi ratio theologorum et canonistarum, qui post praedicta etiam responsa in alterutram partem libere disputare, et contrariam quoque sententiam amplecti sibi licere consueruni. Suadet secundo forma declarationis editae die 13 Martii 1820, quae sic se habet: – *Matrimonia contracta coram civili magistratu... matrimonia fuerunt in sensu ecclesiae clandestina. Matrimonia autem rata, licet clandestina, impedimentum parere publicae honestatis, illudque usque ad quartum gradum ex declaratione S. Pii V. et Cardinalium, dictum iam est in superiori responsione. Idem ergo impedimentum eodemque modo pariunt etiam matrimonia ista civilia.*–

Quisque videt, utramque syllogismi praemissam continere propositionem plus minusve probabilem, sed certe disputabilem. Illatio igitur probabilitatis limites excedere nequibat; iuxta vulgatam enim logicae regulam – *peiorem sequitur semper conclusio partem* – Id ipsum tandem suadent literae ab eadem S. Poenitentiaria datae mense martio 1876, cum super simili quaestione requisita respondit: – *Spettando a questo tribunale il provvedere come meglio crede nel Signore al caso pratico, e la decisione in massima del proposto quesito essendo propriamente di pertinenza della S. Congregazione del Concilio, così V. S. Illma nel caso, che realmente voglia effettuarsi il matrimonio...... potrà chiedere a questo medesimo Tribunale l'opportuno provvedimento, e per la risoluzione del proposto quesito rivolgere le sue istanze alla S. C. del Concilio.* – Per praecedentes itaque declarationes decretorie definiri noluit quaestio – *in massima.* –

Inter Theologos et Canonistas qui in sensu pariter affirmativo quaestionem resolvunt, in diversas abeunt sententias. Docent enim matrimonium civile vel implicite continere sponsalium contractum, aut in huiusmodi contractum transire, ideoque parere impedimentum iustitiae publicae honestatis usque ad primum gradum; vel praeseferre, ac realiter esse matrimonium clandestinum, ideoque gignere praememoratum impedimentum usque ad quartum gradum. Rursum ex iis, qui tenent matrimonium civile esse verum matrimonium clandestinum, nonnulli censent id semper et in quolibet casu contingere; alii vero limitant id

tantummodo contingere, quando agentes per civilem caeremoniam verum matrimonium perficere voluerunt.

Sententia, quae vim sponsalium tribuit matrimonio civili, innititur rationi et auctoritati. Rationi quidem, quia actus civilis regulariter praedisponitur ad matrimonium ecclesiasticum celebrandum, et continet utriusque agentis intentionem ac propositum matrimonii de futuro. At econtra videtur huiusmodi actui materiam et formam sponsalium omnino deficere. Sane de sponsalium substantia est, ut contineant actum deliberatum mutuae promissionis futuri matrimonii per idonea verba vel signa manifestatae, ex textu in *canon. Nostrates* 30 *quaest.* 5 et communi sententia. Iamvero quaecumque intentio, quodcumque propositum futuri ineundi matrimonii scatens ex civili caeremonia, prout similiter scatet ex tractatibus dotalibus aliisque actibus praeambulis, haud constituere posse materiam contractus sponsalium, nimirum deliberatam mutuamque sponsionem pariendae obligationi idoneam docent *L.* 46. *ff. de oblig. et action. L.* 99. §. 1. *ff. de verb. oblig.* Sanchez *de matrim. lib.* 1. *disput.* 5. §. 1. Piton. *discept. eccles.* 52. *n.* 72. Schmalzgrueber *tom.* 4 *part.* 1. *tit.* 1. *de sponsal.* Rota *decis.* 682. *n.* 4. *et seq. cor. Lancetta*, *decis.*, 1285. *n.* 3. *cor. Emerix.*

Externae autem manifestationis licet nulla sit praescripta forma, ex ipsa tamen rei natura consequitur, ut signa ad rem significatam adaequate exprimendam idonea esse debeant, adeo ut nequeant certo certius sponsalium formam exhibere verba, quae sensum exprimunt plane oppositum contrahentium voluntati. *Verba enim* ait Richer. *in disput. de interpret. contract. et ultim. volunt.* § 187. *ad significandum animi sensum unice sunt instituta.* Nihil porro magis repugnat, quam tempus praesens a verbis expressum, ac futurum ab animo contrahentium volitum. Hinc merito Benedictus XIV. in *Instit.* 46 *n.* 23 huiusmodi rationi contrahendi sponsalia per verba de praesenti *insaniae falsaeque doctrinae* notam inurit.

Auctoritatem vero sponsalium assertores mutuantur 1°. ex *cap. ultim.* Innocentii III. *de desponsat. impub.* in quo Glossa haec adnotare censuit: – *Est hic argumentum manifestum, quod si minor in contrahendo utatur verbis pertinentibus ad matrimonium contrahendum, contrahit sponsalia;* – 2°. ex *cap. un.* §. *idem quoque de desponsat. impub. in* 6.

ubi Bonifacius VIII. nullum declarat matrimonium contractum a quibusdam impuberibus per verba de praesenti; subdit tamen – *sponsalia illa iuris interpretatione tantum fuisse sponsalia de futuro, licet verba consensum exprimentia de praesenti haberent, et matrimonium contrahere intenderent contrahentes.... per dictum contractum, qui valuit, ut potuit, non sicut agebatur, publicae honestatis iustitiam esse inductam* –.

Qui vero contrariam sententiam tuentur, nec pauci sunt, nec leviter dimicant, ut evincant praememoratos textus aliter omnino esse intelligendos, neque ullatenus decernere, quod matrimonium nullum in sponsalia convertatur. Cuius rei specimen videre quisque poterit penes Emmanuelem Sa in *aphorismo confessariorum verbo Matrimonium n.* 42. Heic satis erit unum inter recentiores allegare Berardium *Comment. in ius. eccles. univ. vol.* 2. *dissert.* 2. *quaest.* 2. Hic porro, quoad rescriptum Innocentii III. parvi faciens opinionem glossographi, contendit, dubitatum fuisse in facti specie Innocentio proposita, an contractus initus inter puellam impuberem et nobilem virum, qui subharravit eandem consensu mutuo accedente, sed nuptiis aliquantulum prorogatis, matrimonium foret seu potius sponsalium contractus; Pontificem autem merito definivisse, non coniugium, sed sponsalia fuisse contracta. Id enim suadebat tum qualitas puellae necdum viri potentis, quae idonea erat ad sponsalia, inidonea ad coniugium, tum formula de nuptiis aliquantulum prorogandis. Subdit proinde idem auctor – *Aliud autem est dubitare de facto, an ab initio contracta sponsalia sint, an coniugium, aliud est disputare, utrum cum constet ab initio non sponsalia sed coniugium in contractum fuisse deductum, si non potest valere coniugium, flectatur actus in sponsalium obligationem.* Quo vero ad *Cap. un. de desponsat. impub. in* 6 contendit unicam Bonifacii VIII. mentem fuisse, ut definiret ex proposito impuberum contractu oriri impedimentum iustitiae publicae honestatis. Cum autem hoc impedimentum derivari non potuisset ex matrimonio impuberum, quod nullum etiam fuisset ex defectu consensus, praetulit Pontifex contractum interpretari, ac censuit, – *sponsalia illa iuris interpretatione fuisse sponsalia de futuro.* – Id est, subdit Berardius – *non abire quidem in sponsalia, sed ad sponsalium similitudinem impedimentum ponere publicae honestatis.* –

Quidquid tamen sit de hac interpretum contentione, iuxta Doctorum sententiam, quam communissimam testatur Reiffenst. *in lib.* 4. *decretal. tit.* 2. *n.* 18. ac doctrinam huius S. C. pro certo tenendum videtur, quod matrimonium impuberum per verba de praesenti, *servata forma a Concilio Tridentino praescripta,* regitur a dispositionibus iuris communis, et ad earumdem dispositionum tramites transit in sponsalia de futuro. Ita namque legitur in *Viterbien. mense Iulii* 1587 *lib.* 5. *decret. pag.* 2 *a terg.* « Tiburtius Viterbien. contraxit matrimonium per verba de « praesenti, servatis servandis, cum donna Felice de eo- « dem loco, quae post ad ullos menses asserens se mino- « rem, dixit iudicialiter nolle cum dicto Tiburtio consu- « mare, cuius et advocati praetendentes matrimonium per « verba de praesenti contractum ob praetensam minorita- « tem ipsius puellae in sponsalia de futuro resolvi. Tibur- « tius ex adverso dixit donnam Felicem semel a se cogni- « tam post contractum matrimonium in loco campestri ac « fere nolentem et renitentem; quam copulam adfuisse ne- « gat D. Felix... Minoritas D. Felicis probatur ex libro ba- « ptizatorum etc. Quaeritur nunc, an stantibus praedictis, « praedictum matrimonium censendum sit ratum et con- « sumatum, vel ut a minore puella proponitur, in spon- « salia de futuro resolvatur; et quatenus ita sit, sit locus « poenitentiae vel non, adeo ut ambobus concedi possit « aliis nubere. S. C. respondit, matrimonium contractum « per verba de praesenti inter puberem et impuberem, « adhibitis solemnitatibus, transeat ne in sponsalia de fu- « turo vel minus, pendere ex dispositione iuris commu- « nis, quod quantum ad praesentem casum nil prorsus « correxit, aut immutavit Trid. Concilium ». Ulterius vero in *Nullius* 27 *Martii* 1596 *lib.* 8. *decret. pag.* 170. « S. C. « censuit, matrimonium inter impuberes, servata forma Trid. « Conc. contractum, transire in sponsalia de futuro ».

Pro certo sed aeque tenendum videtur iuxta eamdem S. C. doctrinam, quod matrimonium irritum ex defectu formae a Concilio Trid. praescriptae (prout in supposito matrimonii civilis contingeret) nec vim sponsalium habere, nec in sponsalia transire valeat. Ita definitum fuit in *Messinen. ann.* 1573 *lib.* 1. *decret. pag.* 107. « Fuit contra- « ctum matrimonium in civitate Messanae post publicatio- « nem decretorum Concilii Tridentini per verba de prae-

« senti, et mutuum consensum, non factis publicationibus, « nec praesente parocho, nisi tantummodo notario et testi- « bus etc. Humiliter ab Illmis DD. VV. petitur declara- « ri, an supradictus contractus matrimonii, cum sit factus « contra formam traditam per decretum eiusdem Concilii « de contrahendo matrimonio, sit adeo nullus, quod ne- « que transeat in sponsalia de futuro. Sacra etc. censuit « non transire ». Et eodem anno in *lib.* 1. *decret. p.* 132. subdubitatum fuit. « Et quid, quando promissio est, id est « cum dixit vir: ego te in uxorem, et mulier, ego te in « maritum accipio? Sacra etc. censuit, promissionem hanc « non valere neque ut matrimonium, neque in vim spon- « salium de futuro ». Rursum in *Bisuntina mense Martio* 1587 *lib.* 4 *decret. pag.* 230. « Matrimonium contractum « per puberes absque praesentia parochi vel alterius sa- « cerdotis de ipsius parochi, vel ordinarii licentia, est nul- « lum, nec resolvitur in vim sponsalium, ita ut contrahen- « tes iudicialiter cogi non possint ad denuo contrahendum « servata forma Conc. Trid. sess. 24 cap. 1. de reform.» Item in *Geracensi anno* 1589 *lib.* 6 *decret. pag.* 62. « Prae- « supposito, quod matrimonium sit factum absque parochi « praesentia et duorum vel trium testium, quo casu ir- « ritum declaratur a Tridentino, quaeritur, an dictum ma- « trimonium transeat in sponsalia de futuro, ita ut cogi « vir possit per censuras, aliaque iuris remedia ad servan- « dam fidem sponsae, quando maxime secuta est cum ea « copula. Sacra etc. censuit non transire ». Tandem in *Nullius* 8 *Iunii* 1595 *lib.* 8 *decret. pag.* 130. « Congrega- « tio censuit matrimonium sine praesentia parochi per « verba de praesenti contractum, etiam copula subsecuta « irritum et nullum esse, et in sponsalia de futuro minime « resolvi ».

Gravior est quaestio quoad alteram sententiam, quae tenet, matrimonium civile, utpote matrimonium clandestinum, parere impedimentum publicae honestatis usque ad quartum gradum. Nemo nescit, non paucos neque infimae notae doctores adesse, qui viriliter negant matrimonium clandestinum producere huiusmodi impedimentum. Et quamvis impedimenti assertores nonnullas huius S. C. resolutiones allegare soleant, haud levem tamen quoad earumdem resolutionum authenticitatem dubitationem ingerunt, sive frustratae hucusque investigationes in S. C. regestis,

sive factum Benedicti XIV. qui certe eadem regesta diurna nocturnaque manu versavit, et nihilominus cum in causa sub titulo *Dubium matrimonii* 21 *Novembr.* 1722 quaereret, an matrimonium clandestinum impedimentum publicae honestatis gigneret usque ad quartum gradum, plures quidem pro affirmativa sententia allegavit doctores, sed ne unam quidem S. C. resolutionem indigitavit. In hoc tamen haud videtur immorandum: quamvis enim exploratum foret ex matrimonio clandestino oriri assertum impedimentum, gravissima adhuc duplex superesset quaestio; an scilicet matrimonium civile sit revera matrimonium in sensu Ecclesiae clandestinum; et an ex supposito hoc matrimonio clandestino occasione civilis caeremoniae contracto oriri queat impedimentum, de quo disputatur.

Qua super duplici quaestione haec adnotanda censui. Matrimonium civile ex parte christifidelium, qui legum necessitati morem gerunt, ne matrimonium christianum effectibus civilibus careat, est licitum. Ita definitum fuit a S. C. Sancti Officii die 29 Novembr. 1672. « Catholici, « qui matrimonio iuncti sunt coram parocho et testibus « catholicis, in pluribus locis (ita invaluit consuetudo) so- « lent coram ministro haeretico, seu protestante rursus « coniungi ad evitanda gravia damna; neque potest con- « suetudo haec a clero corrigi. Peccant ne? et quo pec- « cato catholici sic denuo coniuncti coram ministro haere- « tico? Et quomodo se gerere debeat erga illos Ordinarius « loci? Sacra Congregatio respondit: Quatenus minister as- « sistat matrimoniis catholicorum uti minister politicus, « non peccare contrahentes. Si vero assistat ut minister ad- « dictus sacris, non licere, et tunc contrahentes peccare mor- « taliter, et esse monendos. » Item declaravit Benedictus XIV. in *Constit. Inter omnigenas diei* 2. *Februarii* 1744 quae est n.89 eius Bullarii §. 10. « Matrimonio autem a fidelibus rite con- « tracto, eisdem minime permittimus, ne quidem ob cau- « sam uxorum a Turcarum raptu servandarum, idem co- « ram Caddi per procuratorem Turcico ritu renovare, nisi « tamen Mahumetanus nuptiarum ritus sit mere civilis, et « nullam Mahumetis invocationem aut aliud quodcumque « superstitionis genus includat ».

Difficultatem equidem facessere posset, quod in resolutione S. C. Sancti Officii et in Benedictina Constitutione agatur de iis, qui post matrimonium rite celebratum

coram Ecclesia adeunt ministrum haereticum seu Turcicum, quique proinde habere non possent absurdam intentionem verum matrimonium coram ministro haeretico vel Turcico iterum conficiendi. Sed difficultatem removere videtur idem Benedictus XIV. qui in *oper. de Synod. dioeces. lib.* 6. *cap.* 7. §§. 1. *et* 2. praedictas resolutionem et Constitutionem allegat, ad matrimonii civilis licitudinem demonstrandam, sive ante (ubi aliter fieri nequeat sine gravi incommodo) sive post matrimonium ecclesiasticum civilis caeremonia peragatur. Sic praelaudatus Pontifex « Quaedam regiones sunt principum infidelium dominio subiectae, in quibus degentes catholici matrimonia inter se coram parocho et duobus testibus contrahunt, temporali principe, cui parent, nullam in hac re molestiam eisdem exhibente. Verum quia vel ante vel post matrimonium ea ratione celebratum patriis legibus coguntur coram infideli ministro se sistere, eoque praesente quamdam contractus matrimonialis speciem inire ; neque id ab iis praetermitti potest, quin graves ipsis perturbationes obveniant, et magnum praeiudicium innocenti proli, quae alias minime legitima reputaretur: quaesitum aliquando est, num id a catholicis, salva conscientia, fieri possit; et quomodo rectores animarum in huiusmodi casibus se gerere debeant: et quidem id, quod contingit in regionibus subiectis dominio principum infidelium, in aliis pariter evenit, quae principum haereticorum imperio parent. Lessius in Auctario etc. id salva conscientia neque fieri neque tolerari posse contendit; eiusque opinio verissima esset, si haereticus ministellus adhiberetur tamquam persona sacra, quae sacram caeremoniam intenderet exercere, ac per eam sanctitatem tribuere contractui matrimoniali; tunc siquidem viderentur catholici eum agnoscere tamquam legitimum Christi ministrum, ritumque haereticum approbare et profiteri. Verum cum plerumque res aliter se habeat, illeque catholicorum matrimoniis solum assistat tanquam minister mere politicus, neque virtute verborum, quibus coniugibus bene apprecatur, ullam credat sanctitatem accedere eorum coniugio, quod sacramentum esse nostri temporis haeretici communiter inficiantur; rectius idcirco catholicos eidem se sistentes, ut patriae legibus morem gerant, graviaque evitent incommoda, quae secus sibi immine-

« rent, a culpa excusant Ioannes Verjuys etc. In hac quo-
« que sententia fuit Sac. Congregatio Sancti Officii etc.
« Huic nos sententiae tunc a laudata Congregatione prolatae
« auctoritatem nostram adiecimus in nostra Constit. 89. etc. »

Rursum cum in Belgii regionibus foederatorum catholici se sistere tenerentur coram ministro haeretico, ut quamdam matrimonialis contractus speciem peragerent, atque hic actus praecederet matrimonium coram Ecclesia, contigit aliquando, ut matrimonium ecclesiasticum diutius differretur, ac interea copula intercederet, et proles enascerctur. Porro idem Ben. XIV. in Const. *Redditae sunt Nobis* 17 *Sept.* 1746. haud reprobat civilem caeremoniam praecedentem matrimonium, sed morem differendi idem matrimonium, ac interim nimis familiariter agendi. Hinc subdit= « Ad eiusmodi
« porro evitanda pericula cognoscimus consultius utique fore,
« ut catholici nonnisi matrimonio iam antea in faciem Ec-
« clesiae inter se legitime celebrato, ad illam explendam
« civilem caeremoniam saecularem magistratum seu hae-
« reticum ministellum adirent: sed quoniam ex vestris li-
« teris deprehendimus, id non sine periculo et perturba-
« tionibus posse adimpleri, id saltem pro viribus satagite ut,
« postquam reipublicae morem illi gesserunt, non diu
« differant Ecclesiae legibus parere, et coniugale foedus iuxta
« praescriptam a Tridentino normam, rite et sancte inire. »
Tandem Pontifex Pius VI. in Epistola ad Episcopum Lucionensem *Perlatae sunt* 28 *Maii* 1793 quoad matrimonium civile a nationali Conventu Gallico invectum et ecclesiastico matrimonio praemittendum, declaravit.= « Nihil
« tamen impedimento esse, quominus fideles, ut civilibus
« potiantur effectibus, praescriptam a nationali conventu
« declarationem faciant. »=

Nedum vero licitum, sed *opportunum* atque *expediens* esse declaravit iussu Summi Pontificis Pii IX Sacra Poenitentiaria die 15 Ianuarii 1866, ut christifideles in Italia civilis matrimonii formalitatem explere satagant. Ulterius imo procedunt theologi, qui docent huiusmodi civiles solemnitates a contrahentibus sine gravi culpa praetermitti non posse. Inter recentiores unum memorabo Iosephum d'Annibale in *Summula Theologiae moralis ad usum Seminarii Reatini part.* 3. *tract. de matrim. app.* §. 360. « Cum in foro civili
« matrimonium non intelligatur, nisi ex iure civili coitae
« sint nuptiae etc. inde damna gravissima seu spiritualia,

« quia alteri ab altero discedere integrum est, et ad alia vota
« civilia transire; seu temporalia, quae contingere possunt
« tum uxori, quam vir alere cogi non potest, tum futuris
« liberis, maxime si parentes eos postea non agnoverint,
« et morientes non scripserint haeredes. Non sunt igitur
« civiles solemnitates praetermittendae; et qui ea omittunt,
« gravi culpa non vacant, si quid opinor. Parochi autem
« necesse habent de damnis huiusmodi sponsos certiores
« facere: idque exigit quoad temporalia caritas, quoad spi-
« ritualia pastoris officium. Amplius: curare debent, ut
« solemnia huiusmodi impleantur ».

Harum certe solemnitatum observantia in pluribus provincialibus Synodis aliquando diserte permittitur, saepius vero districte praecipitur. Unum alterumque exemplum seligam. In Conc. provinc. Neogranaten. anni 1868 sub decreto de matrim. « Quamvis sacramentum inter christia-
« nos a valido contractu numquam separatur, ob legum
« nihilominus necessitatem et ad plura mala evitanda,
« quae hominum malitia quandoque evenire possent, per-
« mittitur sponsis, ut, ubi lex viget, coram civili magistratu
« civilis connubii actum emittant ». In Conc. prov. Bituricen. 1850 decr. de matrim. « = Tandem attendant pa-
« rochi ad ea, quae lege saeculari praescripta sunt ad
« contractum matrimonialem, ne matrimonium careat ef-
« fectibus civilibus = ». In Conc. prov. Burdigalen. 1850 decret. matrim. « Ne matrimonium effectibus civilibus ca-
« reat, volumus ut ea omnia serventur, quae lex coram ma-
« gistratu fieri praecipit; parochis tamen commendantes,
« ut publicis et privatis monitionibus, omni ope et opera
« fideles avertant ab ineundo praemature et periculose
« actu illo civili ante diem, quo nuptiae coram Ecclesia
« sunt celebrandae ».

Specialem tandem mentionem meretur Concilium Provinciale Rothomagen. ann. 1850, in quo sic constitutum fuerat. = *A nullo matrimonium ecclesiasticum celebretur, quin de civili constiterit.* = Quid de hoc articulo Consultores opinati fuerint, Sac. EE. PP. Congregatio iudicaverit, ac Summus Pontifex decreverit, patet ex insequenti Secretarii relatione, quae prostat in actis. « Avvertirono i Consultori al caso
« del matrimonio segreto, e perciò opinarono, che si po-
« nessero dopo le parole *a nullo*, l'avverbio *ordinarie*. Ma
« gli Emi Cardinali, sebbene lodassero la diligenza dei

« Vescovi in procurare la celebrazione del contratto civile « per tutti gli effetti di legge, tuttavia convennero nel « voto dei Consultori, che potevansi dare dei casi di ma- « trimoni segreti. Inoltre rifletterono, che quella gene- « rica ed assoluta proibizione poteva sapere di un nuovo « impedimento, che volesse introdursi in quella provincia « su li matrimoni. Bilanciarono eziandio, non essere fra « gl'impossibili il caso, che la legge laica sul contratto ci- « vile possa nell'avvenire subire qualche modificazione più « consentanea al diritto canonico... Gli Eñi decisero di « correggere l'articolo in questi termini. *Ne matrimonium* « *effectibus civilibus careat, serventur quae lex coram magi-* « *stratu fieri praecepit; curent tamen parochi, ne praemature* « *actus ille perficiatur*. Il S. Padre nell'udienza del 21 « Luglio approvò questa correzione ».

Post haec vix necessum erit recolere Italicorum Episcoporum instructiones, quibus fidelibus dum vera indoles matrimonii christiani ac caeremoniae civilis exponitur, simul inculcatur male ominatae huius caeremoniae implementum, postquam a novatoribus peninsulae imposita fuit.

Iamvero matrimonium clandestinum est indubitanter illicitum, graveque flagitium, quippe quod est diserte reprobatum, districte prohibitum, et gravibus poenis arbitrio Ordinarii subiectum ex Conc. Trid. *Sess.* 24. *de reform. matrimonii cap.* 1. Quae quidem poena in quibusdam Synodis Dioecesanis usque ad excommunicationem porrigitur. Inferendum itaque videtur, caeremoniam, vulgo matrimonium civile, non esse matrimonium in sensu Ecclesiae clandestinum: secus enim haud posset ab Ecclesia uti licita permitti, multoque minus inculcari, ac etiam praecipi cuiusvis utilitatis obtinendae vel damni vitandi intuitu; quia nunquam licet malum facere, ut veniant bona. Huiusmodi autem illatio aeque vera videtur nedum quoad eos, qui tenent matrimonium civile semper esse matrimonium clandestinum, sed etiam quoad eos qui tenent clandestinum tunc tantummodo occurrere, cum agentes ex errore vel malitia verum matrimonium per civilem caeremoniam perficere intendunt.

Prout namque Ecclesia accuratissime illicitum declaravit matrimonium civile, illudque prohibuit, quoties minister haereticus adesset caeremoniae tamquam sacris addictus, aut ritui politico aliquid superstitiosum adiiceretur,

ne fideles communicare in sacris viderentur cum haeretico, aut superstitionis crimine coinquinarentur, ita certo certius matrimonium civile prohibuisset, ac illicitum declarasset, quoties ex agentium intentione in matrimonium clandestinum converti posset, ac saltem agentes ipsos indubie praemonuisset, ne cum perniciosa huiusmodi intentione actum civilem explerent, prout eos moneri voluit, quatenus haereticus assisteret caeremoniae tamquam minister sacer. Neque minus opportune monendi fuissent parochi, ut diligenter interrogarent, praesertim eos qui post caeremoniam civilem celebratam ac nefarium concubinatum ad matrimonii christiani celebrationem accederent, an scilicet in peragendo actu civili verum matrimonium perficere voluerint, ad hoc ut in casu affirmativo ratio haberi posset de poenis contra clandestina matrimonia irrogatis, quae, ceu superius dixi, usque ad excommunicationem porrectae fuere. De hac tamen monitione aut adhibenda diligentia nullum in tot ecclesiasticis documentis vestigium occurrit.

Quin obiiciatur, a S. Poenitentiaria diserte cautum fuisse, ne fideles intentionem foverent perficiendi verum matrimonium, dum eorum intentionem ita cohibuit. = *Si ravvisa opportuno ed espediente, che i medesimi fedeli, dopo aver contratto legittimo matrimonio avanti la Chiesa, si presentino a compiere l'atto imposto dalla legge, con intenzione però (come insegna Benedetto XIV. nel Breve dei 17. Sett. 1746. Redditae sunt Nobis) che presentandosi all'ufficiale del governo non fanno altro, che una ceremonia meramente civile.* = Cum enim referens intelligi debeat secundum terminos relati, nec magis probare ac operari valeat quam relatum, Rota *Dec.* 686 *n.* 16 *part.* 4. *tom.* 3. *dec.* 35. *n.* 9. *part.* 13. *rec.* verba praeallegata non aliter intelligenda videntur, quam ferat Benedictina Constitutio. Imvero in hac Constitutione ita legitur. = *Scient itaque catholici..... cum civili magistratui aut haeretico ministello matrimonii celebrandi causa se sistunt, actum se mere civilem exercere.* = Aliud porro est, quod catholici edoceri ac scire debeant, se tunc actum mere civilem exercere, ne hoc actu contenti turpe contubernium ineant, prout a quibusdam fiebat in foederatis regionibus; et aliud, quod catholici cavere debeant, ut unicam foveant intentionem, actum mere civilem exercendi. Primum respicit agentium intellectum, secundum respicit voluntatem. Quod eo magis pa-

tet, quia post matrimonium iam rite contractum, seu iubet S. Poenitentiaria, agentium intentio iterandi verum matrimonium posset potius fatuitatem sapere, quam matrimonium clandestinum constituere. Ecclesiae igitur dispositiones eiusque agendi ratio excludere videntur clandestini qualitatem independenter a quacumque agentium intentione.

Idque ex eo repetendum forsan est, quod cum quaeritur, an matrimonium civile praeseferat sponsalia vel matrimonium clandestinum, ita ut impedimentum pariat iustitiae publicae honestatis, considerari nequit matrimonium civile tamquam actus humanus ac moralis, sed tamquam actus stricte iuridicus, qui nedum iuridicam indolem ecclesiasticam sponsalium et matrimonii clandestini inducere valeat, sed etiam effectum producere mere iuridicum, impedimentum scilicet, quod ab uno iure positivo ecclesiastico procedit. Iamvero iuridica alicuius actus indoles eiusque effectus non a naturali actus dispositione vel agentium intentione, sed a lege promanat. Receptum quippe est in iure tum civili tum ecclesiastico, quod actus quicumque vel contractus, qui iure naturae indubiam firmitatem haberent, humana lege non sustentari vel etiam infringi possunt, ita ut omnis iuridica virtus ipsis denegetur, vel adimatur, ac proinde quovis civili vel ecclesiastico effectu careant. Frustra huiusce rei exempla congererentur, quae in utroque iure manibus plenis colligi possent.

Exemplum sed vero occurrit in ipso matrimonio, cuius naturalis contractus nullius roboris redditur ab Ecclesia quoties dirimens impedimentum eidem adiicitur. Ad rem Fagnanus quoad impedimentum clandestinitatis *in cap. Quod nobis De cland. desponsat. n.* 25: « Matrimonium ratione, qua est sacramentum pertinet ad Ecclesiam... et « ideo Ecclesia disponit sicut in caeteris sacramentis de temporibus et ritibus eorum, et sicut potest a sacramento « ordinis arcere bigamos, homicidas et similes, sic etiam « a sacramento matrimonii quos non iudicat esse coniungendos. Deinde in hoc sacramento Ecclesia potest facere « et declarare actum nullum, licet in quibusdam aliis sacramentis id effici non possit, in quibus imprimitur character, cum a voluntate humana non dependeant, sed « suum afferant effectum et legitima intentione consequentur, et suscipiantur, quia sacramentum matrimonii ex « voluntate humana efficitur. Et quemadmodum per ex-

« communicationem potest effici, ut sacramentum poeniten-
« tiae sit nullum, et votum solemne similiter sit nullum,
« si legitimis suis legibus non fuerit peractum, sic potest
« effici per Ecclesiae legem, vel Summi Pontificis constitu-
« tionem, ut consensus ille, quo sacramentum matrimonii
« perficitur, reddatur nullus et non aptus ad contrahendum,
« et sic talis contractus consequens sit etiam nullus, sicut
« caeteri cap. cum lex cum ibi notat. supra de fideiuss.
« qui cum per merum ius naturae firmi essent, humana
« lege infringuntur. »

Esto igitur, quod matrimonium civile ex materiali actus externi dispositione et ex intentione agentium praeseferat speciem quamdam matrimonii clandestini; an tamen idem actus sit reapse verum matrimonium in sensu Ecclesiae clandestinum, ac suppositum pariat impedimentum, haud exquirendum est a civili legislatore, qui super fidelium matrimonio nullam habet iurisdictionem; neque ab agentium intentione, qui iuridicae actus qualitati et effectibus nihil addere vel detrahere possunt, sed unice ab Ecclesia, quae prout impedimentum potuit adiicere, ita quemlibet ecclesiasticum effectum caeremoniae civili denegare, aut etiam adimere potuisset, sive illam coercens inter actus mere civiles, ac propterea inhabilitans ad effectum ecclesiasticum producendum, sive eiusdem respectu impedimentum ipsum supprimens. Monet namque scite Berardius *ius eccles. univ. vol. 2. dissert. 2. quaest. 2.* « Hoc im-
« pedimentum (iustitiae publicae honestatis) ab iure pu-
« blico pendet, sive ex iuris publici sanctione, non ex pri-
« vato contrahentium consensu, ac propterea qualiscumque
« esset contrahentium mens potuit auctoritate sua Bonifacius
« declarare etiam ex eo actu iustitiam publicae honestatis
« emergere. »

Quid porro est coram Ecclesia matrimonium civile? S. Poenitentiaria de mandato SSmi P. Pii IX. declarat.
« L'atto civile avanti gli occhi di Dio e della sua Chiesa
« non può essere considerato in conto alcuno, nonchè di
« sacramento, neppure di contratto. » Ergo coram Ecclesia actus civilis nullo in pretio haberi potest. At vero nihili certe faciendus non esset idem actus, si aequipolleret sponsalibus, quae a D. Thoma sacramentalia matrimonii nuncupantur, aut constituere posset matrimonium clandestinum, quod est grave facinus, gravibusque poenis obnoxium, ut-

pote contractum et sacramentum nefarie attentatum in spretum ecclesiasticae legis. Rursum matrimonium civile ex solemnibus declarationibus Benedicti XIV. Pii VI. et Pii IX. in praememorato actu S. Poenitentiariae est *caeremonia atque actus mere civilis.* Atqui 1° neque sponsalia neque matrimonium clandestinum dici potest actus mere civilis, quia utrumque ecclesiasticae iurisdictioni essentialiter subest, et qui contrarium assereret, incideret in propositiones damnatas in Bulla Auctorem Fidei sub n. 58. et in Syllabo S. M. Pii IX. sub n. 74: 2° ex actu mere civili procedere nequit impedimentum, nempe effectus mere ecclesiasticus, quia effectus non esset causae proportionatus.

Sed inquiunt contrariae sententiae assertores, huiusmodi declarationes in sensu absoluto et ad exclusionem cuiusvis formae matrimonii etiam irriti accipiendas non esse. Semel ac enim in actu civili ex agentium intentione concurrant materia et forma matrimonii clandestini, superallatae Ecclesiae declarationes eo porrigi non debent, ut gestum esse nolint quod reapse gestum fuit. Attamen notandum econtra videtur in primis, quod verba vel signa constituunt matrimonii formam qualenus exprimunt, ac significant internum partium consensum contrahendi de praesenti. Quamvis porro eadem verba vel signa occurrant tam in matrimonio civili quam in matrimonio clandestino, in hoc tamen naturalem ac obviam perhibent significationem interni consensus contrahendi de praesenti, quia sponte ac nullo iure cogente agentes, nonnisi ad effectum attentandi matrimonium agere censentur. At in matrimonio civili fideles, utut inviti, a legis necessitate compelluntur, et verba vel signa eiusdem caeremoniae occasione adhiberi solita, sive iuxta Ecclesiae sensum, sive ex communi fidelium usu et opinione, sive ex natura actus prout licite fieri potest, directa sunt ad significandum obsequium erga legem civilem, et satisfaciendum eius praecepto, ne verum matrimonium iam contractum vel mox contrahendum debitis privetur effectibus. Verba igitur vel signa, quae adhibentur in matrimonio civili ex peculiaribus huiusce caeremoniae adiunctis non sunt idonea ad naturaliter significandum internum consensum contrahendi de praesenti, quia urgente legis necessitate ad alium finem directe tendunt, ac recte consistunt quoad eos etiam sane plurimos, qui nullum tunc matrimonium peragere volunt.

Quin imo eadem verba iuxta sensum Ecclesiae, communem fidelium usum et opinionem, ac naturam actus prout licite fieri potest, praesupponunt verum matrimonium iam celebratum vel quantocius celebrandum, ac proinde regulariter excludunt internum consensum contrahendi de praesenti. Ergo verba vel signa in matrimonio civili regulariter haud constituere posse videntur formam matrimonii.

Accedit, quod christifideles adeuntes magistratum laicum, ut independenter ab Ecclesia matrimonii vinculum ineant, penitus adhaerent ac famulantur iniquo legum civilium ausui, tantopere reprobato a Pontifice Pio IX. in memorabili epistola diei 9 septembris 1852 ad Sardiniae Regem, et ab Episcopis Umbriae in praeclara declaratione anni 1861, a glorioso SSmo D. N. Pontifice Leone XIII. tunc Perusino Episcopo exarata, separandi nempe in matrimonio christiano contractum a sacramento, nudumque contractum perficere praesumunt. Ast matrimonium in sensu Ecclesiae clandestinum est attentatum matrimonium christianum in sensu essentialiter composito contractus simul et sacramenti. Intentio itaque contrahentium in matrimonio civili ipsam matrimonii clandestini materiam vitiare conatur.

Tandem Ecclesiae declarationes ita amussim absolute sunt conceptae, ut ab actu mere civili diserte excludere videantur quamlibet formam matrimonii etiam irriti. Patet ex saepe citata Constitut. Benedicti XIV. *Redditae sunt nobis,* « Sciant itaque catholici vestrae curae concrediti, cum civili magistratui aut haeretico ministello matrimonii celebrandi causa se sistunt, actum se mere civilem exercere, quo suum erga leges et instituta principum obsequium ostendunt: caeterum tunc quidem nullum a se contrahi matrimonium. » Quod totidem fere verbis repetit Pius VI. in Epistola ad Episcopum Lucionen. « Nihil tamen impedimento esse quominus fideles, ut civilibus potiantur effectibus, praescriptam a nationali conventu declarationem faciant, illud semper prae oculis habentes, nullum ab ipsis tunc contrahi matrimonium, sed actum mere civilem exerceri. »

Neminem certe fugit hasce propositiones, nullum contrahi matrimonium, et contrahi matrimonium nullum, licet iisdem conceptas verbis, sensum plane diversum exhibere. Idque patet ex propria et diversa significatione quam in utraque propositione induit adiectivum *nullum*. In prima

enim propositione huiusmodi adiectivum aequivalet italico vocabulo *niuno*, ac negantem vim habet, scilicet negat ullum fieri in sensu ecclesiastico matrimonium: in altera vero exprimit qualitatem matrimonii, atque affirmat illud esse irritum nulliusque roboris, ceu facile colligitur ab exemplis, quae prostant penes Forcellinium in *lexic. latin.* et penes Calvinum in *lexic. iuridic. verb. nullus.* Prima igitur propositio enunciat agentes *nullimode* contrahere, id est non contrahere, secunda vero agentes contrahere quidem, sed *nulliter*. Patet secundo ex loquendi usu recepto in ecclesiasticis documentis et penes theologos et canonistas; qui namque contrahit matrimonium absque necessaria consensus libertate, vel cum aliqua consanguinea vel affini in gradu prohibito, vel sine forma a Concilio praescripta, cum quocumque demum impedimento dirimente, non dicitur, nullum contrahere matrimonium, sed contrahere matrimonium nullum, quia si abesset impedimentum, verum in sensu Ecclesiae conficeretur sacramentum. Ergo, si civilem caeremoniam explentes iuxta memoratas Ecclesiae declarationes nullum contrahunt matrimonium, ne clandestinum quidem matrimonium eos peragere dicendum est, quia vi negantis propositionis excluditur quicumque actus, qui matrimonii nomine ab Ecclesia decoretur. Quidquid igitur velint contrahentes in caeremoniae civilis implemento, semper tenendum erit cum Ecclesia, eos tunc *actum mere civilem* perficere ac proinde *nullum contrahere matrimonium.*

Subdunt ex adverso, Ecclesiam sanare in radice matrimonia civilia. At distinguendum videtur inter regulam generalem et casus particulares. Sanatio in radice requirit, ut matrimonium sanandum habeat extrinsecam speciem *iusti matrimonii* , sit tamen nullum ob impedimentum iuris mere ecclesiastici, et copula non fuerit manifeste fornicaria. Barbosa *vot. decis.* 27 *lib.* 2. Sanchez *de matrim. lib.* 8. *disput.* 7 *num.* 4 *et seq.* Pirhing. *in tit. decretal. Qui filii sint legitimi* §. 6 *num.* 42. Gonzal. *ibidem num.* 23. Reiffenst. *ibid.* §. 2 *n.* 51. Benedictus XIV *de Syn. dioec. lib.* 13 *cap.* 21 *num.* 7. Rota *dec.* 455 *part.* 1 *rec., dec.* 687 *part.* 2 *rec.* Porro matrimonium civile *prout iacet* extrinsecam speciem *iusti matrimonii* nullatenus perhibet, ac nemo certe matrimonium putativum illud asserere auderet; copula vero eiusdem matrimonii est manifestissime

fornicaria; huiusmodi namque coniunctio ab Ecclesia solemniter declarata fuit turpis atque exitialis concubinatus. Quibus in adiunctis S. haec C. in *Pragen. Matrimonii 16 Ianuarii* 1723 ad dub. « *An sit SSmo consilium praestandum pro concessione dispensationis in radice matrimonii* (clandestini) *in casu* » respondit « *Negative.* »

Verumtamen matrimoniale vinculum per civilem caeremoniam contrahere volentes, elementum naturale, mutuum nempe deliberatumque consensum, ponunt; quod elementum nullius frugis esse potest nedum propter Tridentinae legis obicem, sed etiam quia sub civili forma nullatenus ab Ecclesia recognoscitur. Pone sed vero, quod in casibus particularibus graves ob causas Ecclesia consensum illum adhuc perseverantem recognoscat, ac dispenset a lege Tridentina: elementum naturale suas vires statim exereret, verumque matrimonium christianum conficeret; et ubi effectus huiusce ecclesiasticae indulgentiae retrotrahatur ad initium, habetur sanatio in radice. Quid tamen exinde inferri valeat ad figuram et indolem matrimonialem caeremoniae civilis, haud facile intelligitur. Nisi enim accederet Ecclesiae recognitio ac dispensatio, consensus contrahentium actus permaneret mere civilis ad quemlibet ecclesiasticum effectum gignendum impar.

Verum etsi matrimonium civile esset matrimonium in sensu Ecclesiae clandestinum, adhuc dubitandum videretur, an impedimentum iustitiae publicae honestatis ex eodem oriri queat. Clandestinum enim certe constituere non posset externa civilis actus forma, quae nec directam nec necessariam habet connexionem cum interno consensu contrahendi de praesenti, imo vero, ceu supra notatum est, regulariter huiusmodi consensum excludit, ac propterea per se plane consistit cum vero matrimonio iam celebrato vel mox celebrando; praesertim vero quia secus ratione formae tenendum esset, actum civilem esse semper matrimonium clandestinum quamvis agentium intentio et voluntas deficeret, quod a nemine cordato admitti posset. Matrimonium clandestinum itaque in caeremonia civili in iis tantummodo verificaretur casibus omnino rarioribus, in quibus agentes intenderent verum matrimonium celebrare; ac proinde matrimonium clandestinum in casibus particularibus ab intentione ac voluntate agentium unice penderet, et eiusdem intentionis ac voluntatis ratione

determinandum esset. An proinde, et in quibus casibus de facto occurreret matrimonium clandestinum uni compertum esset Deo, qui novit hominum corda. Si quando igitur matrimonium clandestinum patraretur, id foret plane occultum, utpote in reconditis humanae intentionis ac voluntatis penetralibus consistens, neque in foro externo probari posset nisi per agentium assertionem; cui tamen ob indolem actus de genere prohibitorum nullatenus standum esset, ad ea quae tradit Rota *decis.* 28 *n.* 13 *part.* 4 *tom.* 2 *rec.*

Adeo imo foret occultum, ut omnes iuris praesumptiones in illud conspirarent. Actus enim quilibet iudicandus est qualis apparet, non qualis fieri fortasse voluit; Piton. *discept. eccles.* 11 *num.* 19. Praeterea unusquisque semper praesumitur agere se conformando consuetudini patriae et loci ubi agitur; Curt. *iun. cons.* 171 *num.* 4 *et seq., Rota decis.* 311 *num.* 3 *part.* 4 *tom.* 1 *rec.* Porro ex Ecclesiae sensu et communi hominum opinione et usu actus civilis non peragitur, nisi ut mera caeremonia omni ecclesiastico charactere et effectu carens. Tandem posita illicitudine matrimonii clandestini, omnis admittenda est interpretatio, ut huiusmodi crimen excludatur, quia actus semper praesumi debet eo modo gestus, quo nedum valide, sed etiam licite fieri potest, *L. quoties ff. de reb. dub., L. merito ff. pro soc., Corn. cons.* 237 *num.* 3 *lib.* 1. *Riminald. cons.* 42 *num.* 12.

Ex matrimonio autem clandestino occulto impedimentum iustitiae publicae honestatis minime procedere posset. Tota enim huiusce impedimenti indoles et ratio consistit in externa decentia (ab opinione magis quam a veritate procedente) ob quam haud convenire censetur, ut quis matrimonium cum consanguinea eius contrahat, cuius maritus fuisse dicitur, ac reputatur. Quod evidenter tradit Alexander III in *Cap.* 3 *de sponsal. et matrim.* ubi impedimentum iustitiae publicae honestatis definitur ortum fuisse ex matrimonio inter iuvenem ac puellam septennio minorem = *propter honestatem Ecclesiae, quia ipsa coniux ipsius fuisse dicitur* = Hinc D. Thomas in supplem. ad tertiam partem *q.* 55 *art.* 4 causam huius impedimenti in eo esse docet = *quia scilicet talis propinquitas ab Ecclesia instituta est propter honestatem* = Et Sanchez *de matrim. lib.* 7 *disp.* 77 *num.* 14 tradit = *Huiusmodi im-*

pedimentum est institutum ob publicam honestatem, et ad vitandum scandalum = Pitonius vero in *discept. eccles.* 52 *num.* 96 innixus auctoritati praedicti textus, atque adhaerens sententiae Fagnani *in cap. ad Audientiam num.* 21 *de sponsal.* Alexandri de Nevo *num.* 9, Butrii *num.* 10, Abbatis *num.* 7 diserte subdit = « Ratio vero inducendi « impedimentum publicae honestatis iustitiae, qua iuris « canonici conditores moti fuere, consistit in externa et « apparenti decentia iuxta quam inter fideles non videtur « convenire, ut illius uxor ea esse dicatur, quae fuit sponsa « consanguinei, et econtra ». =

Substantialis porro haec impedimenti ratio, nempe *externa apparentia,* cum prorsus deficiat in matrimonio clandestino occulto, plane consequitur ex matrimonio clandestino occulto assertum impedimentum oriri non posse. Iuris namque regula, quod Ecclesia non iudicat de occultis *c. erubescant.* 32 *dist. c. christiana* 32 *q.* 5; quodque idem sit, aliquid non esse, et non apparere; *L. In lege, et L. Rutilia Polla ff. de contrah. empt.* suis pollet viribus etiam quoad matrimonium, quod, ut inquit Innocentius III *in cap.* 25 *de sponsal. et matrim., in veritate contrahitur per legitimum viri et mulieris consensum, sed necessaria sunt quantum ad Ecclesiam verba consensum exprimentia.* Quare Fagnanus in *cap. Quod nobis de clandest. despons. num.* 4 cum aliis doctoribus ibi allegatis animadvertit, quod licet matrimonia clandestina de iure decretalium fuissent valida, si tamen eadem ita erant occulta, ut probari non possent = *sic contrahentes potius sunt ab invicem separandi, quia talia praesumuntur contubernia et stupra.* =

Quod magis etiam directe confirmatur a Doctorum auctoritate. Sane ex sponsalibus occultis non oriri impedimentum publicae honestatis tradunt Cucch. *lib.* 5 *instit. tit.* 10 *num.* 52. Gaet. *in repetit. cap. ad Limina* 30 *q.* 1 §. 4 *quaesit.* 203 *num.* 403 *inter repetit. canonic. divers. vol.* 1. Navarr. *cons.* 18 *in fin. sub tit. de spons.* Sanchez *de matrim. lib.* 7 *disp.* 68 *num.* 16. = « Sunt tamen tempe« randa dicta duplici n. praec. nisi sponsalia illa irrita ob « defectum consensus interni, vel alterius impedimenti « omnino occulti ratione, sint adeo clandestina, ut pro« bari nequeant. Tunc enim, cum ratio dicta publicae ho« nestatis ac scandali desit, ac ex altera parte ea non sint

« valida, id impedimentum publicae honestatis non orie-
« tur. » =

Latius vero Pitonius in cit. *disc. eccles. num.* 98 *et seq.* « Sed arbitror non existere tale impedimentum (publicae « honestatis) quia huiusmodi sponsalia, a quibus contra- « hentes iam recesserunt, sunt etiam occulta, licet per apo- « cham privatam subscriptam a duobus testibus et futu- « ris sponsis. Cum enim, ut supradixi, huiusmodi impe- « dimentum non oriatur ex consanguinitate vel affinitate, « quae ante copulam non insurgit, nec minus adscribi « possit alicui cognationi spirituali, legali aut carnali, ut « dicunt canonistae... sed soli externae decentiae innita- « tur, quae magis in opinione quam in rei veritate con- « sistit, docet glossa etc. iuxta quam in contrahendis ma- « trimoniis quandoque magis honestas, quam rei veritas « considerari debet, *L. semper ff. de ritu nupt.* et hone- « stum non sit, quod quis habeat in uxorem illam, quae « fuit sponsa consanguinei, consequitur ergo, quod, ces- « sante externa apparentia, cessare debeat etiam impedi- « mentum, quod ab illa oritur et procedit etc. Ex quibus « sufficienter colligitur neque consensum neque dissensum « partium simpliciter sumptum in ordine ad futurum ma- « trimonium fuisse causam inducendi huiusmodi impedi- « mentum, sed solum prout habent relationem ad actum « externum celebrati contractus publicae, vel reciprocae « fidei a sponso sponsae datae, et e contra, iuxta quam « publica honestas indecens arbitratur aliquem cum alte- « rius consanguineis copulari, quae qualitas externae ap- « parentiae non potest occultis sponsalibus adaptari ». =

Hanc imo doctrinam auctoritate etiam huius S. C. fulciri testatur Guttier, *de matrim. cap.* 103 *n.* 10. « Quar- « to, quod etiam Congregatio censuit, ex sponsalibus con- « tractis, si factis denunciationibus non apparebit aliquod « impedimentum, non oriri impedimentum publicae ho- « nestatis ». = Quia scilicet sponsalia non patefacta tempore denunciationum censentur occulta. Concinit Pitonius in cit. *discept. n.* 107. = « Demum addo, quod S. Con- « gregatio Concilii censuit, ex sponsalibus contractis, si « factis denunciationibus non apparebit aliquod impedimen- « tum, non oriri impedimentum publicae honestatis etc. « Ex quo resultat, ut post contractum matrimonium non sit « amplius locus denunciationi, quippe ex quo impedimen-

« tum non fuit denunciatum, iam cessavit illa externa ap-
« parentia et publicitas a quibus causatur ». =

Iamque satis hoc esset ut idipsum affirmari debeat de matrimonio clandestino occulto, tum quia a sponsalibus recte infertur ad matrimonium, tum ob identitatem rationis, quae militat in utroque casu. Sed de ipsomet matrimonii clandestini occulti puncto eamdem doctrinam tenent Paludanus in *quarta distinct.* 27 *q.* 2 *art.* 5 *v. tertia conclusio,* Navarr. *in summa cap.* 23. 58 et alii. Paludani autem sententiae sub hoc sensu matrimonii clandestini occulti adstipulatur Fagnanus in *cap. Ad audientiam de sponsal. num.* 28. = « Ad tertium et ultimum pu-
« to, Paludanum loqui de matrimonio clandestino, prout
« importat factum sine testibus, quia cum occultum sit,
« non est cur ibi consideretur illud honestatis impedimen-
« tum, quod inducitur propter actus externos, et homi-
« num scandalum ». =

Adstipulatur similiter Piton. in *cit. discept.* 52 *n.* 99.
« Unde his motus rationibus Paludanus tenuit, quod ma-
« trimonium clandestinum non causat publicae honestatis
« impedimentum, sicut nec sponsalia occulta, quando
« sunt nulla, utpote revocata: et optima ratione, quia quan-
« do matrimonium clandestinum vel sponsalia sunt oc-
« culta, non est cur ibi consideretur huiusmodi publicae
« honestatis impedimentum, quod inducitur propter actus
« externos, et hominum scandalum, caeteroquin consur-
« gens etiam ex facto nullo, apparenti, ac proinde in foro
« conscientiae non obstat, quominus contrahentes nubant
« propinquis hinc inde desponsatis ». =

Atque haec dicta sint sub censura, salvo semper etc.

DECRETUM

Postquam laici legumlatores praeter civiles ac politicos matrimonii effectus, impio ausu ipsum pervadere ac moderari praesumpsere matrimoniale foedus, quod a Deo auctore naturae ante omnem civilis societatis existentiam primitus institutum, ac ad ineffabilem Sacramenti

dignitatem deinde a Christo Redemptore evectum quamlibet politicam et civilem iurisdictionem penitus excedit, pluries Episcopi aliique animarum pastores ab Apostolica Sede anxii postularunt, an ex actu civili, qui honorandum usurpat matrimonii nomen, impedimentum iustitiae publicae honestatis oriatur. Quae postulationes cum iteratae postremis hisce temporibus fuissent, Summus Pontifex mandavit, ut huiusmodi negotium a S. Congregatione Emorum ac Rmorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum rite ac sedulo expenderetur. Sacra autem Congregatio, exquisitis virorum in theologicis et canonicis disciplinis peritorum consultationibus, ac re mature discussa in generali comitio diei 13 Martii 1879 propositae dubii formulae = *An actus, qui vulgo audit matrimonium civile, pariat impedimentum iustitiae publicae honestatis* = rescripsit = *Negative; et consulendum SSmo, ut id declarare ac statuere dignetur.* = Quapropter SSmus Dnus Noster Leo Papa XIII audita universa rei relatione in audientia diei 17 eiusdem mensis in voto S. C. concedens per praesens decretum declarat ac statuit, praememoratum actum, qui vulgo dicitur matrimonium civile, in locis ubi promulgatum est decretum Concilii Tridentini *Sess. XXIV cap.* 1 *de reform. matrim.* sive fideles actum ipsum explentes intendant, uti par est, (matrimonio ecclesiastico iam rite celebrato, vel cum animo illud quantocius celebrandi) meram caeremoniam civilem peragere, sive intendant sponsalia de futuro inire, sive tandem ex ignorantia, aut in spretum ecclesiasticarum legum intendant matrimonium de praesenti contrahere, impedimentum iustitiae publicae honestatis non producere. Atque ita etc.

Die Sabbati 26 Aprilis 1879 in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua praeter alia proponentur infrascripta Dubia, iuxta morem eiusdem Sacrae Congregationis de iure resolvenda.

—

ALBINGANEN. DISPENSATIONIS MATRIMONII. = In comitiis diei 25 Ianuarii decurrentis anni ventilata haec causa fuit sub dubio – *An sit consulendum SSmo pro dispensatione matrimonii rati et non consummati in casu* – et responsum prodiit – *Affirmative* –. *Sess. 24 cap. 1 de Ref. Matrim.*

Hoc edito rescripto Sacramenti Vindex, inhaerendo dispositioni Constitutionis *Dei Miseratione* editae a Benedicto XIV, novae auditionis beneficium postulavit obtinuitque, atque ad hoc novas mihi animadversiones exhibuit. Iis igitur perpensis, aliisque in praememorata Congregatione deductis, resolvant EE. PP. quonam responso suetum dimittendum sit

DUBIUM

An sit standum vel recedendum a decisis in casu.

In decisis.

NOVAE

ANIMADVERSIONES

DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO

Eminentissimi et Reverendissimi Patres

1. Inter audacem viri impatientiam et affectatam imbecillitatem mulieris matrimonii causa versans in hac quaestione, infausto sydere occubuit in superiori discrimine diei 25 transacti mensis Ianuarii, quum dispensationem postulantes Franciscus Pizzo, qui novas ac inutiles nuptias coram civili Magistratu inire pertentavit, et Violans Arduini, quam coniugii cum eodem contracti intempestive poenituit, voti compotes fuissent effecti. Ingenti quidem testimoniorum cohorte procubuit oppressa. Unus econtra testis aderat, et quidem Sacerdos Regularis et probatissimus, qui omnibus contradicebat. Testes inducti deponebant de *auditu,* et de privata eorumdem opinione ex auditis rebus concepta; Religiosus vero a S. hoc Ordine requisitus deposuit de facto proprio et de visu. Illi affirmabant numquam coniuges nec cohabitasse nec condormiisse; unde reebantur nec uxorio officio navasse operam. Hic e contra deponebat, se una cum sponsae fratre ad nuptialia bellaria degustanda adeuntem coniuges domi invenisse, *absente patre,* quod idem est, nullo teste. Veruntamen cum de unico teste ageretur, nullam fidem ipse sibi conciliavit. Confido nihilominus, quod hodie mane, incertitudine inconsummationis carnalis luculentius demonstrata, vel dispensationem penitus inficiantes, vel ea qua fulgetis prudentia et iustitia, diligentiorem testium inquisitionem demandantes, opportunius incolumitati Sacramenti consulatis perinde.

2. Quum sacramentalis vinculi indissolubilitatem ex divina institutione hauriat matrimonium, et quum per unionem corporum ineffabile mysterium unionis Verbi Divini cum Ecclesia in assumpta humanitate, et corporali quadam intuitione ad humanam naturam aeterno foedere divinitati consocian-

dam repraesentet, hinc perfecti consummatique coniugii dissolutio quamlibet humanam potestatem excedit; « *quod Deus coniunxit homo non separet.* » Utcumque idcirco catholica doctrina teneat, quod, perfectione istiusmodi consummationis carnalis deficiente, sit Petro collata potestas a sacramenti vinculo dispensandi, nihilominus tam religiose et tam caute in consummationis defectu constituendo Ecclesia procedit, ut in quantum humanarum rerum conditio secumfert, nonnisi quam plena huiusce conditionis suffragante certitudine, dispensationis gratiam impertiatur.

3. Non novum proinde, nec insuetum est in sacro hoc Ordine, ut matrimonii inconsummatione ad dispensationem elargiendam in controversiam adducta, singulari testi consummationem affirmanti praebuerit fidem prae aliis innumeris qui inconsummationem deponerent; atque hoc, etiam praeter relationem obstetricum de integritate mulieris referentium. Praeclarissimum suppeditatur exemplum a *Corduben. Dispensationis* 22 *Novembris* 1760, in qua utcumque coniuges una cum testibus ferme *viginti,* nullam intercessisse commixtionem carnalem iuravissent, nihilominus, obtestante copulam cubicularia sponsorum, S. Congregatio dispensationem negavit. Ita compendiose de hac causa tradit Zamboni in verbo *Dispensatio* §. 12 n. 21 « ibi » Ioseph Perez de Guzman « querelam nullitatis matrimonii a se initi cum Anna Ponze de « Leon instituit coram Ordinario ob defectum consensus « sponsae, quam dementem fuisse asseverat. Inde vero pre« ces pro obtinenda dispensatione super matrimonio rato « et non consummato obtulit. *Obstetrices de virginitate « Annae retulerunt. TESTES VIGINTI de non consumma« tione deposuerunt, prout ipse Ioseph pariter iuravit.* « Cubicularia quaedam testatur se vidisse coniuges iacentes « simul coeuntes et abortum passam fuisse Annam. *S. Con« gregatio, NON CONSTARE de matrimonio rato et non « consummato, ita ut non esset locus dispensationi, credidit.* »

4. Si hoc non novum, nec insuetum, minus etiam rarum est, quod idem S. Ordo, quandocumque etiam per brevissimum unius vel alterius horae spatium coniuges solos commoratos fuisse deprehenderit, ex quo tunc quidem tum possibilitas, tum praesumptio consummationis exsurgit, ab elargienda dispensationis gratia *vel prorsus abstinuit, vel certiores ac validiores probationes ad inconsummationem constabiliendam requisivit.* Abstinuit quidem ab hac gratia

concedenda in casu solius *possibilitatis* consummationis, prouti contigit in *Wormatien. Matrimonii* diei 13 *Iunii* 1733, in *Hispalen. Dispensationis* diei 14 *Martii* 1739, et praesertim in *Chien. Matrimonii* diei 15 *Decembris* 1792, in qua ex coniugum et testium iurata depositione constabat maritum statim post nuptias absque consummatione discessisse, quin nimirum nullo temporis spatio cum uxore solus permansisset; ita namque enarrat synopsis eiusdem causae: « matrimonii consummationem prae omnibus excludit « in suo constituto Angela; ait enim, statim Michaelem « post contractum matrimonium, *absque consummatione di-* « *scessisse;* et quidem ex pacto accipiendi post biennium « benedictionem, sine qua non permittitur Chii consum- « matio. Sex insuper iudiciales *testes*, aliique tres extraiu- « diciales *confirmant* pactum differendi benedictionem, *ce-* « *lerem viri discessum, quin solus post matrimonium fuisset* « *cum sola,* et numquam post reditum coniuges inter se « convenisse; ac iurata tandem, licet extraiudicialis, *ac-* « *cedit ipsius viri confessio* coram Apostolico Smyrnarum « Vicario *de nunquam consummato matrimonio.* »

5. Hisce verumtamen haud obstantibus, solemne habuit S. Congregatio, *possibilitatem* consummationis esse attendendam, quominus dissolutio coniugii admitteretur, quum non satis constaret, quod maritus, in eadem Chiensi civitate, in qua mulier degebat, post suum reditum per mensem commorans, nunquam ad eamdem accessisset; prosequitur enim synopsis: « Eoque magis de consummatione « dubitandum post reditum viri, eiusque menstruam mo- « ram in Chiensi Civitate; nam licet constet, numquam illum « eo temporis spatio uxorem adiisse, clam tamen potuit uxor « adire maritum. *Satis autem censet, solam possibilitatem,* « *ut matrimonium in quolibet dubio consummatum censea-* « *tur.* » Hisce itaque perpensis, duplici hoc *Dubio* proposito: I. *An constet de matrimonio rato et non consummato, ita ut sit consulendum SSmo pro facultate emittendi professionem solemnem in manibus Episcopi et extra claustra in casu;* « et quatenus negative ad secundam partem: II. *An sit consulendum SSmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu* » S. Ordo consultissime respondit « *Ad primum et secundum NEGATIVE ad utrumque.* »

6. Validiores autem probationes ad inconsummationem in tuto constituendam idem V. Ordo requisivit haud

multis abhinc annis in persimili causa, *Spoletana Matrimonii anno* 1873 exagitata. Publica quippe notorietate constabat in hac causa quod sponsa, matrimonio clandestine celebrato, ab Ecclesia ad convivium in habitatione sponsi, a convivio ad paternos lares continuo fuisset reducta, quemadmodum enarrat Synopsis diei 20 Decembris 1873 §. *Hoc* – ibi – « *Hoc absoluto* (nuptiali nimirum ritu) *ad viri la-* « *res reditum est*, comitantibus eos et testibus matrimonii « et viri propinquis. Convivium ibi paratum erat, et epu- « lis fumantibus iam cuncti tripudiantes inter sciphos et « potus ventri implendo intendebant, cum extremum gau- « dium luctus occupavit. Quandoquidem facti rumor ac « fama per totam Trebiae civitatem diffusa, Agnetis pa- « ter « telegrafò al Sotto-Prefetto prevenendolo del fatto « accaduto, onde d'officio avesse agito per ritogliere la fi- « glia dalle mani dell'Anzidei » et incunctanter « spedì di fuga « il fratello Filippo, onde si ponesse di concerto col Sotto- « Prefetto per riavere la figlia ». Unde evenit, ut *Agnes* « *e mensa ad lares paternos reducta, et Anzidei stipante* « *milite ad carcerem fuerit detrusus.* »

7. Haec verumtamen gravissima circumstantia quae *coarctatam*, uti dicitur, temporis contra consummationem constituisset, et quae prae caeteris a sponsi coniunctis apprime edoceri debuisset, hisce examini subiici renuentibus, adhuc cuidam dubitationi erat obnoxia, quemadmodum opponebat matrimonii Defensor in §. *final.* – ibi – « Prae- « misso autem de ea (nimirum dispensatione) disseri in « hac iudicii sede non posse, cum sponsorum deficiat pe- « titio, et processuales tabulae ad hoc confectae haud fue- « rint, existimat, ipsam nullimode posse indulgeri; 1. quia « *de matrimonii inconsummatione certa et concludens pro-* « *batio haberi nequit ex eo quod omnes Anzidei coniuncti* « *examini se subiicere recusant, et aliunde sola consummatio-* « *nis possibilitas satis est ad eam recusandam;* 2. quia nulla « ac legitima causa praesto est ad eam indulgendam. » Hisce idcirco exploratis et perpensis, haec S. Congregatio ad scopum praesertim dispensationis a matrimonio rato et non consummato novas adducendas esse probationes consultissime decrevit. Propositis namque duobus hisce *Dubiis* I. *An constet de nullitate matrimonii in casu;* « et quatenus negative » II. *An sit consulendum SSmo pro dispensatione matrimonii rati et non consummati in casu* = opportuno

rescripsit consilio « *Dilata et coadiuventur probationes iuxta instructiones dandas* ».

8. Persimilem utriusque huiusce causae speciem praesefert adamussim casus, in quo praesens versatur controversia. Sunt enim testes quamplures, si non viginti, saltem quatuordecim, qui opinantur et deponunt numquam coniuges fuisse commixtione carnali copulatos; hoc tamen opinantur, quia pro certo habent, *numquam condormiisse, numquam cohabitasse* sub eodem tecto. Ast testis alter suppetit, qui per aliquam diei partem *insimul conversasse* edocet, per nonnullas circiter horas post nuptias celebratas, quin alias deprehendatur, conversationi istiusmodi alienam personam, vel familiarem, vel extraneam ullatenus adfuisse; unde manifeste evincitur, quod inconsummationis conditio longissime exulat ab ea certitudinis probatione, quae ad confringendum coniugale vinculum, quod rite et solemniter contractum est, prae omnibus conditionibus est maxime necessaria. Posthabenda ne est circumstantia isthaec, quae vehementem ingerit suspicionem quod matrimonium in ea temporis et loci commoditate consummaverint sponsi? Atqui econtra valde differt, quod numquam sub eodem tecto cohabitaverint, vel numquam etiam in eodem lecto cubaverint, ab eo quod nullo temporis momento insimul fuerint conversati, qualibet inde persona, quolibetque teste remoto, ita ut maritali officio incumbere valuissent. Illud quidem actum continuum et per diem noctemque productum requirit; hoc econtra brevi temporis spatio perficitur, adeo ut nec moram, nec noctem, nec amplam loci commoditatem requirit; sed satis est ut solitudo, ut testium absentia, ut opportunitas cubiculi suppetat. Audiantur itaque testes, qui ex adverso proferuntur.

9. Iacobus Durante « So che questo matrimonio si è « fatto quasi di nascosto, e senza che ne sapesse cosa al« cuna il padre della Violantina: sicchè appena celebrato « in S. Bernardino, *i coniugi non coabitarono mai insieme,* nè « mai poterono riunirsi.... il Pizzo si raffreddò, e partì per le « Americhe.... poi ritornato introdusse la causa presente. »

10. Parentes Francisci « Il nostro figlio ci raccontò, « che in due, o tre circostanze ha visto, e scambiate al« cune parole colla Violantina, sempre bensì in presenza « del di lei fratello Prete, ma che però la medesima o « con un pretesto o coll' altro si ritirava. Quindi. . . .

« si recò in Albenga, ed ivi ha difatto celebrato il suo « matrimonio colla Violantina. . . . Tornato poscia a Casa « la sera medesima del celebrato matrimonio, ed interro- « gato da noi sul perchè egli *non fosse rimasto in Al- « benga a condormir colla moglie,* ei ci rispose, che il fra- « tello di lei prete non avea voluto, perchè il padre, che « ignorava il fatto matrimonio, avrebbe dato in escande- « scenze, se lo avesse veduto in casa come marito della « figlia; ma che col tempo si appianerebbe ogni cosa. »

11. Bartholomaeus Abbo ex Salea « il Pizzo per mo- « tivi d'interessi spinto piegava a far questo matrimonio, « anche senza il consenso del padre della Violantina, spe- « rando, che col tempo questo si sarebbe ottenuto: sicchè « pel difetto di esso, il Pizzo celebrato il matrimonio, *non « potè mai coabitar colla moglie,* come mi ha asserito più « volte, ed è pubblico e notorio in paese. »

12. Angela Balbis Vidua Abbo: « Sicchè essendo « pubblico e notorio che il padre della Violantina, *non « ha mai voluto consentire, che la figlia coabitasse col « Pizzo* in casa propria, ed essa non essendosi mai mossa « dalla casa paterna. . . . son convinta, che questi due « sposi non hanno mai consumato il loro matrimonio. »

13. Franciscus Gianeri: « Una settimana circa dopo « celebrato il matrimonio. . . . da amico interrogai il « Pizzo perchè non stesse con sua moglie; mi rispose, che « il padre della medesima non volea; e poscia passato « molto tempo, io mi accorsi, che il medesimo si vergo- « gnava cogli amici e col resto del paese, sicchè final- « mente per sottrarsi da così fatta vergogna prese la de- « liberazione di andarsene in America. . . . sicchè io son « convinto, convintissimo, come tutti dicono ed è voce pub- « blica, ch' egli non abbia mai colla moglie consumato il « matrimonio. »

14. Archipresbyter Saleae R. D. Candidus Barbera; « In Ecclesia S. Bernardini celebratum fuit hoc matrimo- « nium, eademque die Franciscus ad paternam domum re- « versus est, quin suam duceret uxorem. Qua de re non- « nullis elapsis diebus, a me interrogatus, hanc ab illo « obtinui responsionem. Violantinae pater, nostri matri- « monii ignarus, *mihi impedivit, quominus condormitionem « cum mea uxore haberem,* quam nec habui ipsa matrimo- « nii die. . . .. adeo ut, mihi persuasissimum sit numquam,

« et nusquam suum cum praedicta uxore consummasse « matrimonium. »

15. Ioseph Bigo, vulgo *Baccibecco;* « Un bel giorno mi « comparve il Pizzo dicendomi, che avea sposato nella « Chiesa di S. Bernardino la Violantina accompagnata dal « suo fratello, ma senza che ne sapesse niente il padre. . . « e che per questo motivo *non era andato a dormire colla « moglie,* ma tornato la sera medesima a casa sua. »

16. Sacerdos R. D. Aloisius Marchiano; « Audivi Fran- « ciscum cum praedicta sua uxore *nunquam condormisse,* « quia socer eius nunquam ipsum recipere voluit. »

17. Adv. Nicolinus Lanusol; « Audivi a currente in « Urbe rumore matrimonium huiusmodi celebratum fuisse « absque ulla reciproca sponsorum affectione, et tantum- « dem ob motiva temporalis utilitatis, vulgo interesse; qua « de causa accidit, sponsos, contracto vinculo, *nunquam si- « mul cohabitasse;* sed ad propria unumquemque illico di- « vertisse. . . . ob quae omnia motiva mihi persuasum « est matrimonium huiusmodi, ut ut fortasse ratum, num- « quam vero consummatum esse. »

18. Nec maiorem lucem afferunt alii testes Dominica Vazio, Bernardinus Falcheri, Thomas Caraviotto, adm. R.D. Leo Ioseph Mantica Praepositus Parochialis S. Mariae in Fontibus, quorum proinde supervacaneum foret recitare depositiones, quum idipsum omnes concinant, *numquam sponsos cohabitasse, numquam condormiisse.*

19. Adeo autem his perstricta limitibus *unius cohabitationis et condormitionis* deficientia consistit, ut frater vel ipse sponsae Sacerdos Nicolaus Arduini, utcumque matrimonii conciliator et sollicitator fuisset, atque sponsum deinceps a sponsa studuisset seiungere, nihilominus *haud* aliud quidpiam *ultra* simplicis *cohabitationis* defectum obtestari potuerit « *numquam simul cohabitasse* ». Deposuit enim: « Pro- « be scio celebrationem factam fuisse talis matrimonii co- « ram S. Matre Ecclesia, cui adfui tamquam testis, et post « *celebrationem quemque sponsorum abiisse in domum suam, « et numquam exinde simul cohabitasse.* »

20. Haud quidem inficior ex recitatis testibus alterum, nempe Franciscum Gianeri, explicite inconsummationem coniugii, tamquam ex eodem sponso auditam, meminisse « *egli stesso più volte l'ebbe detto confidenzialmente e da amico* ». Depositio veruntamen istiusmodi cuiuscumque veri-

similitudinis, et non minus etiam certitudinis nota destituitur. Quonam, quaeso, modo haec praesumpta Francisci confessio uni Ianerio testi pandita conciliari potest cum silentio aliorum omnium testium quoad ipsam consummationem, et praesertim parentum ipsius Francisci, necnon intermediarii Iosephi Rigo, vulgo dicti *Baccibecco,* qui nuptias conciliaverat, et cui intima cordis sui patefecerat sponsus ? Isti namque concordi voce obtestantur, haud ipsum cohabitare potuisse cum sponsa; quidam autem etiam adiicit, nec cum eadem condormire sibi datum. Sed de inconsummatione matrimonii affirmant quidem, eamdem vel ex publica voce, vel ex eorumdem opinione obtestari ; ast ab ore ipsius Francisci nullatenus id innuunt deprehendisse. Parentes, inquam, solemniter obtestati sunt in iudicio; iurisiurandi religio ab iisdem interposita; et nihilominus dum concordi voce profitentur, quod vel ex publica fama, vel ex ipsorum existimatione matrimonium inconsummatum percensent , nemo tamen ex illis quidpiam refert audivisse a Francisco, quod praetensam inconsummationem evinceret.

21. Testis igitur isthic est SOLUS IN DICTO, seu in sua depositione; est nempe testis SINGULARIS; qui profecto eo ipso quod ab aliis permultis atque apprime simul in unius tantummodo cohabitationis et condormitionis defectu concordantibus apertissime discrepet, NEQUAQUAM SIBI FIDEM POTEST PROMERERI; ita de constanti iurisprudentia tradit ROTA ROMANA *in Decis.* 684 *num.* 19 *coram Molines* « ibi » Unusquisque ex *iis testibus est* SINGULARIS *in dicto; ideoque* REGULARITER NON PROBAT, *iuxta theoricam Iasonis;* « atque ita etiam in *Decisione* 114 *num.* 18 *coram Ansaldo* « ibi » *Alter enim testis profitebatur incidisse in Euphrasiam prope civitatem Tiburis, eamque ad Urbem usque associasse; alter vero dumtaxat illam inspexisse in Urbe, seorsim tamen ab alio teste; proindeque cum ultra caeteros, ut supra, iuridicos defectus,* ESSENT SOLI IN DICTO, SEU SINGULARES, FIDEM NEQUAQUAM SIBI POTERANT PROMERERI, *ex his quae passim consarcinari solent.* »

22. Hoc unum, ceu videtis, EMI AC RMI PATRES, ex omnium propemodum testium depositionibus eruitur, quod isti sponsi, nec umquam sub eodem tecto cohabitarunt, nec umquam condormierunt in eodem cubili. Sed iam vidimus, et per se facile concipitur, quod non exinde

excludi potest consummatio matrimonii, quippe quae *opportunitate temporis* atque *loci* alias opitulante, etiam absque earumdem circumstantiarum cohabitationis et condormitionis commoditate perfici potest. Quod autem in casu hoc nostro praenotata opportunitas subiisset, nullatenus ambigi posse, in propatulo est ex depositione alterius testis qui omni fide dignissimus ex hoc retinendus est, tum quia de *facto proprio* deponit, tum quia vir Religiosus et probatae existimationis; tum quia praeterea a nemine contradictus.

23. Est enim Rñdus Fr. Iosephus Morteo ex Minoribus Observantibus S. Francisci Assisiensis, qui celebrationi nuptiarum testis interfuit, et qui deinceps a fratre sponsae, Sacerdote Nicolao invitatus, nuptialis refectionis comparticeps fuit. Ex ipsius porro testimonio, atque ex aliis rerum circumstantiis, ceu mox ostendetur, luculentissime evincitur, quod aliquo diei notabili intervallo, importuno quovis teste, sive consanguineo, sive amico, sive familiari remoto, libere et percommode sponsi conversati sunt. Iamvero interrogatus Religiosus a iudice delegato « An cognoscat, sponsos simul ab Ecclesia domum reversos? Respondet: – Haec ignoro. Recordor tamen, post « praedicti matrimonii celebrationem EODEM DIE me invitatum fuisse a conteste fratre praedictae Violantinae « ad poculum vini bibendum domi paternae una cum « sponsis. Hanc domum illico petii UNA CUM INVITANTE R. Nicolao Arduini, UBI REPERI SPONSOS, ABSENTE PATRE VIOLANTINAE; haustoque vino, aliisque bellariis de circumstantia, audivi a praedicto R. Nicolao fratre, sponsum illico reversurum Saleam et commoraturum domi suae ad curandas necessitates familiae, neque interim cum sponsa matrimonium esse consummaturum ».

24. Haud quidem arduum negotium est ostendere ex hoc testimonio, quod per notabile temporis spatium, nullo teste, nullaque praesente persona, sive coniuncta, sive extranea, tunc SOLI sponsi in habitatione mulieris conversati sunt post nuptias. Et re quidem vera, constat utique quod recreatio, in qua Religiosus testis consedit, parata fuit eodem die, quo matrimonium celebratum est; ipsa tamen refectio nonnisi quam pomeridianis horis locum habuit, et forsan sub crepusculo. Sacro namque ritu

absoluto in rurali Ecclesia Religiosorum Observantium, sponsa mox propriam remeavit habitationem una CUM FRATRE Sacerdote Nicolao, NULLO prorsus alio SOCIO comitante, « *essa faceva compagnia al fratello Prete* »; sponsus quidem, eo potissimum quod matrimonium publicari non debuerat, eamdem sponsae habitationem alia via solus et nullo comite adscito etiam ipse repetiit « *tornai in Albenga da solo* ». Religiosus, ceu patet, in Coenobio permansit. Est porro idem sponsus, qui ita deponit: « Interrogato – Se, celebrato il matrimonio nella Chie-
« sa, abbia mai trattato come marito colla Violantina, e
« siasi congiunto corporalmente colla medesima? – Rispon-
« de – Appena celebrato il matrimonio uscii dalla Chie-
« sa da dove separato affatto dalla medesima, e senza
« neppure averla a braccetto *tornai in Albenga da solo,*
« *MENTRE ESSA FACEVA COMPAGNIA AL SUO*
« *FRATELLO PRETE;* sicchè eravamo affatto lontanis-
« simi l'uno dall'altro; e questo perchè nella famiglia Ar-
« duini avevano impegno, che nè il pubblico, nè il pa-
« dre venissero a cognizione del celebrato matrimonio.
« TORNATI IN CASA, come già ho detto, separati, il
« Prete fratello mi disse, che, STANTE L'ASSENZA DEL
« PADRE, mi ritirassi a Salea, da dove potrei tornare
« nella prossima Domenica per combinare il modo di fare
« il contratto civile, mentre Egli nel frattempo avrebbe
« ottenuto il consenso del padre ».

25. Tres porro tantummodo personae ex hac narratione apparent ad habitationem sponsae Albingaunum regressae: sponsa ipsamet, sponsus, et frater illius. De Fr. Iosepho Morteo nullum in eodem itinere apparet vestigium. Conveniunt examussim in hac Religiosi absentia depositiones tum eiusdem mulieris, tum fratris ipsius; enarrat enim Violans « sono andata sola a S. Bernardino *e sola*
« *tornata*. Poscia il detto Pizzo è venuto in casa mia, e
« vi si trattenne pochi minuti, quindi se ne è andato pei
« fatti suoi, perchè non potea portarmi in casa sua in Salea ».
Enarrat etiam Sacerdos Arduini « post celebrationem ma-
« trimonii *quemque sponsum abiisse in domum suam*, et
« numquam exinde simul cohabitasse ».

26. Sacra alioquin caeremonia nonam et ultra horam ante meridiem occupavit, id obtestante eodem Francisco. « Interrogato, se abbia celebrato il matrimonio eccle-

« siastico con la Violantina – Risponde – L'ho celebrato « nella Chiesa di S. Bernardino il giorno 4 di Agosto del-« l'anno 1866 con tutte le formalità richieste dalla S. Chie-« sa *alle ore circa nove antimeridiane* ». Absoluto nuptiali ritu, si sponsi et frater sponsae, prouti supra enarratur, absque alia persona regressi sunt Albingaunum, iam per se patet, quod Fr. Iosephus Morteo, non quidem domum Arduini, sed proprium petiit cubiculum. Quando autem domum sponsae ipse petiit, tunc non solus petiit, sed una cum fratre illius « *hanc domum illico petii UNA CUM INVITANTE Nicolao Arduini* ».

27. Hoc tamen haud potuit contingere circa meridiem, quum ridiculum fuisset, ut vix ad propriam habitationem Nicolaus perventus, inde illico discessisset ut Religiosum, qui iam fortasse communi mensae accumbebat, ad bellaria delibanda perduceret. Quod si accessus eiusdem Religiosi idcirco ad habitationem sponsae nonnisi quam pomeridianis horis obvenire potuit, iam pernecesse consequitur, quod sponsae frater exinde abscedens ut Religiosum accersiret, nisi bilocationis donum eumdem pollere affirmare quis velit, sponsos domi aliquo temporis spatio relinquere debuit. Atqui Violans semper domi LIBERA et SOLA demoratur, « io come tutti sanno (ita eius frater) « per cinque ore del giorno sono a fare la scuola nel « Ginnasio. *Mio padre non è mai in casa; la SORELLA vi si « trova SEMPRE E LIBERA E SOLA* ». Et *libera* reapse ac *sola* fuit cum sponso; quoniam ubi Fr. Iosephus Morteo illius domum pervenit, nec patrem sponsae ibi adinvenit « *hanc domum illico petii una cum invitante R. Nicolao Arduini, ubi reperi sponsos ABSENTE PATRE VIOLANTINAE* »; nec alium testem invenire potuit, tum primum quia FAMILIARES ibidem NULLI sunt, prouti refert Vicarius Albiganensis in suo decreto interlocutorio diei 15 Septembris 1874 « *NULLOS, uti publicum et notorium est, in domo praedicti Felicis Arduini ESSE FAMILIARES, qui subiici possint examini* »; tum quoque quia clanculum celebratae sunt nuptiae « *nella famiglia Arduini* (ita sponsus) *avevano impegno, che nè il pubblico, nè il padre venissero a cognizione del matrimonio* ».

28. Hisce *in facto* constitutis, quod nimirum mulieris frater, ut contestem sacri ritus Fr. Iosephum Morteo e rurali Coenobio ad propriam habitationem perduceret,

sponsos per aliquas ad minus horas domi relinquere debuit; et quod, deficientibus in familia Arduini domesticis servitio addictis, absente sponsae genitore ex eadem habitatione, atque extranea qualibet persona ad evitandam matrimonii evulgationem remota; suo ac prono veluti alveo fluit consequens, quod ad consummandum matrimonium parata opportunitas, immo permagna commoditas opitulata est sponsis. In iure alioquin iam vidimus exemplo et auctoritate huiusce amplissimi S. ORDINIS, quod *unius* testimonium, si de facto proprio deponat, et probatae sit fidei, in constabilienda veritate consummationis coniugii magis attenditur quam testimonium aliorum *viginti,* qui de auditu et publica fama deponunt; quemadmodum examussim iudicatum fuit in *Corduben. Dispensationis* 26 *Novembris* 1760. Vidimus etiam, quod non contestata, nec exclusa possibilitate commixtionis carnalis ex opportunitate locorum et temporis, satis id est ut matrimonium *in quolibet dubio consummatum censeatur,* prouti iudicatum pariter fuit in multiplicibus desuper relatis controversiis, et praesertim in *Chien. Matrimonii* 15 *Dec.* 1792. Vidimus praeterea, quod non constante cum omni certitudine de inconsummatione, utut brevissima fuerit sponsorum conversatio, semper consuevit S. hic Ordo certiores probationes exquirere, quemadmodum in *Spoletana* 20 *Decembris* 1873. Facto igitur et iure explorato et perpenso, opus est concludere, quod cum positiva illa certitudo inconsummationis ipsius, qua dumtaxat suffragante, coniugale vinculum et sacramentale, aeternum atque indispensabile foedus dissolvi potest ab Ecclesia, omnino exulat in casu, ideoque vel nullatenus dispensationis gratia concedenda est, vel diligentius et accuratius examen est instituendum, ut de conversatione inter coniuges post nuptias celebratas transacta luculentius edoceatur, quo magis cautum et tutum de defectu consummationis reddi possit iudicium.

Quare etc.

FLAVIANUS SIMONESCHI
Adv. Defensor Matrimonii ex officio.

Sess. 21 cap. 4
Sess. 24 cap. 13
de Reform.

NETEN. DISMEMBRATIONIS ET IURIS SACRAS PERAGENDI FUNCTIONES. = Motuca incolarum frequentissima civitas Netensis Dioecesis pro ipsius urbis situ in duas paroecias dividitur, quarum altera superiori constat parte, inferiori altera. Prima illa Sancti Georgii subest Ecclesiae, quae Matrix est ex decretis S. Rituum Congregationis dierum 24 Maii et 6 Septembris 1636 necnon ex litteris Apostolicis Innocentii XI. sa. me. – *Alias emanarunt* – datis sub die 4 Iunii 1689: secunda S. Petri nuncupatur ex templo S. Petro Apostolorum Principi sacro. Utraque parochialis Ecclesia tres habet suffraganeas Ecclesias, quas vocant sacramentales.

Inter succursales Matricis Ecclesiae S. Georgii die 16 Februarii anni 1599 a Syracusano Episcopo Ioanne Horosco, cuius Dioecesis tunc et Motucam et ipsum Netum amplectebatur, recensita fuit Ecclesia in dictae civitatis regione vulgo *Francavilla* sita, cui titulus est a S. Ioanne Evangelista: idque « ad preces Beneficiati et Parochianorum dictae « Ecclesiae S. Georgii, Confratrum, Rectorum, et Devotorum dictae Ecclesiae S. Ioannis »; propter Parochianorum multitudinem, et distantiam ipsius parochialis S. Georgii, prouti in literis erectionis traditum legimus. Quibus quidem literis expresse cautum est erectionem suffraganeae Ecclesiae fieri debere « iuribus tamen Beneficiati S. Georgii « semper salvis, qui velit et debeat praeesse dictae Ec« clesiae, quemadmodum in dicta S. Georgii et S. Mar« garitae alterius suffraganeae, ita quod redditus dictae « Ecclesiae S. Ioannis erogentur pro manutentione dictae « parochialis, tam pro Capellanis, Sacristis... prouti dicti « confratres se obligaverunt ».

Anno at vero 1628 Idibus Novembris ex Bulla Urbani VIII. S. Georgii Ecclesia in Collegiatam insignem erecta fuit, quemadmodum enixe efflagitaverant ipsius Procuratores et Oeconomi necnon Rector Vincentius De-Salemi, qui ad hunc tantum effectum iam in Pontificis manus libere parochialis beneficii resignationem emiserat. In hac porro Bulla habetur quod ex tunc natura et essentia parochialis Ecclesiae collativae esse desinat: quod inibi constituatur Praepositura *quae prima et principalis pro uno Praeposito qui curam animarum... antehac per illius Rectorem exer-*

ceri solitam, exerceret, omniaque onera supportare et Capellanos et Ministrantes eum adiuvantes, prout Rector qui pro tempore fuit ipsius Ecclesiae Sancti Georgii hactenus facere prout solitus fuit manutenere teneatur, et ipsius Ecclesiae dignitates obtinentium, ac Canonicorum caput existat... Voluit insuper laudatus Pontifex ut pro Capituli congrua sustentatione assignarentur *omnia et singula praedictae Ecclesiae S. Georgii et illi adnexorum membrorum et pertinentium fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta universa tam certa quam incerta etiam ratione exercitii curae animarum... percipi solita ac ex pede altaris provenientia...* Tandem constituit ut ex iis prae caeteris Praepositus duplicem distributionem obtineret *intuitu exercitii et oneris curae animarum illi incumbentis,* atque ut ipse tamquam praesens in choro haberetur, quoties in eiusdem animarum curae exercitio occupatus foret.

Constituta itaque hac Collegiata Ecclesia, inter huius Collegiatae Capitulum et Procuratores Ecclesiae S. Ioannis quaedam lis exardescere coepit anno 1660 circa ius concedendi cappellas et sepulturas, necnon circa ipsorum Procuratorum electiones, ac nominationem Concionatoris et Organistae. Quae vero lis amicabili transactione die 28 Octobris nunciati mox anni composita fuit. Siquidem annuente Capitulo statutum est Cappellarum et sepulchrorum concessiones fieri in posterum debere a Praeposito Capituli et Procuratoribus Ecclesiae S. Ioannis, proventus vero concessionum pro medietate Capitulo cedere debere, et pro alia medietate S. Ioannis Ecclesiae. Circa autem alias quaestiones partes declaraverunt standum esse observantiae iam existenti et sententiis in subsecuta materia editis, iuxta quas poterant *Procuratores praesentes eiusdem Ecclesiae eligere et nominare alios Procuratores futuros in dicta Ecclesia, qui tamen confirmari debent... per Praepositum praedictum dictae Matricis Ecclesiae, sicuti etiam ad Procuratores praedictos spectat eligere et nominare Praedicatorem et Organistam.*

Nec satis, sciendum enim est quod Capitulum S. Georgii exemplum imitans alterius Capituli Collegiatae S. Petri, in quibusdam solemnitatibus functiones in succursalibus Ecclesiis peragere coepit. Quando autem id evenerit et quando inter ipsum et dictae Ecclesiae Capellanos ac Procuratores ex hoc lites, violentiae et scandala orta sunt,

ignoratur. Illud unum certum est, quod a praeterlapso iam aevo eadem inutiliter sedare tam civiles quam Ecclesiasticae auctoritates variis provisionibus adlaborarunt. Res adeo excreverunt hac nostra praesertim aetate ut functiones ipsae vel civili imperante auctoritate prohibitae fuerint, vel non sine fidelium scandalo exercitae, et suasiones Episcoporum, ut eisdem per formale iudicium, vel arbitratum, aut transactionem amicabilem finis imponeretur, incassum aerem verberarunt.

In hoc rerum statu anno 1874 mense Februarii supplex S. V. O. oblatus fuit libellus Oppidanorum S. Ioannis nomine, dismembrationem dictae Ecclesiae, et eiusdem in liberam paroeciam erectionem expostulantium tam propter distantiam difficultatemque viarum ad parochialem S. Georgii accedendi, quam ob celebritatem octo millium capitum. Libellus hic de more sub die 22 dicti mensis et anni remissus fuit Episcopo pro informatione et voto audito Parocho in scriptis. Parochus at vero dismembrationi haud praebuit assensum adnotans, recurrentes scholares pene duodennes esse, et aliquas subscriptiones esse falsas; Procuratores autem S. Ioannis independentiae spiritu fretos velle Parochum sibi subditum, Ecclesiam S. Ioannis bene a quatuor Capellanis administratam esse. Hisce aliisque deductis a Parocho rationibus, atque ab ipso Episcopo perpensis hic mentem suam aperiendo nihil duxit esse innovandum. Quapropter rescriptum fuit die 24 Maii eiusdem *Non expedire.*

Sed cum novum accepissem libellum mense Iunii anni 1877, quo Administratores Ecclesiae S. Ioannis pressius ac instantius dismembrationem postulabant, et informationem votumque novo Dioecesis Netensis Ordinario commisissem, qui non modo *utilem* esse retulit sed *necessariam* dismembrationem, quemadmodum et ipsum Netensis Cathedralis Capitulum opinatum fuerat, mandavi, ut causa poneretur in folio.

Accidit sed eo tempore, ut cum hodiernus Netensis Episcopus quaestionem circa ius peragendi sacras functiones ex parte Procuratorum et Cappellanorum Ecclesiae S. Ioannis, iterum suscitari vidisset, et scandala augeri, Capitulo S. Georgii usque a mense Decembris anni 1875 scripsit, ne canonicalibus insignibus uteretur extra Ecclesiam S. Georgii exceptis sacris supplicationibus, simul insistens ut quaestio inter ipsos et Procuratores Ecclesiae S. Ioannis in via iuris

experienda foret. Capitulum autem, quod saepius ut quaestio dirimeretur institerat, Episcopum certiorem fecit per epistolam die 15 Iulii 1877, se adventante die anniversaria consecrationis Ecclesiae S. Ioannis eamdem Ecclesiam petiturum ad functiones ibi peragendas, ne possessionis suae detrimentum caperet. Huic scripto insequenti die 16 Iulii Episcopus responsum dedit quo, Capituli intentione reprobata, iubebat « inculchiamo a tutti e singoli i membri del « Reverendo Capitolo di S. Giorgio a desistere da un atto « che si qualificherebbe come sedizioso, e gli esortiamo « invece a star fermi al citato atto provisionale finchè dalla « competente autorità Ecclesiastica non sarà esso annullato « o modificato alla stregua del diritto. Se poi tutti o al« cuni del Capitolo (che non avvenga) oseranno non ostante « la nostra esplicita inibizione praticare quanto han divisato, « d'ora per allora sospendiamo *ipso facto a divinis* tutti « coloro che in tal modo opereranno, riservandosi di ag« giungere ulteriori pene canoniche e riparare immediata« mente lo scandalo dato da chi così evidentemente ha in « animo di conculcare la Vescovile Autorità ».

Hoc vix accepto epistolio Praepositus et Capitulum penes sacram Congregationem recursum habuerunt contra Ordinarium, ac institerunt « acciò vengano rivocate le « disposizioni 30 Dicembre 1875, 20 Marzo 1877 e 16 Lu« glio 1877 emanate da Monsignor Giovanni Blandini Ve« scovo di Noto in pregiudizio del Capitolo della Chiesa « Madre di San Giorgio in Modica ».

Causa ista per decretum *Uniatur* cum alia super dismembratione coniuncta, novam in subiecta materia exquisivi ab Ordinario informationem. Ipse autem ni epistolium, volumen hac super re emisit, atque ad quaestiones evellendas retulit « veggo espediente a togliere *radicitus* le « scandalose controversie tra la Chiesa S. Giorgio e quella « S. Giovanni che si proceda alla dismembrazione della « parrocchia... Se poi la sapienza della S. Congregazione « non giudicasse opportuna tale dismembrazione mi par« rebbe necessaria una esplicita dichiarazione che obbligasse « i RR. Canonici di S. Giorgio a limitare la loro azione e « giurisdizione nell'ambito del Capitolo della loro Chiesa « Collegiata perchè non s'intrudessero mai più a distur« bare i Procuratori del numeroso Clero della Chiesa « S. Giovanni, » Quibus omnibus absolutis partes ad da-

biorum concordationem processerunt. Verum cum utraque causa ad hodierna comitia disceptanda fuisset demandata, libellum misit Capituli S. Georgii patronus ad Oratorem Administratorum Ecclesiae S. Ioannis, in quo Procuratores tamquam unam eamdemque personam Capituli repraesentantes repellebat a iure standi in iudicio, quia idem legitimo actore careret. Hoc accepto libello auditoque Procuratorum Advocato, qui nihili faciens excitatam praeiudicialem quaestionem institit, ut concordata dubia proponerentur, in audientia diei 3 Martii volventis anni decretum edidi, quo *remisi instantiam ad S. Ordinem, et mandavi proponi per memoriale una cum merito in die propositionis causae.*

Itaque tres proponuntur dirimendae quaestiones: prima incidentalis super absolutione ab observantia iudicii; secunda in merito de dismembratione; tertia aeque in merito de sacris functionibus in Ecclesia S. Ioannis a Capitulo S. Georgii peragendis.

Administratorum Ecclesiae S. Ioannis defensor quintuplici argumentorum genere dismembrationem protueri contendit, quemadmodum in primo dubio exquiritur, ex distantia nempe locorum difficultateque ad Ecclesiam accedendi; ex nimia populi celebritate; ex insufficentia et pernicie Vicariorum; ex antipathia inter partes et populos, demum ex redituum Ecclesiae pinguedine. Ad distantiam autem quod attinet et difficultatem ad paroeciam accedendi recolit neminem fugere Tridentini dispositionem in *cap. 4 sess. 21 de reform.* ubi statuit Sacrosancta Synodus novas parochias, etiam invitis *rectoribus*, erigendas esse iis in locis, *in quibus ob locorum distantiam sive difficultatem parochiani sine magno incommodo ad percipienda sacramenta et divina officia audienda accedere non possunt.* Cui dispositioni iugiter inhaerens S. V. O. concessit vel confirmavit paroeciarum dismembrationes in *Lunen-Sarzanen.* 16 *Iulii* 1712, *Papien.* 10 *Aprilis* 1717, *Ianuen.* 16 *Ianuarii* 1694, *Firmana* 15 *Decembris* 1759, *Novarien. Divis. seu Dismembrationis* 20 *Septembris* 1760, *Terracinen. Dismembrat.* 30 *Iulii* 1785, *Fesulana* 4 *Iunii* 1836, *Laquedonien. Dismembrationis Paroeciae* 16 *Decembris* 1876 *confirm.* 19 *Maii* 1877. Hanc porro causam in themate verificari sustinet relata dispositione Episcopi Horosco de anno 1559 erigentis in succursalem S. Georgii Ecclesiam S. Ioannis etiam *ob distantiam ipsius Ecclesiae S. Ioannis a quarterio nominato Francavilla:* necnon infor-

matione actualis Antistitis aientis *il sito topografico della città rende difficilissimo l'accesso alla Chiesa Parrocchiale.* Quibus et testimonium addit geometrae fidem facientis quod accessus ad S. Georgii Ecclesiam ab ambitu, qui succursali subest Ecclesiae est *difficoltosissimo,* atque viae sunt *tortuose, ripide e quasi impraticabili con un' acclività del venti per cento.* Subdit imo pagum vulgo *di Frigintini* dependentem in spiritualibus a Paroecia S. Georgii distare a paroecia septem milliaria. Cum igitur colligit in themate de difficultate et asperitate viarum, deque locorum distantia ambigendum non sit, plane descendit, ob legitimarum causarum existentiam, dismembrationem esse decernendam.

Ad celebritatem populi deveniens meminit cum *Moupied. Comp. iur. can. vol.* 1 *pag.* 1244 *quod in iis parochiis in quibus numerus parochianorum ita exorbitanter adauctus est, ut ad viginti millia, triginta millia et amplius pertingat,... certe... adest causa necessaria dismembrationis et erectionis novarum parochiarum;* ea praesertim ratione quia in tanto incolarum numero nedum difficultas sed impossibilitas habetur sacramenta recipiendi. Eapropter S. V. O. non semel neque bis novarum paroeciarum erectiones demandavit ob auctum fidelium numerum, ceu videre est in *Verulana* 22 *Maii* 1784, *Aquinaten.* 17 *Martii* 1827, *Aversana* 18 *Sept.* 1824 *inter Summ. Prec.* relata. Nec secus concludendum prosequitur ex factis ipsorum Summorum Pontificum. Notum enim est quod Pius VI *fel. record.* in Apostolicis literis diei 10 Martii 1791 graviter questus est quod uni Parocho in Galliis concredita fuerit a lege civili sex millium animarum cura, etsi lex ipsa haud vicarios exclusisset, ceu adnotat *Bouix de Paroch. part.* 2 *cap.* 4 *propos.* 2 *in not.* Notum pariter est quod Leo XII in *Constit. Super universam* sola populi amplitudine motus novam paroeciarum circumscriptionem in urbe decrevit. Iamvero si dubitari nefas sit tam ex Doctorum et S. O. sententia, quam ex ipsis Pontificum exemplis parochianorum multitudinem legitimam praebere dismembrationis causam, concludit eandem in themate denegari non posse. Agitur enim de civitate quadraginta millibus incolarum frequenti, quorum, ipso Episcopo teste, *sedici mila appartengono alla matrice di S. Pietro... e le rimanenti ventiquattro migliaia alla matrice di S. Giorgio.*

Ad tertium descendens argumentum Orator praemo-

net in iure quod Capellani cum sint minus practici, et etiam minoris aestimationis, ea omnia quae parochus praestat, praestare non valent. Unde antiquorum Canonistarum opiniones affirmantes dismembrationem paroeciarum minime decernendam esse, si animarum bono per Capellanos occurri possit, lapsu temporis ab aula S. O. recessisse affirmat, qui dum satis utilitatis novae erigendae paroeciae appareat, dismembrationem decernere consuescit. Ita in *Comen.* 5 *Dec.* 1750 censuit deveniendum esse ad dismembrationem Paroeciae, tametsi Rector veteris Paroeciae retinere offerret in aliqua Ecclesia Capellanum, qui occurrere posset spiritualibus Parochianorum indigentiis. Pariter in *Nolana* 3 *Febr.* 1753 ad evitandam dismembrationem oblata fuit retentio duorum Capellanorum, cui minime S. O. adhaesit. Nec secus iudicatum fuit in *Ianuen. Dismembrationis Paroeciae diei* 25 *Ianuarii* 1879. Ratio vero qua H. S. O. hanc amplexus est sententiam uti magis consonam Tridentinae dispositioni *sess.* 21 *cap.* 4 in eo sita est, quod proprius et titularis Parochus melius oves suas agnoscit et tuetur, quam Capellanus, qui mercenarius cum sit, nec omnia fidelibus praestat, nec tamquam suis, uti animadvertit *Ursaya Discep. Eccles. tom.* 1 *part.* 1 *discept.* 14 *num.* 92., *Van Espen. Ius eccles. univ. part.* 2 *sect.* 2 *tit.* 1 *cap.* 3 *num.* 30, *Rota decis.* 78 *n.* 55 *cor. Ansaldo.*

Imo subdit Paroeciarum dismembrationem adhuc aliquando a S. O. decretam esse, licet simplex Sacerdos semper promptus esset habitantibus subveniendi, quemadmodum decisum fuisse in *Ianuen.* 16 *Ian.* 1694, *Puteolana Erection. Paroch.* 9 *Iulii* 1701 refert *Ursaya loc. cit. discept.* 14 *n.* 72; insuper nec deest exemplum in quo Ecclesiae fuerint in paroecias restitutae, quae antea fuerant in succursales conversae, veluti constat ex resolutione in causa *Castri Maris diei* 17 *Decembris* 1825 *inter Summ. Prec.* relata. Ex quibus omnibus descendere tenet deputationem Capellanorum insufficientem esse ad animarum curae consulendum; maxime si amovibiles ad nutum sint, prouti evinci posset tam ex Tridentino demandante in *sess.* 24 *cap.* 13 unicuique paroeciae assignandum perpetuum rectorem, quam ex *Constit. Ad exequendum* S. Pii V. vetante amovibiles constitui vicarios, atque ex doctrina ipsius S. Congregationis in *Praenestina Administrat. Sacram.* 22 *Febr.* 1823 §. *Plura, Cingulana Iur. Parochial.* 14 *Iun.* 1823 §. *Tridentina.*

In facto autem, adnotato quod a Sacerdotibus Motucae, Capellani officium tamquam vile et despectum habetur, ita ut, ipso Antistite teste, huic officio assumantur Sacerdotes *che mal si potrebbero approvare alla Confessione de' fedeli*, subdit Capellanos in themate non modo insufficientes sed et damnosos esse. Insufficientes tam quia in quarterio novem millium incolarum ex quatuor Capellanis qui S. Ioannis Ecclesiae deserviunt, tres, ceu refert Vicarius Foraneus Motucae, *non sono abilitati alle confessioni delle donne*, quam quia plures cives Paschatis tempore *restano senza precetto pasquale per manco di confessori*, uti fidem facit Gubernator pii sodalitii a Dolorum Matre dicti. Damnosi, quia Administratoribus S. Ioannis testibus, memorato Gubernatore, et ipso Vicario foraneo, diebus dominicis neque christianam doctrinam explanant, neque verbo Dei christianum pascunt gregem, imo et tempore pestis de anno 1867 nuncium mittentes officio duo ex ipsis valedixerunt gregi. Nec desunt municipum querelae contra alterum ex Capellanis renuentem humo tradere defunctum; nec ipsius Episcopi La-Vecchia de anno 1875, et actualis de anno 1877, et 1878 questus eo quia fideles quidam cesserunt e vita christianis auxiliis destituti, ob Capellanorum incuriam. Damnosi insuper ob rixas quae inter presbyteros S. Ioannis et Parochos ac Canonicos S. Georgii cum populi scandalo excitatae fuerunt et excitantur, prouti antiqua recentioraque monumenta ostendunt, quae manifestant vel Ordinarium designare debuisse sacerdotem, qui perageret sacras functiones, ne lites, iurgia rixaeque evenirent, vel eamdem ob causam per ultra saeculum paroeciam collatam non fuisse, atque inutiliter Curiam ad hoc emisisse decreta; vel ab ipsa civili potestate sacras functiones prohibitas fuisse de anno 1861. Cum igitur colligit non modo insufficientes sint in themate Capellani, sed etiam damnosi, cumque aliud remedium praesto esse non possit, quam dismembrationem decernere, ad ipsam deveniendum, prouti et Netense Capitulum Cathedrale et ipse exoptat Episcopus, necnon ipsi fideles eam non modo utilem, sed necessariam unanimi choro enunciantes.

Hanc autem conclusionem magis magisque obfirmare ulterius conatur Orator non modo quia ex dictis constat de magna difficultate percipiendi Sacramenta, quae iusta causa est novam erigendi paroeciam, ceu notat *Fagnan.* in *cap. Ad*

audientiam De Eccles. aedific. num. 19, verum etiam de antipathia inter Capitulares S. Georgii et Administratores dictae Ecclesiae S. Ioannis, necnon de eadem antipathia inter duos populos, prouti Administratores ipsi testantur. Antipathiam autem legitimam causam esse dismembrationem decernendi evincit auctoritate Cardinalis *De Luca in discurs.* 16 *ad sess.*, 21 *cap.* 4 *Conc. Trid.* atque S. V. O. qui ob rixarum timorem dismembrationem decrevit in *Lunen.-Sarzanen. Dismembrationis* 12 *Iulii* 1817, *Ventimilien. Dismembrationis* 8 *Augusti* 1818 ceu docet *Placentina Paroeciae Dismembrationis* 20 *Novembr.* 1819 §. *Verum.*

Fortius tandem ad dismembrationem deveniendum esse urget, si redituum S. Ioannis abundantia spectetur, quae ex se iustam praebet dismembrationis causam. In capite enim 3. *de Eccles. aedific.* praecipit Alexander III ut, ubi Ecclesia reditibus abundat, *Ecclesiam ibi aedifices et in ea sacerdotem, sublato appellationis obstaculo... instituas.* Quo autem in loco notant *Reiffenstuel, Barbosa,* aliique quod: *Abundantia redituum dicitur causa sufficiens dismembrationis:* ita *Monacelli form. legal. practic. tit.* 2 *adnot. ad form.* 3 *num.* 2. Sed in casu de reditultim Ecclesiae S. Ioannis abundantia ambigi nequit. Siquidem annui reditus praefatae Ecclesiae summam constituunt libellarum 5737:21 quibus si addas redditus pii operis vulgo *Carbonaro* in libellis 1847: 41 summam habebis libellarum 7584: 6. At, iuxta concordatum ab utriusque Siciliae Rege cum Apostolica Sede inito, congrua pro Parocho minor esse non debet ducatorum biscentum, libellarum nempe 850, quas Ecclesiae administratio ipso Episcopo id approbante solvere spopondit ab omni onere immunes. Cum igitur constare ait et de redituum Ecclesiae abundantia, licet reditus certi pro Parochi congrua detracti fuerint, concludit Orator aliam subesse legitimam dismembrationis causam, eamdemque proinde decernendam esse, dum ipsa in animarum salutem redundat, quae suprema lex est.

Quin aliquid relevet contradictio Rectoris Ecclesiae S. Georgii, ipsa enim uti rationis expers respuenda est. Idque ostendere curat ex eo quod ipse resistentiam opponit erectioni novae paroeciae, qua litibus imponitur finis, et melius animarum saluti consulitur; dum econtra nullam redituum imminutionem ex nova erectione persentit. Explorati enim facti esse tuetur ipsos proventus ab

immemorabili Capellanorum favore cessos fuisse, prouti ipsi Capellani et Parochus obtestantur.

Post haec secundum aggrediens dubium Orator propugnat Collegiales S. Georgii nullum ius habere peragendi sacras functiones in Ecclesia S. Ioannis. Hoc siquidem ius sibi tantum vindicare Capitulum posse sustinet ex habitualitate curae animarum, quam putat penes ipsum collegium manere. Iamvero hanc rationem falso laborare supposito tenet. Neminem enim fugit devium a iure non esse Ecclesiam quamdam parochialem in Collegiatam erigi posse, et curam *remanere penes Parochum, prout antea erat, non autem in collegium vel dignitatem transferri* teste *Ferraris Biblioth. Eccles. Verb. Collegiata num.* 75. Hoc autem in themate evenisse propugnat. Spectata enim Bulla erectionis Collegiatae S. Georgii ab Urbano VIII edita, nullum verbum reperiri ait de habituali cura, dum Pontifex expresse demandat *Rectorem titularem... omnia onera parochialia supportare, et Cappellanos et ministrantes eum adiuvantes prout Rector qui pro tempore fuit ipsius Ecclesiae S. Georgii haetenus facere prout solitus fuit manutenere teneatur*. Unde ipse Pirrus Corradus hanc Bullam commendans in sua *prax. benef. lib. 2 cap. 2 num. 42* docet, quod praedicta Ecclesia in Collegiatam erecta *adhuc remanet curata: cum in ea creetur Praepositus tamquam ipsius Collegii caput, apud quem sit omnis iurisdictio et omnis cura; quae alias illi Collegio competeret*. Quod fortius tenendum pergit ex eo quod ubi cura habitualis capitulo conceditur, cura actualis demandatur Vicario perpetuo; quemadmodum, exemplo ducto a parochiali Ecclesia S. Mariae in Via Lata, in qua dum S. Pius V. constitui mandavit Vicarium perpetuum, voluit ex hoc penes Capitulum statuere habitualem curam, tradit *Ferraris loc. cit. verb. Vic. Paroch. n.* 29. Sed in Collegiata S. Georgii actualis cura est penes Praepositum, qui insuper est Parochus. Colligit ergo curam habitualem inibi non esse penes Collegium, proindeque ipsi nullum ius competere sacras peragendi functiones in succursali S. Ioannis.

Dato parumper, at minime concesso, quod habitualis cura penes Capitulum sit, subdit tamen Orator nullimode Capitulum se immiscere posse in sacris functionibus peragendis. Cum enim teste *Barbosa De officio et potestate Parochi p. 1 cap. 1 num. 56 seqq.* et S. H. O.

in *Faventina Coadiutoriae*. 22 *Ian.* 1763 Capitulum, penes quod habitualis animarum cura residet, nequeat se immiscere in ipsius curae exercitio, cumque ius functiones peragendi in succursalibus Ecclesiis Parocho tantum competere posset, quatenus ei actualis animarum cura sit demandata, descendere tenet Capitulum neque ipsum inibi functiones peragere valere, ne parochialia iura invaderet in Vicarios amovibiles translata. Unde S. Congregatio in *Baren.* 26 *Iunii* 1756 perquisita — *An supra enunciati actus seu functiones quatenus spectent privative ad Archipresbyterum* etc. *eo absente vel impedito expleri valeant ab eius substituto etiam non Canonico in casu* — respondit *Affirmative.* Nil mirum perinde prosequitur, si in themate Episcopi demandarunt loco Parochi impediti aut renuentis, functiones a Capellano hebdomadario peragendas esse, et minime a Canonicis, quemadmodum perlegere datum est in pluribus dispositionibus Episcoporum in ipsius Summario relatis. Quibus igitur ponderatis pleno veluti alveo fluere contendit nullum ius competere Capitulo functiones exercendi in succursali S. Ioannis. Quin praesidium velit captari ex possessione, quia eadem pacifica minime fuit, dum constat aliquando Capitulum easdem peregisse, sed *con violenza, scassinando le porte dell'organo e del campanile.*

Argumentis a defensore Administratorum Ecclesiae S. Ioannis exhibitis pro dismembratione Paroeciae et ipse innititur defensor Sodalitatis a Septem Doloribus nuncupata; qui ulterius pro dismembratione instat: 1. ut periculum avertatur amittendi ipsius Ecclesiae bona, quae secus de facili in manus caderent gubernii: 2. ut frustraneae evadant quorumdam perversorum hominum sollicitationes, qui habitatores succursalis Ecclesiae incessanter instigare non desinunt, ut parochum sibi proprium voto populari constituant; ut demum 3. ipsius populi preces instantissime paroeciae erectionem efflagitantis, eodem benigno excipiantur favore, quo in plurimis resolutionibus a S. V. O. exceptae fuerunt, dismembrationem veteris et novae paroeciae erectionem demandante *in maius populi commodum*, quemadmodum testantur resolutiones in *Papien.* 10 *Aprilis* 1717, *Firmana* 15 *Decembris* 1759, *Ventimilien.* 8 *Augusti* 1818, *Fesulana* 4 *Iunii* 1836, *Aquinaten. seu Sovrana* 29 *Ianuarii* 1848.

Animadverso insuper, quod Capitulo S. Georgii nullum demandatum fuit animarum curae exercitium ex ipsa

erectionis Bulla, ut ipsum excludat a iure sacras peragendi functiones in succursali Ecclesia, veluti Administratorum defensor argumentatus est, subdit Sodalitii patronus hoc ius eidem competere non posse neque de iure communi, neque de iure speciali vel privilegiato. Non ex iure communi, quia ex facto existentiae alicuius Ecclesiae intra paroeciae limites nulla valet subiectio redargui. Quamobrem parochus ipse, parochialibus functionibus exceptis, nullum potest praetendere ius peragendi functiones in Ecclesiis intra suae paroeciae limites sitis. Quod definivit S. R. C. in decretis Urbis et Orbis anni 1703. Propositis enim tunc dubiis 3. *An Confraternitates erectae in aliis Ecclesiis publicis habeant quoad easdem functiones ecclesiasticas aliquam dependentiam a Parocho intra cuius parochiae limites sitae sunt Ecclesiae?* 4. *An Confraternitates erectae in Oratoriis tum publicis tum privatis, seiunctis ab Ecclesiis parochialibus, quoad dictas functiones ecclesiasticas habeant dictam dependentiam a Parocho?* 11. *An expositio quadraginta horarum et benedictio quae fit super populo sit de dictis iuribus mere parochialibus?* S. C. suprascripta dubia sequenti censuit dimittenda responso *Negative*. Cum igitur neque parocho competit ius peragendi functiones, nisi parochiales sint, in Ecclesiis intra paroeciae fines existentibus; potiori ratione dicendum sustinet de Canonicis, qui parochi non sunt, quique invadere vellent iura Sodalitii B.M.V., quod per proprium Capellanum libere functiones celebrabat, antequam Ecclesia S. Ioannis succursalis evaderet et quidem paroeciae, minime vero Collegiatae.

Non tandem ex iure speciali, vel privilegiato nam 1. illud non probant et 2. ex Bulla erectionis ius solummodo Canonicis donatum fuit, ut Cappa et Roccheto uterentur in sola Ecclesia S. Georgii, et eiusdem processionibus, non vero in succursalibus Ecclesiis. Privilegia porro, quum sint strictae interpretationis *Fagnan. in Cap. Cum Capella n.* 2 *de Privil.*, nequeunt de uno ad alium casum trahi. Ad rem S. R. C. die 4 *Maii* 1857.—*Quodcumque privilegium ad augendum insignium quarumdam Ecclesiarum splendorem ab Apostolica Sede Dignitatibus, Canonicis... concessum, utpote laesivum Dignitati Episcopali de iure strictissime est interpretandum. Quamobrem nil aliud concessum intelligendum est, nisi illud quod est speciatim expressum, neque ex indulto uno alterove privilegio trahi potest consequentia ad*

alia, quae singillatim descripta non fuerint. Cum igitur Canonicis neque ex iure communi, neque speciali vel privilegiato ius competat sacras exercendi functiones in succursali S. Ioannis, eorumdem ad hoc exhibitas preces reiiciendas esse concludit.

Ex parte Capituli S. Georgii sola quaestio pertractatur de carentia legitimae personae standi in iudicio qua S. Ioannis Administratores inficiuntur, quaeque uti narravimus fuit proposita per incidentalem libellum. Praemisso itaque iuris axiomate quod scilicet *interesse non habens audiendus non est*, iuxta *De Luca de Donat. disc.* 2 *n.* 19; observat defensor quod preces S. V. O. exhibitae pro paroeciae dismembratione conditae sunt nomine Administratorum Ecclesiae S. Ioannis, nullaque alia extant subscriptione munitae. Quapropter tenendum esse inquit, Administratoris munus exercentes *qua tales* pro dismembratione institisse. Inspecta at vero eorumdem qualitate patet eosdem ab ipso iudicii limine repellendos, cum se nonnisi quam in temporalis administratione bonorum ingerere possint. Quod autem res ita se habeat manifesto erumpit ex decreto edito ab Ordinario die 6 Februarii anni 1874 quo inter alia disposuit: « È poi sola spettanza dei Procura« tori delle Chiese Parrocchiali impegnarsi per l'esatta « amministrazione delle rendite, nel che, oltre al doversi « reggere giusta le prescrizioni dei nostri predecessori « date all'uopo, debbono sottomettere precipuamente il « bilancio all'ispezione del Preposito Parroco, avendo que« sto intima connessione colle funzioni che dovranno ce« lebrarsi ».

Ex his planum esse, ait Administratorum (qui etiam Oeconomi vocantur) officium ad nudam redituum administrationem coarctari. In spiritualibus administrationem habitualem Capitulo, actualem vero Praeposito spectari pergit, ceu apparet ex eodem decreto. « Appartiene al Preposito nella « qualità di Parroco l'amministrazione del Battesimo e di « tutti gli altri sagramenti che sono di competenza par« rocchiale, con tutti gli altri diritti parrocchiali, restan« do in facoltà dello stesso il potere nominare dei Cap« pellani da approvarsi dall'autorità del Diocesano che lo « aiutano nell'esercizio della cura delle anime ».

Administratores porro habendos esse tamquam extraneos, quibus nullum interesse competit, quoad ea quae

paroeciam respiciunt. Revera, subdit aut Administratores agunt qua fideles vel nomine fidelium Ecclesiae S. Ioannis aut qua Procuratores. Primum caput excludi quia in libello non loquuntur proprio nomine vel nomine fidelium, sed qua Administratores. Secundum autem caput iam fuisse explosum, cum demonstratum est quid sub Administratorum qualitate contineatur.

Sed aliud succurrere gravius argumentum ex eo desumptum quod qui hodie se Administratores dicunt, tales reapse non sunt. Quod ut ostendat praemittit: ex consuetudine anno 1660 iam vigente Procuratores consuevisse quovis triennio successores suos eligere a Praeposito confirmandos, veluti eruitur ex transactione inter Capitulum S. Georgii et Procuratores S. Ioannis inita die 28 Octobris anni 1660. Sed anno 1877 ita res processisse ait, ut die 10 mensis Maii qui ab officio desistebant Procuratores, successores eligerent actaeque electioni certiorem redderent Praepositum, quin ab eo confirmationem requirerent. Nec satis. Nam mense Augusti ob renunciationem duorum ex electis, unum superstitem Sacerdotem Horatium Ragusa, alios duos Procuratores sibi adiecisse, narrat actamque novam electionem Praeposito nunciasse nulla ab eo confirmatione requisita. Ob huiusmodi procedendi modum protestatum bis fuisse Praepositum subdit, ac nullitate infectos omnes actus a Procuratoribus hisce elicitos declarasse. Quapropter cum dubitandum non sit de iure Praepositi ad Oeconomos seu Procuratores confirmandos, utpote intrusos et quacumque administrandi facultate destitutos eos habendos esse urget, qui nulla obtenta Praepositi confirmatione immo ad normam iuris in mora positi, in officio perseverant. Magis magisque ergo constare concludit de non legitima Administratorum persona pro dismembratione postulanda.

De iure Capituli ad obsistendum Procuratorum praetensionibus nihil esse innuendum affirmat, siquidem agitur de parochialitate quae totum tangit Capitulum, sive ex iuribus Ecclesiae Matris erga suffraganeam, quibus per dismembrationem gravissimum immineret praesidium; sive ex iuribus Canonicorum ad proventus ab Ecclesiis suffraganeis percipiendos ad tramites Bullae erectionis Collegiatae qua statutum est « omnia et singula praedictae Ec-
« clesiae Sancti Georgii et illi adnexorum membrorum

« et pertinentium fructus, reditus, proventus, iura, ob-
« ventiones et emolumenta universa tam certa quam in-
« certa etiam ratione exercitii curae animarum lucrifieri
« et percipi solita . . . perpetuo applices et appropries ».

De quaestione, circa ius peragendi sacras functiones, nihil se addere debere inquit, quia cum Capitulum actoris partes susceperit contra Ordinarium prohibentem iuris exercitium immemorabili possessione munitum, sibi pro lubitu liberum sit, quando placuerit, petere ut proponatur. Itaque ad dubia rescribi postulat « Capitulum « S. Georgii absolvendum esse ab observantia iudicii super dismembratione, salvo eidem iure prout libuerit, « quaestionem coram S. Ordine proponendi super iure « peragendi sacras functiones ».

Verumtamen si EE. VV. in contrariam abeant sententiam instanter causae dilationem expostulat, ut Capituli iura protueri possit, simulque documenta, quibus ipsum innititur, fidelibus EE. VV. oculis subiicere.

Hisce utrinque expositis quid in themate sentiendum, definient EE. PP. quibus pro meo munere diluenda remitto concordata

DUBIA

I. *An sit locus dismembrationi paroeciae in casu.*

II. *An constet de iure peragendi sacras functiones in Ecclesia S. Ioannis Baptistae in casu.*

Ad I. Affirmative.

Ad II. Sacras functiones a Capitulo peragendas non esse.

Sess. 21 et 22 cap. 3 de Reform.

NOVARIEN. PRAECEDENTIAE. = A remotissimis usque temporibus in civitate Intri Novariensis Dioecesis Collegiata extat Ecclesia D. Victori dicata, cui Praepositus et quinque Canonici, qui etiam Parochi sunt, deserviunt. Erectio verum tam Canonicatuum quam Praepositurae quae *inibi Dignitas principalis et unica existit,* in tenebris delitescit. Illud tamen certum est quod non raro Dignitas isthaec

alicui ex ipsis Collegiatae Ecclesiae Canonicis collata fuit cum proprio canonicatu et praebenda absque Apostolica dispensatione ceu aperte perhibent acta, necnon Bullae collationis a Dataria Apostolica evulgatae.

Praeter exercitium sacrarum functionum in solemnioribus anni festivitatibus, Praeposito onus incumbit cum iisdem tum nonnullis aliis diebus, quae plenae vel semiplenae Praepositurae dicuntur, choro interveniendi; eoque tempore ius eidem competit primum stallum Hebdomadarii loco occupandi. Iam ab anno 1769 oborto dissidio inter Canonicum Praepositum Cravazza et Canonicos dictae Collegiatae etiam circa stallum eidem in choro debitum tam in actu possessionis quam in aliis omnibus functionibus quibuscumque , atque quaestione ad Episcopum Bertone delata, hic partibus auditis respondere arbitratus est *assignandum Praeposito stallum medium tam in possessione capienda, quam in omnibus successive functionibus.* Cui Episcopi opinioni non modo delegati a Capitulo subscripserunt, verum etiam eamdem confirmarunt Canonici anno 1841 amicabili inita conventione cum Canonico Diana tunc in Praepositum electo; cum hac tamen conditione *a meno che venga una decisione contraria dalla Santa Sede.* Verumtamen haud pacifice res in posterum processerunt; quandoquidem constat quaestionem hanc rursus excitatam fuisse anno 1845 atque a Canonico Praeposito Diana ad tribunal quod vulgo audit *Senato di Casale* delatam, quodque tunc temporis ex conventione inita cum Subalpino gubernio auctorante Benedicto XIV fel. rec. competens erat super possessorio causarum statu definiendo. Quaestione igitur discussa praefatum tribunal sub die 5 Aprilis 1845 sequentem protulit sententiam « *Ha dichiarato e dichiara doversi mantenere, come mantiene il Prevosto Diana nel possesso di avere uno stallo distinto in mezzo al Coro* ».

Posteriori tempore anno nempe 1855 cum Canonicus Iulius Guglielmetti ad Praepositurae dignitatem fuerit evectus, ope actus capitularis diei 15 Martii eiusdem anni ipso praesente et acceptante Praeposito statutum fuit ut primum stallum in choro a Praeposito occupari non posset nisi in iis diebus, in quibus ad Praepositum spectasset functiones peragere, in reliquis vero cedendum esset *al solo principale funzionante sia Prevosto o Canonico Eddomadario, o chi per essi ne farà le veci in caso di assenza, malat-*

tia etc. E vivis at vero elato Iulio Guglielmetti de mense Maio 1876, per Apostolicas Bullas diei 27 Martii 1877 Praepositurae dignitas, cuius bona iam a fisco praerepta fuerant in vim legis 29 Maii 1855, collata fuit Canonico Parocho Antonio Pirinoli, qui infra annum in Archigymnasio Taurinensi lauream doctoralem in Sacra Theologia, ita praescribente Bulla, consequutus fuit. Hic autem aegre ferens distinctionem manendi in primo stallo tantummodo in praecipuis quibusdam functionibus die 11 Maii 1877 recursum habuit ad Novariensem Antistitem exponens « come al-« l'appoggio di un atto Capitolare fattosi nel 1855 si vor-« rebbe allo stesso contestare il pieno diritto del primo « stallo in coro, diritto consecrato da una consuetudine « immemorabile . . . Piaccia pertanto all'Eccellenza Vo-« stra provvedere a seconda del caso o quanto meno sug-« gerire la linea di condotta a tenersi dal supplicante « per sua tranquillità e giustificazione nel tratto succes-« sivo ».

Quibus ab Episcopo acceptis precibus sub die 18 memorati mensis et anni sequens emisit decretum: « Dichia-« riamo competere al Canonico Prevosto della Collegiata « d'Intra D. Antonio Pirinoli lo stallo distinto in coro « ad esclusione d'ogni altro, e doversi il medesimo man-« tenere nel possesso d'ivi sedere tanto nei giorni detti « di Prevostura, quanto negli altri, nei quali funzioni il « Capitolo ». Contra hoc decretum illico reclamarunt tres ex quatuor dictae Collegiatae Canonici revocationem eiusdem postulantes; sed reiectis a Curia eorum precibus, S. V. O. suppliciter adierunt die 6 Februarii 1878 benigne expostulantes ut excitatae rursus controversiae tandem aliquando finis imponeretur.

Episcopus, cui statim de more supplex hic remissus fuit libellus pro informatione et voto auditis etiam interesse habentibus, sub die 23 insequentis Martii transmissis nonnullis documentis a Praeposito exhibitis adprecatur et ipse ut S. O. V. « possa mettere un termine alle liti ed « insieme provvedere al decoro ed al regolare andamento « della Collegiata colla conferma dell'unica sua Dignità e « del Canonico Prevosto come Capo del Capitolo ». Quibus acceptis, actisque completis, causam hodie mane dirimendam constitui, concordato a defensoribus partium dubio, quod in calce conscribitur. Nunc itaque allegationes

ab iisdem oblatas, uti mei muneris est per summa capita exponam.

Capituli defensor in tres partes allegationem suam dispescit; in prima quidem contendit controversum Episcopi decretum non sustineri in *petitorio*; in altera propugnat, nec etiam idipsum sustineri in possessorio; in tertia demum nullum esse *ipso iure* affirmat. Primum itaque Orationis suae caput aggrediens praemittit iudicium, petitorium, quod iuxta *Menoch. De recuper. possess. praelud. n.* 8 locum habet *cum de rei proprietate est quaestio,* nunc primum super hac controversia institui. Praepositus enim literis diei 11 Maii 1877 provisionem provocavit ab Episcopo, quia *si vorrebbe allo stesso contestare il pieno diritto del primo stallo in coro.* Episcopus autem post septem tantummodo dierum spatium deficientibus adversae partis citatione, contestatione litis, necnon defensione et conclusione in causa decretum ultra petita protulit, petitorium cum possessorio coniungendo « *competere al Canonico Prevosto della Collegiata . . . lo stallo distinto in coro ad esclusione di ogni altro e doversi il medesimo mantenere nel possesso d'ivi sedere.*

Hisce ita praemonitis contendit Orator quod ex iuris communis dispositione dignitates non secus sunt de Capitulo, quam ut quasdam solemniores functiones in maioribus anni festivitatibus peragant, ita ut nedum minime teneantur residentiae legibus et Conventualium turno *De Luca discurs.* 4 *n.* 5 *De Canon. et Dignit. Rot. Decis.* 708 *part.* 1 *rec.* imo etiam neque quotidianas distributiones lucrantur, neque vocem habent in Capitulo, nec stallum in choro; affabre mox recitatus Auctor *loc. cit. Disc.* 1 *num.* 6. – ibi – « De « iure ac cessante particulari consuetudine Dignitates non « dicuntur de Capitulo... tum etiam quia illae sunt exem- « ptae a turno Missarum conventualium, aliarumque quo- « tidianarum provisionum sacerdotalium solis Canonicis « incumbentium, cum Dignitatibus distributae sint aliquae « maiores solemnitates aliaeque functiones ». Duplicem enim Dignitatum speciem agnovit Concilium Tridentinum; alteram nempe aliquid commune cum Capitulo habentem, ut in *cap.* 3 *sess.* 21 *de Reform.,* et alteram econtra quae nihil cum eo habet commune, ut in *sess.* 22 *eod. cap. de Reform.*; ita notat *Fagnan.* in *Cap. Quia nonnulli De Cleric. non resident. n.* 12 ubi habet – ibi – « Concilium duo genera Di-

« gnitatum et Officiorum in Collegiatis Ecclesiis distinxit, « quod etiam animadvertit Navarrus in *Manual. tom.* 37. « Unum earum Dignitatum, quae participant de redditibus « mensae Capitularis, de quibus intelligitur *cap.* 3 *sess.* 21, « alterum earum, quae proprios et separatos habent red- « ditus, et nihil habent commune cum Capitulo; quas « etiam agnovit ius commune . . . et non obligant, ad « residentiam . . . possuntque retineri cum aliis benefi- « ciis requirentibus residentiam . . . et de his intelligi- « tur *cap.* 3 *sess.* 22. »

Ecclesiae porro Intrensis Dignitatem inter has postremas recensendam esse tuetur Orator, quum hoc sit frequentissimum in Novariensi Dioecesi. Siquidem prae caeteris exemplum extat nedum in Praepositura perinsignis Collegiatae Ecclesiae Sancti Gaudentii in suburbiis Civitatis Novariae, verum etiam in ipsa Ecclesia Cathedrali ubi tres adsunt dignitates Archidiaconatus nempe, Archipresbyteratus et Praepositura; quae omnes non sunt de Capitulo, nec habent stallum in choro, sed tantum praecedunt Canonicis in peragendis quibusdam functionibus quibus oneratae sunt Dignitates, ceu aperte perhibent sacrae Visitationes Iulii Mariae Odescalchi Novariensis Antistitis diei 20 Aprilis 1662, Ioannis Baptistae Visconti 20 Novembris 1693 et Episcopi Ignatii 1 Iulii 1753. Praestat huius postremi verba referre « Praeter Archipresbyterum duae aliae sunt dignitates Prae- « positus et Archidiaconus, qui tamen neque ad chori re- « sidentiam tenentur, nec participant de distributionibus, « nec stallum in choro habent, sed tantum in functionibus « Canonicis praecedunt ».

Quod autem idipsum censendum sit de Praepositura Collegiatae Intri pluribus argumentis ostendere nititur defensio; et 1° quia ipsa proprios et separatos habet redditus, 2° quia nihil commune habet cum Capitulo, 3° quia ad residentiam non obligat, ita ut extraneis quoque conferatur, 4° quia voce activa in Capitulo non gaudet, 5° quia cura animarum destituta manet, quae ceteris canonicalibus adnexa est, atque iisdem ipsa dignitas potest cumulari, 6° quia quotidianas haud percipit distributiones, nisi Praepositus sit insimul Canonicus, 7° tandem quia quasdam dumtaxat peragere debet functiones in diebus nempe *Praepositurae plenae aut semiplenae* nuncupatis, in quibus unice

ad Chorum Praepositus accedere tenetur, ac in iis tantum primum stallum in choro occupare.

Quoad primum recolit Orator Praeposituram S. Victoris Intri ab initio fuisse beneficium simplex, ad Personatum postea evectum, olim liberae collationis Episcopi, modo tamen Datariae Apostolicae post Episcopi praesentationem. Satagit id adstruere ex relatione status Ecclesiae Novariensis diei 28 Februarii 1824 a Cardinali Episcopo Morozzo ad S. H. O. transmissa, in qua habetur: « Intrensis Col« legiata ex quinque Canonicis, iisdemque Parochis com« ponitur nulla Dignitate modo interposita. Quidquid enim « Italici Regni tempestate habebat stipendii Dignitas, pa« rum id quidem, sibi viritim Canonici partiti sunt. » Et quum S. O. exquisierit an recte id egerint Canonici freti nempe competenti facultate, retulit Emus Antistes *quod omnia recte processerint* et quod *praebenda Dignitatis, a canonicatu etiam veluti Personatus separari potest.*

Duo insuper affert Orator exempla collatarum possessionum ad id probandum quod in secundo loco statuerat, idest Praeposituram nihil habere commune cum Capitulo. De anno namque 1763 Canonicatus S. Petri per concursum, et Praepositura sine concursu concessa fuit, uni eidemque personae Francisci Cravatia; et nihilominus canonicatus capitulariter, et praepositurae possessio privato modo collata fuit. Quandoquidem in instrumento possessionis Canonicatus legitur *data fuit ei possessio eum sedere faciendo in Sacristia ultimo loco iuxta stylum . . . et assignatum fuit stallum sextum in Choro . . . nemine reclamante;* in instrumento vero possessionis Praepositurae habetur *data fuit possessio dictae Praepositurae sine tamen stallo in choro, voce in Capitulo et osculo pacis, cum non sit de gremio Capituli nemine contradicente.* Idipsum desumitur ex instrumento possessionis Praepositurae captae a Canonico Parocho Guglielmetti anno 1855, ex quo colligitur, possessionem non capitulariter datam fuisse, sed privato modo, atque stallo eumdem possessionem capientem insedisse « colla « espressa condizione rispetto all'anzidetto stallo, che que« sto non potrà da esso Signor Canonico Curato Gugliel« metti, qual provvisto di detta Prepositura essere occu« pato se non uniformemente al disposto dell'atto capito« lare del 15 corrente mese »; idest, ceu praesefert Capitularis deliberatio ipso Guglielmetti praesente et acce-

ptante, Praepositura esse debeat, *senza cura di anime e voce in Capitolo*, primum vero stallum in choro esse debeat *assegnato al Canonico Parroco Eddomadario o funzionante ... avendolo a ritenere il Prevosto nelle sole sue feste o funzioni Prepositurali . . . . si è di unanime e generale accordo proposto, approvato e decretato per legge speciale di questa Collegiata a scanso di liti ulteriori, e per l'amore di pace che il suddetto stallo d'ora innanzi sia ceduto al solo principale funzionante sia prevosto o Canonico Eddomadario, o chi per essi ne farà le veci . . .* Quae deliberatio maximi est facienda momenti, cum in capitularibus constitutionibus ab Episcopo bina vice approbatis sub *cap.* 32. statuatur lites inter Canonicos exortas per ipsosmet examinandas discutiendas, atque *alio opportuno remedio* terminandas esse. Accedit observantia quae monet Praepositum qua talem numquam in possessionem *capitulariter* admissum fuisse, ceu tres deponunt testes in suo Summario relati.

Praepositum autem ad legem residentiae non teneri tertio loco probare conatur Defensor tam ex eo quod Praepositura aliquando collata fuit cuidam Sacerdoti in insula S. Iulii domicilium habenti, atque Intrum petenti in diebus Praepositurae tantum; quam ex eo quod Praepositurae beneficium uniri solet beneficio canonicali in una eademque Canonici Parochi persona, quod fieri non posset si ipsum residentiale esset et minime simplex, dum neminem latet beneficiorum residentialium possessionem secumferre eorumdem incompatibilitatem. Ipsum insuper voce in Capitulo destitui affirmat, prouti innuit in quarto loco, tum ex possessionis actu de anno 1763 ubi aperte declaratur possessionem Praepositurae datam fuisse *sine tamen stallo in choro sine voce in Capitulo... nemine contradicente,* tum ex actu Capitulari diei 15 Martii 1855, in quo perlegere datum est Praeposituram esse *senza cura di anime e voce in Capitulo.* Nihil autem relevare tenet acta Visitationis de anno 1617, in quibus enarratur Praepositum vocem habere in Capitulo; quoniam ipsa acta minime exhibentur: et quamvis exhiberentur, non agerent nisi de Praeposito *Petero* qui erat Canonicus Parochus, et qua talis habebat vocem in Capitulo.

Item quod quinto loco declarat videlicet, Praeposituram non habere curam animarum, imo Canonicatui cum cura adiungi posse, hoc ostendit 1. ex relatione Status Ecclesiae

de anno 1753 ubi neque verbum habetur neque vola de cura Praeposito demandata, sed solum – *respective Canonicorum titulis adnexa est cura animarum* – 2. ex protestatione Praepositi Lamberti anno 1797 emissa contra regium rescriptum Oeconomatus collationis Bullae datum, in quo enunciabatur Praeposituram esse cum cura animarum; in illa enim protestatione legitur « *Non essendo in realtà la Cura d'anime annessa alla prebenda prepositorale... protesto...* 3. Ex Statutis Capitularibus quae in *cap.* 18 praecipiunt *ut qui est hebdomadarius in choro, curam animarum exerceat in oppido eiusque territorio.* In *cap.* 19 atvero sex nominantur hebdomadarii, quot erant antiquitus Canonici Parochi, et nulla mentio de Praeposito habetur, qui proinde nullo tempore ad concursum ex Tridentini lege peragendum compulsus fuit; neque proinde matrimonia benedicit, ceu ostendunt verba Conventionis de anno 1841 « *che l'assistenza de' matrimonii abbia a spettare a quello fra i Canonici Curati che ha iniziato. . . per non essere alla Prepositura annessa la cura di anime nè alcuna giurisdizione parrocchiale* ». Quare Praepositus neque tenetur ad applicationem Missae pro populo, neque praedicationem verbi Dei, aut sacramentorum administrationem, vel adsistentiam infirmis in ultimo agone luctantibus praestare, neque mortuis sepulturam tradere cogitur. Id omne apprime confirmatur ex Capitulari Sigillo, quod tandem hanc praesefert inscriptionem *insigne Capitulum S. Victoris Intri parochiale.* Praeposituram demum cum Canonicatu uniri posse evincit ex facto quod plurimi Canonici insimul fuerunt Praepositi uti mox evenit in adversario.

Ex quo autem Praepositura non est beneficium residentiale, hinc illud plane patere pergit quod sexto loco demonstrandum assumit, Praepositum nempe distributionibus quotidianis minime frui. Et hoc quidem obfirmat 1. exemplo Praepositi Cathedralis ipsius qui neque ad residentiam tenetur neque subinde distributiones lucratur: 2. ex eo quod Praepositus non quotidie ad chorum accedere obstringitur, sed diebus tantum Praepositurae plenae vel semiplenae; id quod septimo loco sibi demonstrandum proposuit. Hoc vero erumpere ait ex capitibus 5. 7. 12. et 13. Statutorum Capitularium, in quibus statuitur quinam sunt dies Praepositurae plenae vel semiplenae. Hisce diebus Praepositus primum occupat stallum in choro, caeteris

vero uni hebdomadario prae aliis functiones agenti, et curam animarum exercenti hoc ius spectat; ita ut ex ipso stallo dignoscatur, quinam ex Canonicis sit ille qui ea in hebdomada animarum curam geret. Ex his omnibus concludit Orator, sponte veluti sua consequi, Praeposito ius non esse obtinendi primum stallum in choro nisi praefatis diebus Praeposituraе nuncupatis et per consequens Episcopi decretum in petitorio esse revocandum.

Ad secundum Orationis suae caput gradum faciens, in quo statuit decretum huiusmodi neque in possessorio sustineri, id probare nititur 1. ex eo quod cum Praepositus Pirinoli sit tantum electus ad Praeposituram, et minime ipsius possessionem fuerit assecutus iam ab ipso iudicii limine repellendus est, quia numquam possedit neque actu possidet id quod conservare praesumit. 2. ex eo quod possessio in nudo facto consistit; et in facto constat, quod Praepositus Pirinoli quemadmodum eius antecessor Guglielmetti numquam in huius iuris possessione fuerunt contra Hebdomadarium, quia utrique collata fuit Praepositura sub lege *che il suddetto stallo sia ceduto come si cede, nel solo principale funzionante sia Prevosto o Canonico Eddomadario*; quae lex, testibus tribus Sacerdotibus Capitulo extraneis, absque interruptione usque in praesens adamussim servata fuit. Possessio ergo stat favore Hebdomadarii, et quidem ex iusto titulo quia innititur resolutioni Capitulari diei 15 Maii 1855, atque etiam bona fide quia Hebdomadarius pacifice possedit ad annum usque 1769, et ab anno 1855 usque in praesens.

Neque difficultatem facessit arbitratus Episcopi Bertone, quia ipse non egrediebatur personam Canonici Cravatia, cui personaliter precario et pro bono pacis primum stallum concessum fuit; unde *ius speciale in consequentiam non trahitur ex Leg. Quod vero ff. De legib.* Quod adeo verum esse subdit defensor, ut mortuo Cravatia, et suppressa Praepositura usque ad annum 1826, quo tempore restituta fuit atque tunc Canonico Aluisetti collata, hic diebus Praeposituraе tantummodo primum stallum in choro occupavit. Ipso autem e vita sublato, Praepositura vacans extitit ad annum usque 1841 quo tempore electus fuit Canonicus Diana. Tunc transactio coram Vicario Generali inita fuit, atque ex voluntaria Canonicorum permissione concessum Praeposito primum stallum *personalmente*

senza pregiudizio del Capitolo in progresso di tempo, et donec Capitulum ab Apostolica Sede definitivam non retulerit sententiam, – *a meno che venga una decisione contraria dalla S. Sede* –. Quae insuper transactio nullam pariter difficultatem parere potest hac in controversia, obstante iure in *L.* 6 *De precario* §. 2. quod precario possidens non dicitur possidere.

Minusque obstare tenet sententiam in possessorio latam a Laico Tribunali, quia sententia non loquitur *de singulis anni diebus*, et quia quum lata fuerit constante transactione, tantum valet quantum transactio ipsa, quae personalis et precaria fuit. At post renuntiationem Praepositi Diana, cum quo transactum fuerat, res in integrum rediit, et Praepositi successores, *qua tales*, nunquam primum stallum in Choro occuparunt, nisi diebus Praepositurae plenae, vel semiplenae.

Nihili tandem faciendam esse invocatam ex adverso consuetudinem idem Orator contendit, quia primum ab anno 1801 ad annum 1826 possessio interrupta fuit per suppressionem Praepositurae, uti iterum accidit ab anno 1829 ad annum 1841, quo tempore Praepositura vacans remansit. Ab anno 1841 ad annum 1855 possedit Praepositus Diana, sed possessio illa fuit tantummodo precaria; et ab anno 1855 ad praesens nemo possedit: non Canonicus Parochus Guglielmetti, qui sponte ex lege speciali ipsius Capituli possessionem recusavit; non Adversarius Pirinoli, qui adhuc Praepositurae possessionem non accepit. Et cum consuetudo *unico actu contrario, vel difformi* rumpatur, quia est quid facti, non iuris, et factum *non praesumitur, sed allegans tenetur* consuetudinem *probare*, et *non dicitur probata, si constat de unico actu contrario... quamvis darentur mille actus pro consuetudine* ad tradita per Begnudelli, *Bibliot. Canon. practic. Verb. Consuetudo num.* 39 et 40, idcirco consuetudinem in casu invocari non posse concludit.

Denique ad tertium Orationis suae caput descendens Capituli defensor contendit Decretum Episcopi esse ipso iure nullum. Id probat ex eo, quod Episcopus post septem dierum spatium decretum edidit absque citatione partis adversae, quae citatio, iuxta Vermiglioli, *lezioni di diritto canonico lib.* 2 *Decret. tit.* 2 *de for. compet., Cap. Quoniam contra inf. ff. probat., Clement. Pastoralis, de re iudic.* « *è di necessità, nascendo dal diritto naturale...* e

lasciandosi renderebbe il giudizio nullo e di nessun' effetto : Cap. Ecclesia De Constit. ». Consonat *Reiffenst. lib. 2 Decret. tit. 3 De libelli oblat. num.* 67, *Canon. Caveant, et Canon. Omnia* 3. *q.* 9. Defuit etiam litis contestatio, cuius defectus in iudicio Ordinario illud reddit nullum ad tradita per *Reiffenst. lib. 2 cit. tit.* 5 *de litis contest. n.* 3. Deficiente enim contestatione litis, sententia pronunciatur a iudice ignaro de meritis causae, et haec sententia ipso iure est nulla *Reiffenst. lib. 2 tit.* 27 §. 2 *n.* 42 *et* 43. Defuit tandem Conclusio in causa, unde sententia lata fuit ultra petita, quae omnia nullitatem secumferunt. Primum, ait Orator, per se patet; alterum deducitur ex eo quod instantia Praepositi Pirinoli non agat, *nisi de iudicio petitorio;* dum e contra Decretum Episcopi se refert ad petitorium simul et possessorium. Iamvero regula est, ait *Reiffenst. loco cit.* §. 3 *n.* 77 *et* 78, « quod sententia « debeat esse conformis libello... iuxta *Clement. Saepe con-« tingit, de verb. signific.* Hinc in *L. ult. C. De fidei-« comm. liberat.* Iudex ille appellatur stultus, qui cum in « libello certa res petatur, eaque praestari possit, reum... « in eius aestimationem condemnat. Similiter, ubi agitur de « iudicio possessorio, non debet iudex ferre sententiam « super petitorio, sed solum super possessorio, et econtra ».

Patronus vero qui iura Praepositi defendit, et idcirco decretum Curiae Episcopalis confirmandum esse propugnat in tria distincta capita et ipse defensionem suam dispertitur; videlicet contendit 1. Existere in insigni Collegiata S. Victoris caput, seu Praepositum, qui unicae et principalis Dignitatis praerogativa decoratur – 2. Huic competere praecedentiam stalli in omnibus functionibus tam intra quam extra Ecclesiam – 3. Actum Capitularem diei 15 Maii 1855 nullimode sustineri. Ac quoad primum sustinet in universo Catholico Orbe nullum Capitulum reperiri sine aliquo Praeside quocumque nuncupetur nomine *De Luca de praeemin. disc.* 20; non secus ac nullum corpus existit, cuius membra suo non coniunguntur Capiti, quod illustrat exemplo divinae institutionis qua unus idcirco fuit e *duodecim electus, ut Capite constituto schismatis tollatur occasio.* Ad cuius normam subdit, Praepositum iam gubernavisse Canonicos quando vitae communionem profitebantur, et in praesentiarum adhuc remanere uti Ecclesiarum Collegiatarum caput et Rectorem, quod adducta etimologia Prae-

positi a praeficiendo demonstrare satagit auctoritate Berardi *Comment.* in *Ius Eccles. Univers. tom.* 2 *cap.* 5 *dissert.* 2, Tomassini *Vet. et nov. Eccl. discipl. Lib.* 3 *cap.* 70 *num.* 1 et praesertim Pitonii, qui in *discept. Eccles.* 8 *n.* 15 *et* 16, statum Collegiatae ex eo demonstrat *dum hodie adhuc in ea existit Praepositus qui regulariter indicat se fuisse caput Collegii.* Idemque sentiunt *Scarfanton. Lucub. Can. lib.* 1 *tit.* 5 *num.* 30, et Lotherius *de re benef. Lib.* 1 *quaest.* 14 *num.* 109.

In facto autem recolit perantiquam, et indubiam esse existentiam Praepositi qui ex adductis documentis primus apparet in omnibus actibus, solemniores festivitates peragit, et actus iurisdictionis exercet, sacram Eucharistiam Canonicis Parochis et Clero in Feria V Hebdomadae S. administrat, Cruces cum benedictione affigit, et iuramentum excipit a novo Canonico. Quin imo, pergit Defensor, cum iam ab anno 1483 in Statutis Capitularibus legeretur « *Nos infrascripti Praepositus, et Canonici Capitulares insignis Collegiatae Intri* » dubitari amplius nequit de Dignitate Praepositi, sine qua Collegiatae praerogativa insignitatis non conceditur ex Pirro *Corrado lib.* 2 *c.* 1 *n.* 17 – ibi – « *qualitas.... insignitatis in huiusmodi Ecclesiis non per se, et absolute ponitur, sed et respectu Dignitatum, cum Dignitates in Ecclesiis ad conservandam augendamque disciplinam fuerunt institutae* ». Unde iure meritoque, licet in possessorio, sententia Senatus Casalensis animadvertit, « rimane da ciò stabilito « che era sin d'allora il Prevosto in possesso di tutte « quelle prerogative che solo potevano essere proprie di « chi fosse Preside e Capo del Capitolo », et vel ipsos Canonicos adnotat postulavisse ab Episcopo Card. Morozzo, ut restaurato Capitulo sequeretur provisio Praepositurae, *cum omnino incongruum sit Capitulum sine Praeposito.*

Ad revincendam ulterius praerogativam huius Praepositurae contendit sufficere collationes Pontificias. Siquidem ex regula IV. Cancellariae Apostolicae reservantur Papae dignitates maiores post Pontificales, et primae dignitates proprie dictae in Ecclesiis Collegiatis; ceu docet *Rota dec.* 297 *n.* 5 *par.* 17 *rec.* Haec enim reservatio cum ab anno 1726 facta fuerit, non modo determinat qualitatem Praepositurae nempe *insignis Collegiatae S. Victoris Intri Novarien. Dioecesis, quae inibi Dignitas principalis existit*; verum etiam satis per se est ad concessionem inducendam ex plusquam

centenaria observantia, qua mediante omnia praescribuntur, omnia mutantur, omnia acquiruntur *De Luca De Canon. Disc.* 2. *n.* 6, *Rota coram Molines Decis.* 962 *num.* 7. Ad quem effectum sufficerent quatuor Apostolicae provisiones, quae effectum plene fuerint sortitae ad tradita per Rotam in *decis.* 333 *num.* 5 *seqq.* Ex quibus Orator tria deducit 1. Praepositurae Dignitatem non fuisse concessam a Capitulo, sed independenter ab eodem subsistere, 2. esse veram Dignitatem quae sibi vindicat omnia iura, et praerogativas primae Dignitati competentes, 3. non licere quidquam circa eamdem statuere inconsulto Summo Pontifice, qui manus apposuit.

Quoad secundum caput, cum Summus Pontifex contulerit Praeposito Pirinoli dignitatem *cum omnibus illius iuribus ac pertinentiis* admiratur quod eidem minora denegentur, dum maiora conceduntur ad normam *Caer. Episcop. lib.* 2 *cap.* 34 et declarationis S. Rit. *Congreg. in Gerunden.* 1702, cui enim plus licet, non debet quod minus est non licere *ex reg.* 53 *iur. in* 6. Praefixa siquidem sede in medio post altare, animadvertit locum medium pro digniori haberi sive apud prophanos, sive apud Ecclesiasticos uti ex Nicaena *synod.*, et *Daniel. Cap.* 13 « *Veni et sede in medio nostrum, et indica nobis, quia tibi Deus dedit honorem senectutis* ». Si itaque ex iuris dispositione prior nominatus a Summo Pontifice praecedit subscriptos in iisdem litteris *Cap. Mandato in* 6., et magis privilegiatus minori privilegiato praefertur, *Cap. Accusat. de Privil. in* 6., exinde sequi affirmat ut qui primam Dignitatem retinet *quocumque nomine vocetur, ubique praecedit alias eiusdem Ecclesiae dignitates: Scarf. Luc. Can. Lib.* 1 *Tit.* 10 *n.* 13, et *De Luca de Praeem. disc.* 20 *n.* 10 habet *in Collegiatis firma semper remanente praeeminentia primae Dignitatis.* Hanc porro praecedentiam non restringi relate ad functiones quae fiunt intra Ecclesiam docet *Scarfant. loc. cit. n.* 15 – ibi – « Non est hic omittendum « ad pleniorem huius materiae notitiam, quod eadem « prorsus regula servanda est pro determinanda personarum praecedentia in actibus qui geruntur extra Ecclesiam, « ac observantur in illis, qui intra eamdem fiunt, ac proinde si quis in sedendo, vel incedendo in Ecclesia habet « praecedentiam debet pariformiter simili gaudere praerogativa in reliquis functionibus, nam esset absurdum, quod

« quis in choro praecedentiam haberet, illam vero non habe-
« ret extra uti ponderavit Rota in *Eugubina Praeeminent.*
« §. *Ex ordine cor. Priolo.* » Et Card. De Luca *de Praeem. Disc.* 19 *num.* 11 praefert ipsas Dignitates extracapitulares in sedendo, incedendo, aliisque externis actibus quia, licet non sint de capitulo, in praeeminentialibus tamen *sunt de isto corpore,* eiusque membra digniora. Ex quibus fortius deducit argumentum ubi in casu Praepositus est Canonicus, simulque prima dignitas, cui proprium est ut trahat, et non trahatur *Rota Dec.* 376 *n.* 3 *rec.*

Hoc vehementius roborari ex facto Coadiutoris Dignitatis, qui omnimoda fruitur praeeminentia ante omnes Canonicos licet antiquiores, veluti declarat adducto exemplo Collegiatae SS. Eustachii et sociorum MM. de Urbe, ubi Coadiutor Archipresbyteri in omnibus praecedit ipsum Parochum ipsius Capituli Decanum. Quod adamussim iuri congruit ex decretis S. Rituum *Congregation. in Bononien.* 15 *Martii* 1757 *n.* 4166, *Ferrarien.* 2 *Iul.* 1639 *n.* 1021, ac recenter in *Senogallien.* 24 *Septembris* 1842 in qua proposito Dubio – An moderno Coadiutori Praepositi, etiam praesente Coadiuto competat sedere in choro post omnes Dignitates seu potius post omnes Canonicos? – respondit *Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam.* Quibus nuperrime S. H. O. innixus in S. Severini *Reintegrationis diei* 9 *Aprilis* 1859 ad *Dub.* – An, et quale stallum in choro competat Coadiutori praesente Coadiuto – resolvit – *Affirmative post omnes Dignitates, et ante omnes Canonicos* –.

Praefixa porro sedes Dignitatis, pergit Defensor, nequit ab aliis Dignitatibus multoque minus a Canonicis occupari sicuti resolvit S. Rituum Cong. in *Gerunden. an.* 1702. Et antecedenter in *Placent.* 30 *Aprilis* 1632 decreverat, - *Sedes Dignitatum absentium non debere occupari ab aliis Dignitatibus sive Canonicis, sed unamquamque Dignitatem in proprio stallo permanere debere* -; ac in *Asculana* 20 *Aug.* 1664 statuerat - *non licere Canonicis occupare sedem Archidiaconi celebrantis* - Concinit *Scarfant. cit. op. Tom.* 3 *Add.* 7 *n.* 17, *Barbosa de Canon. et Dignitat. cap.* 18 *n.* 41, *Pignat. tom.* 4 *Consultat.* 83 *n.* 5, *Rota in Rom. Praecedentiae* 3 *Iun.* 1712 *et in Novarien. Praeeminentiar.* 26 *Iun.* 1726. Quod autem in facto Praepositus occupavit primum stallum in choro patet ex eo quia ab anno 1595 aderat in Collegiata Praepositus *primus in choro*

ratione Praepositurae, licet tamquam Canonicus quartus in ordine; quodque confirmatur duabus transactionibus utrinque auctoritate Episcoporum accepto habitis, et sententia Senatus Casalensis in plenario possessorio favore Praepositi. Imo testis de facto proprio deponit: « ho sempre visto, « come è cosa a tutti nota il Prevosto occupare il primo « stallo in coro. Dirò anzi che alla morte del Prev. Aluisetti sino al Preposto Diana nessuno mai si mise ad « occupare lo stallo di mezzo perchè la Prevostura era « vacante » et tres alii Canonici testantur « che prima del 1855 il primo stallo in coro, cioè lo stallo « di mezzo fù mai sempre occupato unicamente dal Prevosto *pro tempore* ». Cum igitur sedes Dignitatis occupari a Canonicis non possit, cumque de facto prima sedes fuerit a Praeposito possessa, affirmat iniuste se opponere Canonicos sub specioso interventu plenae vel semiplenae Praepositurae restaurando quaestionem iam definitam per concordiam de anno 1841, in qua obligationem susceperunt « per sè e suoi successori avrà effetto quanto al primo « stallo in coro la decisione di Monsignor Vescovo Bertone « del giorno 30 Aprile 1769 a meno che venga una decisione contraria dalla S. Sede ». Dignitates porro constanter primum stallum occupare declarat praxi Collegiatarum huius Almae Urbis, quin restrictiones Canonicorum admitti valeant; statim ac enim quis semel superiorem ordinem attigit, ad inferiorem sedem reverti non debet *Ascensus enim in beneficialibus, minime vero descensus tolleratur;* nam maioribus honoribus functos ad minores devocari non oportere rationis est: *Gonzalez ad reg.* 8 *Cancell. Gloss.* 5 §. 9 *num.* 3.

Inutili porro conatu daretur Hebdomadario prima sedes loco Dignitatis; nam praeter adductas theorias, praeter consuetudinem illius Dioecesis edocentem quod Cantor sedere debeat *in luogo separato fuori degli stalli canonicali,* reponit quaestionem definiri ex iis quae tradit Scarfantonius *cit. op. Lib.* 2 *Tit.* 2 *n.* 29 *seqq.* exponens quod « ubi altare « maius fuerit a pariete separatum, prima sedes erit, « quae e regione altaris stat parieti in medio fixa... huiusmodi sedes decet in Collegiata Praepositum... et tunc... « Canonicus Hebdomadarius paratus sedet in primo stallo « ab ea parte chori, in qua hebdomada celebratur. » Ex quibus, aliisque deducit iustam fuisse sententiam declaratoriam Episcopi Bertone 30 Aprilis 1769, controversumque stallum

de iure ad Praepositum spectare. Nihil vero ad rem pertinere si unusquisque Canonicus sit Parochus, nam una tantum Dignitas existit, et Parochorum confusio reprobatur a Sacra Congregatione in *Novarien. Iurium Paroch.* 5 *Iunii* 1847: ceterum quae a iure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda *reg.* 28 *iur. in* 6.

In tertio Capite propugnat actum Capitularem diei 15 Maii 1855 nullimode sustineri. Generatim respondens 1. Invocari non posse ait hunc actum adversus praecedentem observantiam iuri communi conformem, 2. Non bona fide eumdem fuisse confectum imminente in Subalpinis regionibus lege suppressionis, unde notanter Curia animadvertebat « questo contratto, o come lo chiamano ora questa legge confiscativa dei diritti della Prevostura si celebrava, e s'inseriva non si sa perchè nè con quale autorità nell'atto d'immissione in possesso subeconomale due giorni prima che si munisse della firma sovrana la nota legge 29 *Maggio* 1855 » quamquam subinde Gubernium relexaverit Regium exequatur. Tunc sustineri demum animadvertit pacta et conventiones, quando meliorem reddunt Ecclesiae conditionem, non autem quando fovent abusus, ac rumpunt nervum Ecclesiasticae disciplinae. Quo in casu nec ipsa valeret inter non pares; *consuetudo* enim *quae tribueret praecedentiam* « alicui personae inferioris Ordinis supra maiorem in ordine non esset reputanda nisi corruptela inefficax ad tribuendum ius aliquod, quia per eam speciosissimus Ordo in Ecclesiasticis gradibus designatus destrueretur »: *Manrisque de praecedent. quaest.* 15 *n.* 6, *De Luca de Praeem. Disc.* 16 *num.* 11, *Scarf. Tom.* 3 *add.* 37 *num.* 41.

Quin imo, subdit Orator, in specie actum Capitularem reprobari sive ratione obiecti, sive ex defectu auctoritatis in personis contrahentibus, sive propter praeiudicium quod successoribus irrogatur. Ratione obiecti, quia transactio *super iuribus* incorporalibus et *quamvis inter Ecclesiasticos, dicitur species prohibitae alienationis, atque cadit sub dispositione Extrav. Ambitiosae: De Luca De alienat. Disc.* 18 *num.* 3; et maxime quia ex Constitutione Urbani VIII *Romanus Pontifex diei* 5 *Iul.* 1641 decretum fuit omnia quotcumque et *qualiacumque eidem Sedi Apostolicae,* vel personis ecclesiasticis quomodolibet praeiudicialia, nulla et invalida nullumque praeiudicium eisdem intulisse, ac

inferre unquam posse ex quocumque temporis cursu. Nec aliunde transactio fieri potest super re clara, deficiente hinc inde remisso *Ulpian. leg.* 1 *ff. de transact.* Defectu auctoritatis in personis, quippe quia nec intervenit Auctoritas Episcopi nec Apostolicum Beneplacitum quod ex turbido statu non praesumitur. Nec Praepositum Guglielmetti nec Canonicos addit potuisse violare actu Capitulari Bullam Pontificiam quae erat communita *decreto irritanti,* quae omnem inficit, et annullat possessionem ex *Riganti* in *reg. II. Canc.* §. 3 *n.* 61.

Exinde tertio loco consequi affirmat, nullimode potuisse inferri praeiudicium successoribus in Dignitatem, qui Praepositurae nomine ex nova Bulla sibi praeeminentiam vindicant « *quippe quia Ecclesia nusquam desinit animo possidere, nec possessionem amittit ex facto et confessione Rectoris* » *Leg. Iubemus Cod. de sacros. Eccles.* Rota in *Placentina Praecedentiae* 27 *Iun.* 1632 *n.* 5 *coram Merlin.* Nec ipsa negligens acquiescentia, aut renuntiatio praecedentis Praepositi adversam partem iuvaret. Praeterquamquod enim hoc Guglielmetti ad pericula evitanda cesserit, semper tamen firmum remanet nunquam acquiescentiam et renuntiationem extendi in praeiudicium Dignitatis et successorum proprio iure venientium absque speciali confirmatione S. Sedis: *S. Cong. in Platien. Iurium* et *Praeeminent.* 15 *Feb.* 1879 §. *Quin aliquid.*

Demum animadvertit Defensor non esse praesidium exquirendum in ultimo turbido statu qui controversiae originem dedit. Signanter cum in his casibus possessorium a petitorio absorbeatur. Sic Rota *in Novarien. Pont. Paroch. dec.* 461 §. 14 *cor. Molines* « quia cum ex praemissis « appareat clare et incontinenti de contrario anteriori « statu... non attenditur ultimus status beneficii ad *termin.* « *text.* in *cap. cum de Benef.* de *Praeb. in* 6. Fortius si « doceatur de ultimo de *longaeva observantia:* Lotter *de re* « *Benef. lib.* 1 *quaest.* 34 etc. ». Atque hoc vehementius quia S. Congregatio spreto ultimo statu, motu proprio solet reformare dubia ad petitorii iudicii quaestionem revocando, ceu inter millenas resolutiones videre est in *S. Severini Manutentionis* 9 *Aprilis* 1859, et in *Parmen.* resoluta in S. Rituum Congregatione sub die 27 *Martii* 1876 ponente Emo Oreglia.

Hisce utrinque fusius ponderatis, quae in allegationibus distribuendis enucleantur propono dirimendum

DUBIUM

An decretum Episcopi diei 18 Maii 1877 sit confirmandum vel infirmandum in casu.

Affirmative ad primam partem, negative ad secundam et amplius.

ALIPHANA OPTIONIS. = Capitulum Cathedrale Ecclesiae Aliphanae, cuius origo iniuria temporum et documentorum interitu in antiquitatis caligine obruitur, anno 1705 componebatur decem Canonicis praeter duas Dignitates, Archidiaconum nempe et Primicerium. Redditus Massae capitularis desumebantur ex quinque duplicibus praebendis, quarum singuli Canonici dimidiam percipiebant, nec non ex quadam parva massa communi, quae aequis partibus inter eosdem Canonicos dividebatur pro distributionibus quotidianis. Tractu sed vero temporis praebendae separatim administrari coeperunt et administrantur, si demas Poenitentiariam, quae adhuc alteri canonicali praebenda unita manet, duasque alias, quae aliis totidem ineunte hoc aevo una iunctae fuerunt.

Sess. 24 cap. 12 de Reform.

Inter Canonicos servatur systema optionis, in vim decreti Episcopalis diei 7 Decembris 1839, in quo habetur « Volumus praeterea, decernimus et statuimus, ut in posterum liceat Archidiacono, Primicerio, Canonicis Theologo, Poenitentiario, Curato et reliquis pro tempore Canonicis... portiones Canonicales deinceps vacaturas optare et assumere, servata semper inter optantes dignitatis gradus et choralis servitii praeeminentia et praecedentia, et exclusis semper ab optione praedicta portionibus Archidiaconali, Primiceriali, Theologali, Poenitentiali et Curata, quae successoribus sarta tecta servanda per mensae Capitularis Oeconomum vacationis tempore administrentur. »

Cum die 1 Ianuarii anni 1878 decessisset Canonicus Iacobus Vessella, eiusque obitu simul vacavisset canonicatus quem possidebat, eumdem optavit suae antianitati confisus Aloysius Paterno simplex Canonicus Cathedralis Aliphanae. Ast vero cum Canonicus Theologus uti antiquior et Poenitentiarius secundo loco declaraverint, sibi ius competere eandem praebendam optandi prae Canonico Paterno, hinc res ad S. V. O. per hunc delata est.

Supplici accepto libello, de more rescripsi die 13 Martii 1878. « *Episcopo Coadiutori pro informatione et voto, audito Capitulo ac seorsim tum Canonico Theologo, tum Canonico Poenitentiario, referat super bono Oratoris iure.* » In tali rerum statu accidit, ut in conventu Capitulari habito die 22 Aprilis 1878 comparuerit Primicerius Panella 87 annos natus, qui declaravit se velle vacantem optare praebendam prouti paucis retro diebus Capituli delegato exposuerat. Hac habita declaratione, Capitulum votum suum edidit pro Primicerio, et in eius defectu pro Theologo et Poenitentiario. Quod cum accepisset Episcopus illico suam transmisit S. V. O. informationem, in qua, animadverso quod quinque solummodo Canonici adversarunt Oratoris preces, dum tres favorabiles ipsi sunt una cum Canonico Ragucci qui nondum Canonicatus possessionem adeptus est, totus in eo est, ut Capituli argumenta refellat bonum Oratoris ius protuendo.

Canonici itaque contra quos Canonicus Paterno decertat, demonstrare assumunt sub primo obstare Paterno exceptionem *de iure tertii*; nam dato etiam et nunquam concesso Canonicos Theologum et Poenitentiarium causa incompatibilitatis vacantem praebendam optare non posse, cum optio gradatim exerceatur iuxta praescriptum Bonifacii VIII *Cap. fin. De consuet. in* 6, ius optandi haud Canonico Paterno, sed Primicerio Panella competeret ratione praecedentiae. Quin officiat eumdem nonnisi hora ultima formalem voluntatem optandi manifestasse, res enim adhuc integra manebat, nemo ius in re adhuc sibi quaesivit, facultas exinde dici nequit consumpta, quia non fuit secutus effectus, quemadmodum de optione, institutione, praesentatione et aliis multis tenet *Gonzal. ad reg. Canc. gloss.* 45 §. 3 *n. 4. seqq., Gratian. Discept. for.* 746. *n.* 13. *seq.* Eo vel magis, pergunt Canonici, quia tempus ex consuetudine abbreviari et elongari potest. Cum autem in dioecesi Alipha-

na Statuta Capitularia tempus huiusmodi non praefiniant, neque ex consuetudine receptum sit, ut quis intra determinatum tempus optare teneatur, patet hoc tempus utile peremptum dici non posse quoad Primicerium Panella. Verum etsi in damnata hypotesi peremptum dici velit, semper D. Panella eo in casu positus, iure meritoque dici posset, cui concedatur restitutio in integrum, cum ipse iuri successorum praeiudicium inferre nequeat. Quod magis magisque obfirmatur si aequitati consuli velit, quemadmodum S. H. O. prospicere tantopere solet. Nemo est enim qui ignorat Primicerium Panella esse prope nonagenarium variis incommodis valetudinis laborantem, ideoque dignum qui potioribus mediis provideatur ad honestam vitae sustentationem, et ad incommoda senectutis sublevanda.

At si vero retineatur Primicerium Panella ius amisisse vacantem optandi Praebendam, tamen Canonico Paterno praeferendi sunt 1. Theologus et 2. Poenitentiarius. Siquidem observant, praebendas non iure communi, sed statuto, consuetudine aut privilegio Apostolico optabiles evadere, iuxta extrema data per *Bonifacium VIII. in d. c. fin. De consuet. in* 6., et statuunt DD., in specie *Moneta De opt. c.* 2 *n.* 1, *Gagliardi comm. ad cit. can., Fargna De iurepatronatus p.* 2 *c.* 25 *cas.* 5. Ex statuto autem manifestum sit neque Theologum neque Poenitentiarium ab optionis iure excludi; habetur enim *in posterum liceat Canonicis Theologo, Poenitentiario... portiones canonicales deinceps vacaturas optare.* Statutum porro hac in re minime iuri communi refragari contendunt. Siquidem generalis regula exclusiva optionis quoad memoratos Canonicos limitationem recipit, si ipsi tenues obtinentes praebendam sub ea conditione ad ius optandi meliorem admittantur ut ponderant *Ventrigl. in prax. for. eccles. tom.* 2. *adnot.* 12. §. 2. *n.* 8., *Cardin. Petra ad Constit. II. Innnoc. VI tom.* 4. *pag.* 249. *n.* 25. Absonum namque est, ut Canonicus Theologus et Poenitentiarius qui maius subeunt onus, minora in perpetuum habeant emolumenta, quam alii simplices Canonici *Petra loc. cit.* Iamvero hoc adamussim in themate verificari affirmant, quandoquidem et ex memorati decreti dispositione praesumitur quod et ipsi hanc ob causam ad optionem exercendam admissi fuerint, et ex facto constat istas portiones deteriores evasisse post editam a gubernio iniquam conversionis legem, qua istae portiones deteriores exierunt.

Quae quidem ad abundantiam ferme dicta esse pergunt. Notissimi enim iuris est, quod Theologus et Poenitentiarius optare non valent, quando praebendae sunt divisae, non vero si Capituli bona ex massa communi conflantur. Patet id ex doctrina *Garciae De benef. part.* 5. *cap.* 4. *n.* 155. et resolutione S. V. O. in *Pinnen. Optionis diei* 26 *Februarii* 1859 ubi eo quia omnes Canonici de communi massa participabant recognitum fuit ius Theologi dignitatem optandi. Non aliter at vero de Capitulo Aliphano iudicandum pergunt. Etenim antiquitus massa communis as capitulare conflabat deque ipsius divisione et in titulum erectione neque verbum habetur neque vola. Tantum noscere datum est quod posteriori tempore de consensu Episcopi in parvas massas fuit illa divisa, ut per plures administratores, Capituli conditio ditior evaderet. Ex quo nequit inferri primaevum statum immutatum fuisse, cum de praebendarum natura sit *avere per primo requisito l'essere un'assegnazione di beni temporali individualmente separata e distinta.* Quod adeo verum esse propugnant, ut in ipso saepius memorato decreto de anno 1839 praebendae nuncupantur *portiones canonicales;* atque adeo *furono dichiarate e furono mantenute nei casi di vacanza sempre mai esenti dal sequestro delle loro rendite per conto delle passate amministrazioni Diocesane.*

Neque oggerendum edicunt quod sive in decreto erectionis poenitentialis praebendae de anno 1758 perlegatur *erigimus et instituimus in Canonicatum seu praebendam,* sive in actis concursus pro vacante theologali ab anno 1757 et deinceps de praebenda theologali idem instituatur sermo. Res enim magis, quam verba intuendas esse docet *L. Promittendo ff. de iur. dot.* At res seu facta perhibent tunc temporis praenunciatas praebendas alii canonicatui adnexas fuisse, ideoque neque *certas* neque determinatas dici posse. Ubi autem praebenda certa non est, valet Theologus, valet Poenitentiarius optare ex sententia S. C. relata per Pirrum Corradum in sua *Praxi benef. lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 24 – ibi – « Non potest optari praebenda quae « fuit erecta et deputata in theologalem pro Theologo a « sequenti Canonico, prout Poenitentiarius, cui certa prae- « benda est deputata et unita potest optare. »

Minusque iuvaret causam actoris Paterno argumentum ex consuetudine fundata in non usu iuris optionis ex par-

te Theologi et Poenitentiarii. Agitur enim in casu de actu mere facultativo, contra quem non currit praescriptio, nisi post prohibitionem et legitimam acquiescentiam ad *text. Final. De consuet., Rota dec.* 316. *n.* 2. *cor. Emerix.* Non probata equidem prohibitione, censetur ex urbanitate vel placito Canonici antiquioris optionem secutam non fuisse; non vero ex defectu iuris et potestatis, quia ex facultativis non inducitur obligatio *Castren. in L. Qui luminibus* 2. *ff. de serv. urb. praed., Rot. decis.* 395. *n.* 10. *cor. Celso*, et in terminis optionis eadem Rota *decis.* 308. *n.* 11. *part.* 17, *decis.* 596. *n.* 12. *part.* 18. *tom.* 2. *recent., et decis.* 275. *n.* 9. *cor. Emerix.*

Licet vero dubitari non possit optionem iuxta receptionis ordinem esse exercendam, eamque debitam esse Canonico anteriori in Canonicatus possessione prae ceteris aliis ex *Gloss. in Cap. Final. v. Antiquiores de consuet. in* 6, *Rota decis.* 37. *n.* 1, *et decis.* 308. *n.* 2. *part.* 17. *recent.*, cum non ratione muneris sed longioris servitii Ecclesiae praestiti debeatur *Monet. de Opt. cap.* 7. *quaest.* 2. *n.* 36., *Gonzales. ad reg.* 8. *Cancell. gloss.* 34. *n.* 4. 9. *et* 100, *Rota decis.* 37. *n.* 6. *part.* 17. *recent.;* tamen dubitari pariter nequit quod hoc ius ab antiquiore exercendum sit infra tempus a iure statutum; quo inutiliter elapso, statim ius optandi devolvitur ad Canonicum antiquiorem immediate sequentem ad *text. in cap. Fin.* §. *ultim. de Consuet. in* 6, *Gonzales ad reg.* 8. *Cancell. gloss.* 34. *n.* 75. *Barbos. loc. cit. cap.* 30. *n.* 5., *Vivian. de Iurepatr. p.* 2. *lib.* 5. *cap.* 1. *n.* 113., *Monet. loc. cit. cap.* 6. *n.* 12. 13. Optio siquidem est quoddam ius, cuius vigore antiquiores Canonici gradatim vacantem praebendam, quae reservata non sit, propria dimissa *intra certum tempus* eligere et consequi valent: *Scarfant. ad Ceccoper. lib.* 4. *tit.* 6. *n.* 1., *Monet. De Opt. cap.* 1. *n.* 13, *Barbosa De Canon. cap.* 30. *n.* 1. Tempus autem huiusmodi de iure communi est viginti dierum a die vacationis, sive potius illius verisimilis notitiae, ceu post Constitutionem Bonifacii VIII in *Cap. ultimo. Ne autem de Consuet. in* 6. tradunt *Gonzales in reg.* 8. *Cancel. glos.* 34. *n.* 75, *Barbosa de Canon. cap.* 30. *n.* 5., *Scarfant. loc. cit. n.* 9. – ibi –
« Ex eadem definitione colligitur, quod optio vacantis prae-
« bendae ab antiquiori fieri debeat infra certum tempus
« nempe de iure communi infra viginti dies a die vaca-
« tionis sive potius illius verisimilis notitiae ».

Hisce in iure praestitutis, seposito quod ex consuetudine in Ecclesia Aliphana vigente, optio infra octiduum sit exercenda, exploratissimi facti esse propugnat Canonicus Paterno Primicerium ad vacantem praebendam optasse quatuor circiter post menses a vacatione sequuta per mortem Canonici Vessella, quae evenit in parva civitate Aliphana, in qua tunc et ipse morabatur et degit. Elapso igitur termino a iure praefinito ad optionem exercendam, atque quaesito iure Canonici Paterno ad eamdem obtinendam, haud recursus fieri debeat ad restitutionem in integrum, quam invocant Capitulares, dum ipsa sine laesione et iniustitia, quae in casu exulant, non datur iuxta doctrinam Rotae in *decis.* 9. *n.* 2., *decis.* 11. *n.* 1., *decis.* 51. *n.* 1. *et decis.* 654. *n.* 2. *cor. Olivatio:* praesertim si derogandum sit iuri tertii, cui nec summus Princeps derogare solet ex *Cap. Pastorali* 19. *de privil. et Can. Nunc vero* 9. *quaest.* 3.

Nec optionem competere posse pergit Canonico Theologo vel Poenitentiario. Quum enim respectivis eorum officiis perpetuo et inseparabiliter adnexa sit praebenda, et ob peculiares qualitates ad eam obtinendam requisitas electa videatur industria personae, quae variationem non admittit, idcirco tum Theologus, tum Poenitentiarius neque retento neque dimisso munere absque speciali indulto alias optare valet praebendas: licet quoad caeteros Capitulares peculiari statuto vel privilegio haec data sit venia. Ita uno ore tradunt *Passerin. in cap. Cum in tua de consuet., Monet loc. cit. cap.* 3. *quaest.* 5., *Constantin. vot.* 530. *n.* 1. *seqq. Barbos. loc. cit. cap.* 26. *n.* 23. *seq.*, S. C. in *Volaterrana* 18 *Maii* 1598 *lib.* 9. *decret. pag.* 60. iterumque in *Asten.* 26 *Febr.* 1606 *apud Garz. De Benef. part.* 5. *cap.* 4. *n.* 134 et in *Sebenicen.* 2 *Dec.* 1651 *apud Constant. Vot.* 530. *n.* 4. Quodque retinendum etiam in casu, quo omnes praebendae essent de massa communi docet *Navarr. in cons.* 14. *de rebus Eccles. non alien.*

Praetermissa sed vero hac in re opinione Navarri, in facto esse sustinet Paterno, quod Canonici asserunt quidem, sed minime probant as capitulare Aliphani Capituli ex communi massa constitui, dum e contra monumenta non desunt, quae aliud manifestant. Sane in conclusione Capitulari diei 30 Decembris 1703 legitur – XIII *Si è concluso ancora, che ogni compagno per tutto l'entrante mese di maggio abbia da fare l'inventario della sua prebenda.* – R̃mus

Episcopus Porfirio suo edicto diei 30 Septembris 1705 iussit confici generale inventarium non solum *delle prebende Canonicali*, sed etiam *della piccola massa capitolare.* Item in Capitulari conventu diei 27 Ianuarii 1707 statutum est: « Che alli procuratori eletti in fine anni se li « debba dare la potestà di trattare tutte le cose del Ca- « pitolo tanto di giurisdizione quanto d'interessi di noi e « della nostra Chiesa chi se sia nemine excepto.... dan- « dosi potestà anche di trattenere le nostre entrate e di « sequestrare le nostre prebende si opus fuerit. » Episcopus Sanseverini decreto diei 9 Decembris 1757 in publicando concursu pro theologali vacante inquit: « Vacante « Canonicatu, et Praebenda Theologali in nostra Cathe- « drali Ecclesia Aliphana, per decretum etc. » et decreto diei 30 Septembris 1758 idem Episcopus erigendo praebendam Poenitentiariam utitur verbis *erigimus et instituimus in Canonicatum seu praebendam.* Die 29 Decembris 1796 Antistes tunc temporis de Archidiaconatus reditu edicit « la di cui rendita ascende a ducati settanta non « avendo prebenda particolare ed inferiore a quella degli « altri Canonici prebendati ». Ex relatione status Ecclesiae Gubernio facta ab Aliphano Episcopo de anno 1807 habetur « Prebenda dell'Arcidiacono Vincenzo Miola Duca- « ti 120, Prebenda del Penitenziere Francesco Piazza du- « cati 100, Prebenda dal Caño Teologo D. Giovanni Lom- « bardi ducati 110 » et sic vicissim singulae nominantur praebendae et praebendati earumque redituum qui impares inter se sunt. Hinc optime actualis Antistes in sua informatione ad H. S. O. exponit: « Vedendo perciò che oggi « tutte le prebende si trovano separate e distinte, fuor di tre « gruppi, cioè fuor di tre unioni contenente ognuna di « esse una duplice prebenda e risultando da documenti « quì in Curia la origine di due delle dette unioni l'una « del 1803, e l'altra del 1839 se ne inferisce ben chia- « ramente che tutte o quasi tutte le Prebende dopo il « 1703, si veggono sempre separate e distinte ».

Ex quo concludit falsum esse principium quo nituntur Capitulares, falsaque proinde omnia consectaria deducta ad sustinendam optionem favore antiquioris Theologi, et Poenitentiarii. Expensis enim adductis Episcoporum, et Capituli enunciativis pleno alveo fluit iam ab antiquis temporibus canonicatus Aliphanae Ecclesiae in praebendas di-

stinctas constitutos reperiri. Quin captetur praesidium ex decreto Episcopali de anno 1839 vel ex redituum imminutione. Non ex decreto quia cum ea in parte iuri communi refragetur, corruat necesse est; non ex redituum imminutione. Respondet enim actor dicens: « L'infedeltà nel « rivelare le rendite delle proprie Prebende al Governo, « onde pagare meno tassa di manomorta, ne è stata la « vera cagione. Non sembra quindi nè giusto nè equo, « che i Canonici semplici senza veruna loro colpa, spe- « cialmente quando a questi assiste il diritto, abbiano a « sopportare le consequenze degli altrui errori. »

Hisce omnibus utrinque perpensis, videant EE. VV. ea qua pollent sapientia ac iuris peritia quonam responso dimittendum sit.

DUBIUM

An et cuius favore sit locus optioni in casu.

Dilata et ad mentem.

Sess. 7 cap. 7 Sess. 21 cap. 13 de Reform.

MELEVITANA CURAE ANIMARUM. = Vertente anno 1877 sub die 16 Iunii Capitulum Ecclesiae Collegiatae Divo Paulo vulgo *Naufrago* dicatae in urbe *Valletta* Melevitanae Dioecesis, supplicem libellum S. H. Congreg. exhibuit, referens quod ab huiusmodi Ecclesiae Collegiatae erectione cura animarum, qua Ecclesia pollebat, ab Archipresbytero, qui prima Capituli dignitas est, iugiter de iure exercebatur. Quam rem usque ad annum 1780 perdurasse ait; hoc siquidem volvente res immutata fuit in vim Bullae Apostolicae fel. mem. Pii VI quae incipit *Apostolicae Sedis remedia*, qua cautum est ut deinceps cura animarum ab Archipresbyteratus officio disiuncta vel a Canonicis *per turnum*, vel mediante idoneo Vicario Curato *ad nutum* exerceretur. Praestat ipsius Bullae verba referre. « Onus Curae (animarum) tam actualis, quam ha-

« bitualis illiusque liberum exercitium pro tempore exi-
« stentibus Capitulo et Canonicis dictae Collegiatae Eccle-
« siae, dicta Auctoritate nostra, etiam perpetuo iniungas
« et imponas: ita ut Cura Animarum aut per ipsos pro
« tempore existentes Capitulum et Canonicos dictae Collegia-
« tae Ecclesiae *per turnum*, seu per unum *presbiterum sae-*
« *cularem* idoneum *Vicarium Curatum* nuncupandum ab
« eisdem pro tempore existentibus Capitulo et Canonicis
« dictae Collegiatae Ecclesiae deputandum ad nutum ta-
« men eorumdem pro tempore existentium Canonicorum
« amovibilem, cum congrua mercedis assignatione ab ipsis
« Canonicis praefigenda, exerceri debeat. »

Huiusmodi Bullam Apostolicam Canonici executioni mandare cupientes statuerunt, ut cura animarum per ipsos turnatim exerceretur. Verum in facto est quod recusantibus Dignitatibus per Thesaurarium, annuente Capitulo, tamquam ipsius Vicarium amovibilem exercita fuit duos per annos. Quibus expletis per resolutionem Capitularem statutum fuit, ut deinceps animarum curae exercendae idoneus Vicarius amovibilis praeficeretur: atque in huiusmodi terminis constituta cura usque ad annum 1838 immota remansit. Quo sane tempore Capitulo visum est, Vicario Curato amoto, servitium parochiale Canonicis demandare, qui per turnum huiusmodi officium explere debuissent. Verumtamen ob nonnullorum ex Canonicis reluctantiam qui hoc munus suscipere detrectarunt , factum est ut curae animarum pondus a quibusdam sustineretur, ab aliis vero non.

Ut huiusce inaequalitatis ac discrepantiae causae tandem aliquando medela pararetur, Capitulum die 26 Martii 1877 legitime congregatum unanimi consensu statuit:
« Che nel prossimo biennio il turno della Cura debba
« incominciare di nuovo, dando luogo prima alle dignità
« secondo il loro ordine e poi passare ai Canonici, rego-
« landosi secondo l'ordine delle prebende, come oggi sono
« possedute . . . e così debbano essere classificate le pre-
« bende per riguardo ai successori dei suddetti Canoni-
« ci, in modo che il corso del turno, nel caso che tutti
« accettassero non possa durare più che quattordici bi-
« ennii. » Haec sed vero Capitularis resolutio cuidam Vincentio Gauci Canonico Coadiutori haud arrisit, qui praxim constantem immutatam atque praefatae Bullae dispositio-

nem per eam violatam fuisse ratus, illico protestationem penes Curiam Episcopalem emisit, expostulans ut huiusmodi resolutio irrita ac quovis robore destituta renunciaretur. Ad effectum itaque huiusce dissidii componendi Capitulum H. S. C. preces obtulit enixe flagitans « *l'approvazione della citata risoluzione presa all'unanimità dallo stesso Capitolo, o almeno una dichiarazione della vera interpretazione da darsi alle parole della Bolla per turnum exerceri debeat* (cura) *in modo da non essere di pregiudizio ai diritti delle tre dignità, come è stato spiegato nel citato Controprotesto.* »

Acceptum libellum de disciplina H. S. C. die 16 Iunii eiusdem anni ablegavi *Episcopo pro informatione et voto audito Capitulo ac seorsim Sacerdote Gauci*. Quibus mandatis obsequens Episcopus die 15 Maii anni 1878 literas informatorias transmisit, quae protestationi a Canonico Gauci emissae favere videntur, dum retinet quaestionem esse dirimendam iuxta antianitatem captae possessionis, non vero habito ad praebendas respectu. « Sembrami che secondo tale « interpretazione nel mentre che non si allontana affatto dalle « spirito di detta Bolla, non si devia minimamente dal « senso letterale della stessa, imperciocchè trovandosi in « essa Bolla prescritta la successione *per turnum* in una « sola proposizione (unicamente) è riferibilmente tanto alle « tre dignità, quanto agli altri undici Canonici indistintamente; è mestieri conchiudere che la preferenza tra gli « uni e gli altri debba essere regolata unicamente ed esclusivamente in ragione dell'anzianità di possesso promiscuamente ed indistintamente tra tutti coloro che sono « intitolati ad assumere la cura d'anime.... »

Omnibus itaque rite expletis sub die 1 Iunii 1878 assuetum rescriptum edere censui *Ponatur in folio*. Cum igitur causa in hodiernis plenariis comitiis dirimenda proponatur, mei muneris ratio postulat, ut praeprimis rationum momenta exponam quae scriptis exarata a partibus mihi exhibita fuerunt, atque deinde aliquid in iure ex officio delibem, ut rei veritas super huiusmodi negocio componendo magis magisque elucescat.

Consuetudinem ad legis interpretationem, praesertim si haec dubia sit, plurimum valere et pro lege ipsa accipiendam esse omnia iura clamant. Sane id colligitur ex *Cap. Cumana* 50 *de Elect. et ex Cap. Cum dilectus* 8 *de*

Consuet. – ibi – « *electio praedicti G. tam contra statuti tenorem, quam etiam contra consuetudinem approbatam (quae optima est legum interpres) minus canonice attentata, merito cassari debebat.* Idem scatet ex *Leg. Si de interpretatione ff. de Legibus;* ubi dicitur: *optima est legum interpres consuetudo:* et ex *Leg. Nam Imperator ff. eod.* ubi imperator rescripsit: *In ambiguitatibus quae ex legibus proficiscuntur consuetudinem aut rerum perpetuo similiter iudicatarum authoritatem, vim legis obtinere debere.* Quo posito resolutionem Capitularem sub die 26 Martii 1877 acceptam, quatenus propositae tralatitiae theoricae repugnantem revocandam atque ut iuri contrariam infirmandam esse Canonicus Gauci contendit. Audiantur sane ipsius verba: « Che per una consuetudine antica quanto la prima ap- « plicazione di cotesta Bolla non mai interrotta, sempre, « tacitamente almeno, approvata dai successivi Ordinarî « di questa Diocesi, e perciò addivenuta la migliore in- « terprete della legge e legge essa stessa, le surriferite paro- « le: *Cura animarum huiusmodi per ipsos . . . . Canoni-* « *cos . . . per turnum exerceri debeat,* sono state intese « in guisa (nè è facile capire come si possano altrimenti « intendere) che, vacato l'ufficio di Curato nella suddetta « Chiesa, vi succedesse quegli fra i Canonici intitolati che « in ordine di anzianità segue immediatamente l'ultimo « possessore ».

Nec satis: ex alio siquidem capite huiusmodi resolutionem Capitularem expungendam esse urget, quia scilicet interpretatio, quam Capitulares praecitatae Bullae Apostolicae dare pertentant ad inconvenientia perduceret, atque iura ipsius Gauci aliorumque Canonicorum laederet qui in eadem ipsius conditione tractu temporis versarentur. Id quam abnorme sit, quam sanae legis interpretationi contrarium, quamque a legislatoris mente alienum extra ullam dubitationem esse edisserit. Quod huiusmodi interpretatio Bullae Pontificiae a Capitularibus appicta absurda reapse pariat, quae Canonicus Gauci propugnat; hoc ex litteris informatoriis, quas Episcopus ad H. S. C. transmisit, erui posse videtur. Sane Episcopus postquam quaestionis statum atque resolutionem a Capitulo susceptam retulerit, haec addit: « Che secondo tale interpretazione « un Canonico occupante, *verbi gratia,* la prebenda N. 4 « ed avutone il possesso insin da quando il possessore

« della 5 prebenda aveva la cura d'anime, non potreb-
« be mai sperare di esercitare l'ufficio di Curato prima
« dello spirare di quattordici biennii o di un numero mi-
« nore nel solo caso di ricusazione per parte degli altri
« prebendarii. Quel Canonico potrebbe cessare di vivere
« ed in tal caso la stessa sorte dovrebbe spettare al suo
« primo, secondo e terzo successore. Conseguentemente
« tale Canonico in siffatto caso, ugualmente che i suoi suc-
« cessori che non avranno avuto la sorte di sopravvivere
« pel corso dei quattordici biennii, non potrebbero giam-
« mai essere Curati, benchè formanti parte del Capitolo
« anzidetto ed intitolati come qualunque altro Canonico
« ad occupare quella carica. Il che secondo il mio umi-
« le sentimento è un altro assurdo che è desiderabile di
« evitare non meno che l'altro rimarcato dal Capitolo
« nel suo memoriale: Che inoltre adottando simile in-
« terpretazione potrebbe bene spesso succedere un altro
« inconveniente non meno rilevante del primo. Infatti sup-
« posto che la cura d'anime sia affidata al possessore di
« una prebenda qualunque e che durante questo tempo
« avvenga la morte del Canonico, che in ordine numeri-
« co avrebbe dovuto succedere in detta Cura, il succes-
« sore di quest'ultimo benchè Canonico insin da alcuni
« mesi solamente od anche da giorni avrebbe la oppor-
« tunità di assumere la detta cura nella prima occorren-
« za, succeduta che fosse la morte del Curato in positivo
« danno e pregiudizio degli altri Canonici che saranno
« stati tali insin da molti e molti anni. Ciò che io riten-
« go essere contro lo spirito della Bolla anzidetta ».

Cum itaque comperti facti sit quod interpretatio per huiusmodi resolutionem capitularem Bullae Pontificiae a Canonicis data, praeterquamquod iura quorumdam ex Canonicis laedere valeret, ad absurda pertraheret: ex hoc sponte sua fluere videtur, praefatam resolutionem, utpote quovis iuris robore destitutam, mole sua ruere debere, ceu docet *C. Solitae* §. *verum de maiorit. et obed.* atque perhibet recta legum interpretatio.

Ex altera vero parte Capitulares contendunt Canonici Gauci protestationem nullo iuris fundamento fulciri tum quia propugnata consuetudo nunquam extitit; tum quia resolutio ab ipsis unanimi consensu adprobata nulli innovationi causam dedit, tum etiam quia ea Bullae Apo-

stolicae tam literae, quam spiritui penitus est conformis. Praestat haec omnia ab ipsorum Capitularium ore accipere: « Egli, (Canonico Gauci) se si fosse dato la pena di ri-
« scontrare gli atti Capitolari... non avrebbe trovato un sol
« caso da addurre come esempio per sostenere la immaginata
« consuetudine. Avrebbe infatti trovato come appena messa
« in esecuzione la predetta Bolla, è stato scelto uno dei
« Canonici per fungere l'ufficio di Vicario Curato, e come
« questa pratica fosse stata per un lungo tratto di tempo
« sino all'anno XV del presente secolo mantenuta. E
« finalmente si sarebbe accorto come, abbandonata tale
« elezione di Vicario Curato, la suddetta Cura d'anime fosse
« stata affidata ad alcuni fra i Canonici intitolati ad averla.
« È quindi evidente che i fatti, cui si riferisce il contra-
« rio protesto, succedettero assai diversamente da quel che
« sono stati narrati. Ma però è basata la lagnanza del Ca-
« nonico Gauci nell'asserire di avere il Capitolo fatto in-
« novazione di sorta? Non ha bisogno l'esponente di
« dilungarsi sul proposito per dimostrare che non solo
« tale lagnanza è destituita di qualunque fondamento, ma
« è ingiusta e vessatoria. Il Capitolo infatti colla risolu-
« zione all'unanimità adottata nell'adunanza Capitolare il
« 26 Marzo 1877 ha cercato di ovviare a quell'inconve-
« niente che esso Canonico Gauci per mancanza di rifles-
« sione vorrebbe sostenere, in altri termini ha voluto
« dare una esecuzione alla prelodata Bolla consentanea
« ai principî di detta ragione coll'applicare regolarmente
« e non già abusivamente ed illogicamente quelle parole
« della Bolla *cura animarum. . . . per ipsos* (Canonicos)
« *per turnum exerceri debeat*, senza farne alcuna innova-
« zione . . .

« Per viemaggiormente dimostrarsi la ragionevo-
« lezza di questa risoluzione e quanto questa sia più con-
« sentanea alla retta interpretazione delle succitate parole
« della prelodata Bolla, è mestieri vedere come l'espres-
« sione *per turnum* vuol essere dall'avversario interpretata
« e come secondo questa risoluzione è stata interpretata
« dal Capitolo. E vaglia il vero. Quattordici è il numero
« dei Capitolari tra dignità e Canonici semplici, che sono
« autorizzati a fungere l'ufficio di Curato. Fra le prime
« sono il Preposito, il Cantore, e il Tesoriere. Ora interpre-
« tando malamente e a modo tutto suo l'avversario la espres-

« sione *per turnum* della citata Bolla vorrebbe dare ad in-
« tendere che, spirato il periodo del Canonico fungente
« tale officio, a costui dovesse succedere immancabilmente
« il seguente Canonico meno anziano. Questa interpretazione
« menerebbe alla massima incongruenza; poichè siccome
« i Canonici semplici, a distinzione delle Dignità, non
« hanno i loro posti fissi, ma il nuovo Canonico occupa
« sempre l'ultimo posto, accade sovente che un nuovo Ca-
« nonico succeduto in un Canonicato il cui possessore avrà
« già dopo le tre Dignità esercitato l'ufficio di Curato
« fruisse di questo ufficio in preferenza delle Dignità, non
« ostante che il suo antecessore nella Prebenda ne avrà
« già fruito. Così successivamente accade per ciascuna va-
« canza in modo tale, che i successori delle tre Dignità
« in vista d'avere immobile il loro posto, non possono
« quasi mai fruire di questo dritto non ostante di esser-
« ne intitolati.

« Per lo contrario, stando all'interpretazione data dal
« Capitolo, a questa incongruenza si ovvia facilmente e lo
« si può ben dimostrare stando alla lettera della ci-
« tata Risoluzione. È detto in primo luogo che *col-*
« *lo spirare del tempo dell'attuale Curato, il turno dovrà*
« *cominciare di nuovo dalle Dignità ai Canonici successiva-*
« *mente.* Nulla di più ragionevole, poichè i quattro Cano-
« nici successivi all'attuale Curato ed intitolati a tale cura
« sono succeduti ad altri che già dopo le Dignità hanno
« fruito di questa carica, di guisa che se in loro continuasse
« il turno, eglino fruirebbero doppiamente di questo offi-
« cio con discapito delle tre Dignità che ne rimarrebbero
« prive. Dunque coll'essere stato stabilito che il turno do-
« vesse incominciare di nuovo, il Capitolo non ha pregiu-
« dicato l'interesse di alcuno fra i Canonici, e non ha fatto
« innovazione alcuna.

« Si stabilisce in secondo luogo che le Prebende de-
« vono rimanere classificate secondo il loro ordine in ri-
« guardo ai successori. Misura oltremodo equa, poichè in
« questa guisa la cura non può essere in modo alcuno
« reiterata nel successore di colui che nel corso del turno
« ne avrà gia fruito; ed in questo modo le Prebende dei
« Canonici semplici vengono ad essere considerate inamo-
« vibili al pari delle Dignità, e si toglie via l'inconveniente
« che molto ragionevolmente sarebbe stato lamentato, ove

« l'interpretazione contraria fosse seguita. Quindi molto « meno con questo secondo provvedimento è stata fatta « la benchè minima innovazione. »

Quae cum ita sint, labore prorsus inutili, urgent Capitulares, Canonicus Gauci praedictae resolutionis expunctionem et nullitatem a S. V. O. expostulat speciosa ductus ratione quod huiusmodi resolutio absurda involvit, cum ex superius deductis, explorati facti sit interpretationem ab ipso Canonico in medium prolatam quam maximas absurditates continere. Quod res ita profecto se habeat, prouti Capitulares arguunt, erui posse videtur ex ipsis litteris Episcopi informatoriis prouti ex ipsiusmet verbis superius expositis manifestum erumpit.

Hisce pro utraque parte praeiactis, modo aliquid ex officio adducere operae pretium putavi, ut in hac enodanda quaestione H. S. C. praxim EE. VV. prae oculis habeant.

Nullo pacto ambigi posse videtur, quod, ubi cura animarum penes aliquod monasterium vel Ecclesiam sive Cathedralem, sive Collegiatam residet, ea a Collegio exerceri possit vel per Vicarios ad nutum amovibiles, ut argum. *text. Clem.* 1. notavit ibi *Gloss. verb. ad mensam De excessib. Praelat. et Glossa verbo Haberent in Clem.* 1 *de Rescript. et Glossa verbo De mensa in Clem. I De suppl. neglig.* vel ab ipsis Canonicis per turnum iuxta *text. in Cap. Statutum de elect. in* 6 cui concinunt ea quae tradunt *Barbosa de potest. Episc. allegat.* 60 *n.* 30, *Pax Iordan. tom.* 2 *lucubr. lib.* 10 *tit.* 8 *n.* 82. *Paris de resign. benef. lib.* 8 *q.* 9 *n.* 93 et alii quamplurimi.

Verumtamen licet praedicta procedant de iure communi antiquo, hodie tamen post promulgationem praesertim Concilii Tridentini rem immutatam esse extra omnem dubitationis aleam positum esse videtur. Sane ubi agatur de quibuscumque beneficis curatis quae Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis et monasteriis unita reperiuntur Tridentina Synodus *Sess. 7 cap. 7 de ref.* locorum ordinarios hortatur eorumque sollicitudinem excitat quatenus providere procurent ut cura animarum per idoneos Vicarios etiam perpetuos ibidem deputandos laudabiliter exerceatur: ita ut exclusa quavis dubitandi ratione super Vicariis in huiusmodi Collegialibus Ecclesiis deputandis, positum tantummodo videatur in Episcoporum arbitrio Vicarium amovibilem seu potius perpetuum constituere. En praefatae sy-

nodi verba - ibi - « Beneficia ecclesiastica curata, quae ca-
« thedralibus collegiatis seu aliis ecclesiis vel monasteriis « beneficiis seu collegiis aut piis locis quibuscumque per« petuo unita et annexa reperiuntur, ab ordinariis locorum « annis singulis visitentur, qui sollicite providere procu« rent, ut per *idoneos Vicarios etiam perpetuos. . .* ibidem « deputandos animarum cura laudabiliter exerceatur ». Huiusmodi vero pastores animarum curae praepositos debere esse perpetuos eadem sancta synodus magis magisque confirmat *in Cap.* 13 *sess.* 24. *de Ref.* ubi expresse et districte decernitur Episcopis « pro tutiori animarum eis com« missarum salute, ut distincto populo in certas proprias« que parochias unicuique suum perpetuum peculiarem« que parochum assignent, qui eas cognoscere valeat et a « quo solo licite sacramenta suscipiant ».

Huiusmodi vero doctrinam de inamovibilitate Pastorum animarum curae atque saluti praeficiendorum nedum iuri sed eidem etiam rationi consonam esse monet S. Rota *in decis.* 53 *n.* 10 *et seq. cor. Peuting.* tradens Conc. Trid. *ideo perpetuos parochos exigit, ut oves suas cognoscere valeant: sunt enim pastores. . . . melius igitur suas oves dignoscent si perpetui sint, et non temporales, ut in his terminis dixit Rota decis.* 24 *de praebend. in novis. Praeterea cum sint patres dist.* 96 *cap.* 9 *non decet eos esse temporales. . . . Denique sicuti matrimonium carnale ad tempus non contrahitur , ita nec spirituale.* Quas iuris sanctiones de utiliori ut plurimum necessaria parochorum seu Vicariorum perpetuitate expendens atque commendans Barbosa *de offic. et potest. paroch. part.* 1 *cap.* 1 *num.* 43 *et* 44 haec ad rem animadvertit. « ibi » *sicut una mulier non potest duos vel plures sponsos habere nec unum corpus duo capita, quia esset monstrum, sic nec Ecclesia duos vel plures parochos sive curatos, et in una Ecclesia unus debet esse sacerdos, sponsus et rector, qui curam habeat.*

Quae cum ita sint, mirum non est, si praefatam doctrinam pluries firmaverit S. Rota et praesertim in *dec.* 52 *n.* 17 *et seq. p.* 2 *diversorum, et in Massanen. Iurisdictionis* 1 *Martii* 1610 *cor. Lugdun.* Sacrae vero Rotae doctrinae plausum iugiter fecit S. H. C. Concilii Tridentini interpres, ceu tam ex antiquis, quam ex recentioribus eiusdem resolutionibus patet. Sane in una *Nullius seu Montis Cassini* 26 *Ianuarii* 1726 mandavit in Ecclesia matrice et parochiali terrae Peschi Constantii, cuius cura per presbyteros eiusdem

Ecclesiae cumulative exercebatur, deputari parochum perpetuum praevio concursu eligendum. *In Sarnen.7 Iulii* 1731 executioni mandari iussit litteras S. Congregationis diei 3 Maii 1846 quas Episcopo dederat in haec verba: « Quoad « curam animarum Ecclesiae Cathedralis non probarunt « EE. PP. quod vage Capitularibus immineat, sed mandarunt alicui certae praebendae de consilio Capituli adiun« gi, vel vicariam inibi erigi perpetuam, ut subiectus po« pulus certum pastorem agnoscat » additis etiam coadiutoribus curae ex Canonicis. Perpetuum pariter Vicarium praefici iussit in *Castrimaris per summaria precum die* 17 *Dec.* 1825 pro cura animarum exercenda, quae penes Collegiatae Capitulum ex unione paroeciarum extabat. Nec aliter fieri voluit in *Narnien. Curae animarum* 5 *Septembris* 1846 pro cura quae in Collegiata S. Gemini a Capitularibus per turnum annualem exercebatur. Idem fieri decrevit in *Novarien. Curae animarum* 5 Iunii 1847 pro Collegiata loci *Intra* in qua cura turnatim pariter a Canonicis exercebatur. Vicarium tandem perpetuum eligi statuit in *Neapolitana Vicarii Curati Perpetui die* 26 *Iunii* 1875 pro Ecclesia Collegiata S. Ioannis Maioris , in qua cura animarum per Vicarium Curatum exercebatur singulis sex mensibus a Canonicis eligendum ex facultate ipsis impartita a fel. mem. Innocentio XII in vim Bullae diei 5 Ianuari 1692 quae incipit: *In supremae Apostolicae dignitatis.*

Hisce omnibus pro meo munere absolutis dignentur EE. VV. sequens dirimere

DUBIUM

An et quomodo curae animarum exercitio providendum sit in casu.

Affirmative per deputationem Vicarii perpetui ad formam iuris, facto verbo cum Sanctissimo.

Sess. 25 cap. 14 de Reform.

ANDRIEN. CONGRUAE PAROCHIALIS. = Referente H. S. O. Eminentissimo Praefecto SSmus decrevit die 23 Aprilis 1850 supprimendam ac perpetuo extinguendam esse habitualem ac actualem curam animarum, quae ab uno Capitulo Cathedralis principaliter super universa urbe Andriensi eiusque populo exercebatur et subsidiarie a Capitulo Collegialis Ecclesiae S. Nicolai eiusdem civitatis tamquam Coadiutore, atque super Paroecia Cathedralis sic extincta ac suppressa sex noviter erigendas et instituendas esse paroecias mandavit cum pleno iure Parochialitatis. Voluit autem congruam in annuo reditu *non minori ducatis biscentum* pro unoquoque Parocho designandam esse atque desumendam tum ex *redditibus massae choralis septem canonicatuum ex undecim vacantibus in Ecclesia Cathedrali quos* pro huiusmodi effectu suppressos declaravit, tum *ex reditu Pii Legati Ponza in annua tamen determinata summa ducatorum sexcentum.*

Huiusmodi decreto, cui Brevis Apostolici vis tributa fuerat, exequutioni demandato, dubitari coepit utrum parochi praeter ducatos nummos biscentum, participare etiam deberent prouti caeteri Canonici de reditu canonicatuum si qui forte vacassent, cum reditus omnes Capitulares in massa communi consisterent. Re ad S. O. delata una cum nonnullis aliis controversiis sub die 1. Aprilis 1860 decretum fuit *etiam praebendas assignatas pro congruis parochialibus participare debere proportionabiliter de augmento redituum massae in casu vacationis alicuius canonicatus.* Et reapse dum parochi asserebant duobus prioribus annis assignatam eis fuisse portionem ex huiusmodi vacationibus provenientem postea tamen denegatam, Canonici documentis nitebantur ostendere iugiter denegatam fuisse quia resolutionem S. O. eosdem latebat, exinde supplici libello expetierit Capitulum ut contra resolutionem ipsam dicendi facultas sibi fieret. Qua obtenta, cum inutilis inter partes concordia evasisset, quaestio haec proposita fuit in folio diei 28 Iunii 1873.

Capitulum itaque per adlectos Oratores contendit tunc Parochos participes fieri non posse de massa chorali praebendarum vacantium 1. quia congrua certa essa debet et certum proinde Capituli onus. Quod 2. magis obfirmabat

ex verbo *non minori* apposito in recitato decreto quod non incertam sed certam quantitatem designat. Eo vel magis 3. quia ipse Episcopus qui decretum provocaverat, dotem exquisivit *di ducati millecinquecento formanti il pieno delle sei congrue.* Fortius 4. quia portiones ex decreto suppressae, et minime parochis assignatae fuerant. Ac tandem 5. quia Episcopus ipse exiguam existimasset congruam ducatorum biscentum nisi *si prenda in considerazione che l'esercizio della cura debba valere come principale requisito per ottare al canonicato.* Quare si parochi participatione vacantium canonicatuum potirentur, eidem optare non valerent nisi duae participationes simul eisdem permitterentur. Neque 6. observare praetermisit, quod a Capitulo nonnisi quam determinata nongentorum scutatorum summa iugiter soluta fuit, et quod ex iniqua suppressionis lege eveniret ut Capitulo et curae animarum detrimento, fisco vero utilitati esset haec dispositio.

Contra haec ex officio afferebantur quae Episcopus Parochorum favore deduxit anno 1859, quique asserebat expostulasse a Pontifice pro Paroeciarum erectione suppressionem septem Canonicatuum *rispettivamente alle loro porzioni di Massa corale tenendo in considerazione il più ed il meno cui esse potrebbero eventualmente ascendere.* Quibus precibus benigne annuendo, subdit Pontificem determinasse septem portiones *sic dictae Massae choralis e certamente giusta la natura e tutte le contingenze della massa comune come si era da me supplicato.* Aequum deinde referebat ut Parochi de dictis portionibus participes fierent, quoniam ipsi exitus et omnia onera super dictis portionibus pro congrua assignatis tamquam coeteri Capitulares sustinere coacti sunt.

In tali rerum statu in supra memoratis comitiis habitis de mense Iunii 1873 sequens proposita fuit dubitandi formula *An et in qua summa parochi participare debeant de Massa Chorali in casu.* Emi Patres, qui in ipsa causae propositione moniti fuerunt Capitulum in ius a rapaci fisco vocatum fuisse pro parochialis congruae separatione, ne vulnus aliquod Ecclesiae bonis inferretur, attenta Capituli petitione, censuerunt rescribere *Dilata et scribatur Episcopo.* Mandatum S. V. O. sub die 4 Iulii eiusdem anni Episcopo patefactum fuit, qui insuper fuit admonitus, ut auditis partibus, referret: *An praefatae causae in*

alterutram partem decisio ipsimet Capitulo aut etiam Parochis e conspectu fiscalis raptoris vulgo demanio praeiudicium aliquod sit probabiliter allatura ob litem alteram quam in ipsum fiscalem raptorem peragere idem Capitulum agitur.

H. S. C. iussa faciens Episcopus, animi sensus partium interesse habentium, nulla interposita mora, exploravit ac die 25 Iulii anni 1873 pro impetranda dilatione ab utraque parte enixe expetita V. S. O. preces obtulit: *da mia parte appoggio questa comune aspirazione del Capitolo e dei Curati interessati, i quali stimano meglio usar prudenza contentandosi di una proporzionata dilazione.* Huiusmodi accepto responso S. C. sub die 9 Aug. rescriptum edidit. *Dilata iuxta votum Episcopi.* Res ita sese habebant, quando Episcopus sub die 6 Iunii anni 1874 novum libellum H. S. C. exhibuit, haec animadvertens. « Ora io vedendo che niente si conchiude dopo quasi un anno, fo « considerare che se si perda la lite che esso Capitolo « tiene col demanio per difendere la proprietà dei fondi « della Massa Capitolare, dovendosi per inevitabile imponenza delle leggi... venire a quello che chiamano *stralcio* « *di quote* Curate per assegnarsi in beni fondi le doti « per le congrue Parrocchiali, sarà sempre meglio sottrarre « da quella che chiamano *conversione* la spettanza di sette « Canonicati, che sottrarre l'equivalente a ducati novecento, « anzi affermandosi che sette Canonicati debbono impiegarsi per le Congrue Parrocchiali si potrebbe... facilmente riuscire a salvare un largo patrimonio in beni « fondi; ed il Capitolo sotto il titolo della Parrocchia potrebbe salvare per suo interesse qualche non lieve avanzo. « Credo poi cosa utilissima a fare sparire le gare, ad accrescere il credito ai Curati e ad avere più latitudine « per la scelta tra concorrenti, se i quattro Parrochi... i « quali debbono crearsi ancora, fossero ancora Canonici, « senza annullare la entità distinta del Beneficio Parrocchiale col proprio titolo; se così si facesse, la questione « d'interesse si potrebbe accomodare facilmente col dare « ai Parrochi la porzione canonicale, come l'hanno gli « altri Canonici oltre quello che traggono dal legato Ponza. « Una sola modificazione andrebbe fatta per i detti Arcipreti e Prevosto, i quali son sicuro che si contenterebbero rinunciare alla questione se loro si desse invece « della somma di ducati cento cinquanta, quota di nove-

« cento, come pretendono i Capitolari, la somma di ducati « duecento per ciascuno oltre quello che traggono per altri « capi..... Dovendosi poi venire al concorso e creazione « de' novelli Parrochi, io non so se la S. Sede riconosca « per impedimento a provvedersi sinora essi beneficii e « la pendenza della lite ed il non essere riconosciuto dal « governo l'acquisto che essi quattro Curati fecero del « Canonicato e quindi la prudenza dovuta usarsi avverso « la vigilanza dell'Economato dei beneficii vacanti ecc. »

Huic novo libello die 17 Iunii eiusdem anni denuo rescriptum fuit: « Eidem Episcopo qui auditis omnibus « interesse habentibus, referat an expediat controversiam « dirimere seu potius ulterius deferre, et quidnam obiici « posset ne Parochi, prout proponitur, inter Canonicos « adnumerentur et praebendam caeteris parem conse- « quantur. » Episcopus V. S. O. morem faciens deductiones a contendentibus partibus sibi oblatas die 11 Augusti remisit. Porro ex huiusmodi documentis patet quod licet Capitulum nullum impedimentum opponat quominus causa ab EE. PP. modo dirimatur cum lis contra fiscum vulgo *demanio* peracta, quem Parochi pro respectivis quotis obtinendis excutere deberent, malum exitum irreparabiliter habuerit; totis tamen nervis contendit Parochos inter Canonicos non esse recipiendos. Parochi ex adverso effusis precibus efflagitant ut quamprimum controversia haec a V. S. O. dirimatur, *giacchè il demanio ci urta per lo stralcio*. Quas parochorum preces Episcopus favore suo prosequitur et EE. PP. commendat, ad pericula avertenda quae ex ulteriori repropositionis causae dilatione bonis ad Paroecias pertinentibus imminere possent. *Da ultimo prego Vostra Eminenza per la sollecita definizione della lite giacchè potrebbe farsi pericolo ai beni spettanti alle Parrocchie.* In hypothesi vero quod causa parochorum votis arrideret, Episcopus postulat, ut ipsis ab H. S. C. onus imponatur instituendi novas ecclesias auxiliarias, quae cum ob locorum distantiam tum etiam ob fidelium numerum qui in dies augescit necessariae evadunt. « Che se la Sacra Con- « gregazione deciderà come credo, a favore dei Parrochi « farebbe cosa richiesta dal bisogno delle aumentate figlia- « nie se accennasse allo stabilimento di più succursali che « vedo necessarissime in considerazione delle distanze e del- « la numerosità della sempre crescente popolazione. Ciò sa-

« rebbe facilissimo per le quattro Parrocchie vacanti ». Huiusmodi habito die 18 Augusti anni 1874 responso, S. H. C. rescribere censuit: *Reproponatur in folio et notificetur Episcopo causam proponendam esse in pleno Eminentissimorum Patrum Consessu ideoque moneat partes eisque praefigat congruum terminum ad deducendum, quatenus velint, ulteriora iura sua coram Sac. Congregatione, et de resultantibus referat.*

De superiori H. S. C. rescripto utrisque partibus commonefactis, Episcopus eisdem constituit congruum tempus ad ulteriora rationum momenta deducenda, quae ab ipsis reapse exhibita die 20 Octobris eiusdem anni ad S. V. C. ab Episcopo transmissa sunt. Res sic se habebant quando Episcopus sub die 18 Dec. 1874 novum libellum S. H. C. exhibuit efflagitans, ut controversiae decisio suspenderetur, quia lis perempta iam erat in vim concordiae, in quam partes contendentes die 8 Novembris anni 1874 sponte convenerant. Novis hisce precibus porrectis S. C. rescripsit die 21 Ianuarii anni 1875: *Eidem Episcopo qui transmittat copiam instrumenti diei* 8 *Novembris proxime praeteriti.* Porro huiusmodi transactio ab Episcopo H. S. C. transmissa ad hoc ut lis de medio tollatur ita se habet: « Siccome per le tante vicissitudi-
« ni dei tempi ed altre circostanze il Reverendo Capitolo
« avea pagato ai Parrochi solo degli acconti sulla quota
« dei sette canonicati, così nella su citata convenzione per
« Notar Guglielmi, si è tutto definito, transatto e deter-
« minato l'interesse esistente tra Capitolo e Parrochi dal-
« l'istituzione delle Parrocchie sino al 31 Dicembre 1874,
« rinunziando i suddetti Parrochi a favore del Capitolo
« tutti i diritti che potessero vantare contro il demanio
« sino a tutto dicembre 1874 sopra i sette canonicati de-
« stinati loro per congrua, rimanendo i contraenti piena-
« mente contenti e soddisfatti. Volendo ora il Reverendo
« Capitolo ed i Parrochi fissare per l'avvenire una base
« di coscienza e di giustizia su quanto debba essere la
« dote annua delle Parrocchie, ambe le parti contraenti
« dichiarano e convengono che debba essere il reddito di
« sette porzioni della Massa Canonicale. La determinazio-
« ne del demanio a congrua delle sei parrocchie e di ren-
« dita iscritta sul Gran Libro e di beni in natura (nel
« caso che riuscisse pingue e copiosa come auguriamo)

« giammai sarà tenuta per criterio e norma a seguirsi « nel determinare quanto debbano prendere i Parrochi « delle sette porzioni della Massa Canonicale, ma invece « si adoprerà l'autorità ecclesiastica, cui spetterà il diritto « a norma del decreto Pontificio ed in corrispondenza « dell'intero reddito dei sette canonicati determinando il « quantitativo da erogarsi ai Parrochi e Canonici. Le spe- « se occorrenti per la liquida della Congrua Parrocchiale « saranno a carico del Capitolo. Il Capitolo continuerà « a pagare ai Reverendi Parrochi l'assegno provvisorio men- « sile di lire trentotto e centesimi 25 per ogni Parroco « sino al trentuno dicembre 1874, perchè non si è tenuto « conto o calcolo nell'istrumento di transazione. Dal 1875 « in poi continuando il Capitolo a percepire dal demanio « l'assegno provvisorio di lire cinque mila, il suddetto Ca- « pitolo continuerà ai medesimi Parrochi la detta rata in « lire trentotto e centesimi 25 sino a che i Parrochi non « saranno immessi nelle loro congrue. Però questi men- « sili erogati dal Capitolo ai Parrochi dal Gennaio del 1875 « in poi, saranno escomputati sulle somme che lo stesso « Capitolo deve ai Parrochi in forza del precitato istru- « mento pubblico, rimanendo fermo che l'intero reddito « delle sette porzioni della Massa Canonicale, il di cui « quantitativo rispetto alle congrue sarà determinato dal- « l'autorità Ecclesiastica, debba spettare ai Parrochi dal « 1 Gennaio 1875, ed il resto, se vi sarà, rimanere al « Capitolo ».

Quae cum ita sint utrum concordia servanda sit, seu potius causa in merito quae adhuc pendet, definiri velit, diiudicent EE. VV. quibus pro meo munere propositum remitto diluendum.

DUBIUM

An et in qua summa Parochi participare debeant de Massa chorali in casu.

Provisum per concordiam diei 8 Novembris 1874.

Sess. 24 cap. 18
Sess. 25 Cap. 12
et 13 de Reform.

PLATIEN. IURIUM ET PRAEEMINENTIARUM. = Proposita haec causa fuit in Congregatione diei 15 Februari huius anni sub hac dubiorum formula I. *An Parocho ius competat deputandi alium Sacerdotem praeter Hebdomadarium et Communistas ad sacras functiones peragendas in casu:* – II. *An vacante Paroecia Oeconomus deputatus, seu potius Hebdomadarius succedat in iura et praeeminentias praedefuncti Parochi in casu:* – Et quatenus affirmative ad primam partem, negative ad secundam – III. *An in funeribus et processionibus solemnibus cum interventu Communistarum ad Oeconomum licet extra Communistas electum, seu potius ad Hebdomadarium competat incedere cum stola in loco digniori in casu:* – IV. *An ius competat Episcopo moderandi quolibet tempore Statuta Ecclesiae Communistarum in casu:* – V. *An et cuius favore cedat pecuniae summa quae a Mazareni Communitate loco decimarum solvitur in casu:* – VI. *An ius competat Communistis deferendi Almutiam super Cottam in casu:* – Et quatenus negative – VII. *An praevia Communistarum petitione sit locus concessioni dictorum insignium in casu* –. Quibus EE. PP. rescribere censuerunt: – Ad I. *Negative et amplius:* – Ad II. *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam quoad iura et functiones parochiales tantum:* – Ad III. *Iterum proponatur:* – Ad IV. *In accidentalibus affirmative, in substantialibus negative:* – Ad V. *Affirmative favore massae Communistarum, ita tamen ut ex eadem summa praelevandum sit supplementum favore Parochi, quatenus hodierni eiusdem reditus iudicio Episcopi non sint amplius congrui:* – Ad VI. et VII. *Nihil innovetur, facto verbo cum SSmo* –.

Instante itaque Communistarum Procuratore pro solutione controversiae in tertio dubio propositae, quam EE.PP. per enunciatum rescriptum reproponendam esse mandarunt, humiliter exoro ut insolutum dignentur diluere.

DUBIUM

An in funeribus et processionibus solemnibus cum interventu Communistarum ad Oeconomum licet extra Communistas electum, seu potius ad Hebdomadarium competat incedere cum stola in loco digniori in casu.

Affirmative ad primam partem, negative ad secundam in funeribus et processionibus parochialibus tantum.

Die Sabbati 21 Iunii 1879 in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua praeter alia proponentur infrascripta Dubia, iuxta morem eiusdem Sacrae Congregationis de iure resolvenda.

—

ROMANA REINTEGRATIONIS. = Reverendus Sacerdos Ioannes Angelus Magnoni Ecclesiae Collegiatae sub titulo S. Eustachii de hac Alma Urbe Canonicus, ut praefatae Ecclesiae perpetuum suae pietatis atque dilectionis testimonium relinqueret, novissimo quo decesserat elogio sub die 21 Martii anni 1716 Capitulum dictae Ecclesiae, Canonicosque pro tempore universales fiduciariosque vocavit haeredes ea tamen sub lege « Che di tutta la mia intiera eredità si debba erigere un Canonicato perpetuo « in detta Collegiata di S. Eustachio con la denominazio« ne di Canonicato Magnoni. » Atque huius Canonicatus reditus, ut magis magisque augerentur in dies sub haeredis Capituli tutela sequentia decrevit.

Sess. 24 cap. 12 de Reform.

« E per conseguire un tal fine, cioè che di tanto in « tanto vada crescendo il capitale di questo Canonicato, « e che ancora al Canonico pro tempore vadano crescendo « le sue entrate mensuali di questo Canonicato, voglio che « dopo che sarà seguita la mia morte, si mettano a mol« tiplico tredici delli miei luoghi di Monti S. Pietro, quinta « Erezione, e che ogni Bimestre in perpetuo siano pun« tualmente depositati li frutti di essi Monti al Banco di « S. Spirito; e quando al detto Banco vi saranno li de« nari abbastanza da poter comprare un luogo, o pure un « mezzo luogo di Monte Camerale e non vacabile, voglio « che dal detto Canonico pro tempore, con ordine dell'E« rede, sia subito comprato, perchè sempre in tali casi ne « verranno due beni, cioè al detto mio Canonicato verrà « sempre crescendo la dote, ed al Canonico pro tempore « verrà sempre crescendo il frutto del suo Canonicato.

« Tutti li residui ancora dell'entrata di questo Cano« nicato, che si troveranno inesatti dopo la morte di ogni

« Canonico pro tempore unitamente con tutto quello, che « frutterà il Canonicato istesso in tutto il tempo di ogni « vacanza, sino al giorno che prenderà il possesso il Ca- « nonico nuovo pro tempore, voglio che tutto sia sempre « riscosso e depositato al Banco di S. Spirito e a suo tem- « po impiegato il denaro in benefizio della dote e fondo « di questo Canonicato come sopra.

« Se qualcuno delli detti Canonici Magnoni pro tem- « pore avesse mai qualche impiego o carica fuori di Roma « e che per tal causa gli convenisse di vivere assente da « questo Canonicato. . . . ordino e voglio che delle rendite « di questo Canonicato se ne debbano fare in tali casi tre « parti eguali, cioè, una parte ecc. una parte voglio che re- « sti libera da ogni peso al detto Capitolo da ripartirsi ecc. « e l'altra terza parte voglio che si faccia depositare al Ban- « co di San Spirito di Roma a credito di questo Canonicato, « per doversi a suo tempo impiegare in benefizio ed ac- « crescimento della dote e fondo di questo Canonicato come « sopra. » Licet Capitulum *post maturam discussionem Testamenti a bo. me. Canonici Ioannis Angeli Magnoni conditi* haereditatem adiverit cum omnibus illis conditionibus, quas eidem in tabulis testamentariis adiicere placuit, eas tamen executioni mandare neglexisse exponit Canonicus Aloisius Ciocchetti actualis Canonicatus Magnoni possessor supplici dato H.S.O. contra Capitulum libello sub die 12 Martii 1878. Quandoquidem bonorum Canonicatus Magnoni administratione penes Capituli Camerarium manente, non levem iacturam eadem passa esse exponit. Hoc sane in libello prae primis queritur quod ad tramites fundationis pecuniae summa scutorum 61 et obulorum 17 a Capitulo neque ipsi exhibita neque investita fuerit. Ea propter eamdem a die initae possessionis nempe ab anno 1859 sibi persolvendam esse contendit, adiectis fructibus in singulis annis ab huiusmodi pecuniae vi provenientibus: « La quale somma, sic ait Ora- « tor, fu prima indebitamente ripartita fra i Canonici, e « di poi riversata nella cassa Capitolare coll'obbligo di rin- « vestirla a favore del Canonicato Magnoni, lo che non fu « mai fatto ».

Nec satis, cedulam redditus vulgo *consolidato* ex canonicatus Magnoni pecunia comparatam sibi a Capitulo deberi urget. Enarrat enim: « una grave irregolarità si ri- « scontra nel mandato di pagamento per scudi 109 nel

« quale il Canonico Illuminati Camerlengo ed Amministra-
« tore del Canonicato Magnoni dichiarava, che detta som-
« ma fu rinvestita in consolidato come dalla Cartella, alla
« quale ecc. Ora questa cartella non era fra quelle, che
« mi consegnò il Capitolo nel 1865 colle carte relative al
« mio Canonicato, dal che debbo argomentare che restò
« presso il Capitolo medesimo. E che sia così, me ne per-
« suade ciò, che scrisse il Canonico Fattori che cioè nel 1859
« il Canonico D. Pacifico Illuminati partecipò di tutto suo
» pugno all'Emo Titolare, che la rendita del Canonicato
« Magnoni consisteva in scudi 127 Consolidato ed in scu-
« di 1508 frutti del Censo di Rieti. Se dunque nel 1859
» il Capitolo dichiarò officialmente che la rendita Consoli-
« data era di scudi 127 come è che nel 1865 mi conse-
« gnò la Cartella per la sola rendita di scudi 122? La dif-
« ferenza di scudi cinque è appunto la rendita della Car-
« tella indicata dal Canonico Illuminati nel mandato di
« pagamento che a me non fu consegnata. »

Post haec tertio loco Canonicus Ciocchetti damnorum emendationem a Capitulo expostulat ob Capituli negligentiam in suo fungendo munere propter quam Canonicatus ipse bonorum non levem diminutionem persensit. Audiantur sane ea quae Orator ad rem refert: « Se il Capitolo,
« erede confidenziale, avesse sempre sorvegliato, acciocchè
« gli annui rinvestimenti fossero eseguiti colla stessa rego-
« larità; il mio Canonicato avrebbe avuto nel 1859 una
« rendita assai maggiore di scudi 122.

« E qui mi piace rammentare, che quando feci i miei
« rinvestimenti, i quali portarono l'aumento di rendita in
« annui scudi 32. 14 richiesi sempre al Capitolo (come pre-
« scrive il Testatore) l'ordine ai ministri del S. Monte di
« Pietà. Come dunque lo stesso Capitolo avendo esercitato
« con me quest'atto doveroso di sorveglianza, cooperò al-
« l'aumento della rendita di scudi 32. 14 da me fatta in
« 17 anni: così se avesse egualmente sorvegliato nei Ca-
« nonici miei antecessori, avrebbe potuto portare per que-
« sto solo titolo l'attuale rendita di scudi 122 ad una som-
« ma favolosa. Si calcoli infatti il rinvestimento del molti-
« plico di annui scudi 39 frutti dei 13 luoghi di Monte
« che si sarebbe dovuto fare dal 1716 al 1821 nel quale la
« somma di scudi 39 fu convertita in Consolidato di scu-
« di 20. 74 come risulta dai Registri del debito pubblico

« in data 7 Dicembre 1821 al n. 3535 e si sarebbe avuto
« un capitale di scudi 4446 che al 3 per 100 avrebbe
« dovuto un frutto annuo di scudi 133. 38. Si calcoli poi
« il rinvestimento, che si sarebbe dovuto fare cogli annui
« depositi di scudi 20. 74 dal 1822 al 1859, e si sareb-
« be avuto un capitale di scudi 777. 58 che al 5 per 100
« avrebbe dato un annuo frutto di scudi 38. 37. Riunendo
« ora le due cifre avremmo un totale di scudi 177. 75,
« rappresentante la rendita del mio Canonicato pel solo
« titolo del regolare moltiplico sino al 1859. A questo to-
« tale aggiungendo scudi 32. 14 frutti dei rinvestimenti
« da me fatti dal 1859 al presente; la rendita del mio
« Canonicato sarebbe, pel solo moltiplico, della somma di
« scudi 209. 89 che unita ai scudi 15. 08 del Censo,
« ascenderebbe a scudi 224. 95.

« Nè qui termina il calcolo da farsi per conoscere la
« vera rendita, che oggi avrebbe il mio Canonicato qua-
« lora si fossero eseguite le prescrizioni del fondatore. È
« noto che la rendita dei 42 luoghi di Monti S. Pietro la-
« sciati dal Testatore ascendeva a scudi 126. Si sa che i
« fondi stabili nello stato, in cui li lasciò il Testatore,
« danno una rendita assai rilevante. A ciò si aggiunge-
« vano le rendite pendenti alla morte di tanti Canonici
« Magnoni, e quelle che si verificarono durante le vacanze
« le quali tutte formanti parte della dote eventuale sta-
« bilita dal Testatore, dovevano depositarsi e rinvestirsi
« in aumento del fondo e della dote del Canonicato. In
« tutto ciò ciascuno può facilmente immaginare, quanto
« superiore alle rendite dei Canonici di massa sarebbe
« ora il Canonicato Magnoni, il quale avrebbe di molto
« superato la preveggenza del Testatore quando scrisse che
« la incorporazione alla massa del suo Canonicato si sa-
« rebbe fatta per maggiore utile borsale dei Canonici.

« E perchè non mi si dia la taccia di esagerazione,
« riporterò ciò che si legge in uno scritto, che il Capitolo
« mi consegnò insieme alle altre carte riguardanti il mio
« Canonicato. Ivi, esposto lo stato miserabile in cui erano
« ridotti i fondi Cannara nel 1724, si dimanda: *Perchè*
« *gli eredi Canonici non vigilarono lo stato dei fondi durante*
« *la vita della usufruttuaria sorella di Gio. Angelo Ma-*
« *gnoni? Se essa dovea averne l'uso, era tenuta ai risarci-*
« *menti e riparazioni necessarie. Perchè dunque permettere*

« *tanta indolenza da ridurre nel breve spazio di otto anni* « *tutti i fondi di Cannara nello stato di tale decadenza, da* « *mendicare perfino a stento un oblatore che volesse offerire* « *un vilissimo Canone?* Ed estendendo le osservazioni fino « al 16 Aprile 1734 conclude: *Sotto qualunque aspetto vo-* « *gliasi riguardare l' amministrazione della eredità Magno-* « *ni tenuta tanto per parte del Rm̃o Capitolo, quanto per* « *parte dei Canonici investiti, devesi ritenere come mano-* « *messa sotto ogni rapporto in pregiudizio dei futuri chia-* « *mati. Con ragione dunque potrà l' attuale investito levare* « *in alto la voce, chiamando dilapidatori coloro, per fatto* « *dei quali sia perduto sopra i soli fondi di Gualdo Gat-* « *tano la somma di scudi 250 di capitale. . . .*

« Su queste antiche declamazioni mi sia permesso di « fare la seguente osservazione. Se il Canonico Magnoni nel « 1724 poteva con ragione alzare la voce per querelarsi dei « dilapidatori, avea almeno il conforto della sussistenza dei « fondi, i quali sebbene manomessi potevano pure miglio- « rarsi. Cosa dunque dovrò dire io, conoscendo che i soli « fondi di Cannara furono venduti per soli scudi 500? « Eppure questi consistevano in una casa urbana di 12 « stanze, in altra casa rurale con stalla e palombara e « pozzo ed in tre corpi di terreno nella misura comples- « siva di 130 staia, ossia metri quadrati 42,759. 20! Ave- « vano poi questi terreni per soprassuolo 1477 alberi da « sostenere viti, e 1546 viti sostenute da alberi, 105 al- « beri da frutto, ed 85 alberi da foglia per Buoi. Ora se « i soli alberi ammontanti a 6420 si fossero venduti al « miserabile prezzo di bai. 10 l' uno, si sarebbero incas- « sati sc. 6420!!! E delle due case? E delle 130 staie di ter- « reno cosa avvenne?

« E qui cade in acconcio osservare, che la esistenza « di una stalla in un fondo rurale ed il soprassuolo di 85 « alberi per Buoi ci fanno vedere che il Canonico D. An- « gelo Magnoni avea nei fondi rustici anche un capitale « di bestiame bovino, il quale nel calcolo testè fatto scom- « parisce senza prodotto, come scompariscono le case ed i « terreni. Nè si dica che i fondi avessero deteriorato ne- « gli ultimi anni, in cui visse il Canonico D. Angelo Ma- « gnoni, perchè nel Marzo 1715 in cui il Magnoni scrisse « il testamento, i fondi erano nello stato florido da lui « descritti: ed essendo egli morto nel novembre 1716,

« non si può supporre che in sì breve spazio e sotto i « propri occhi i fondi avessero deteriorato. Rifugge l'ani- « mo nel rammentare tanta manomessione ! ! »

Post huiusmodi rerum factorumque enumerationem Orator concludit: « Persuaso pertanto di avere diritti da « rivendicare pel mio Canonicato ed avendo sperimentato « inutilmente le private ed autorevoli trattative col Capi- « tolo; mi rivolgo alle EE. VV. RRme, implorando quanto « sono per domandare. »

« 1° Qualora il Capitolo non possa giustificare il rin- « vestimento della somma di scudi 61. 17 ho il diritto di « ripetere dal medesimo detta somma con i relativi frutti « da calcolarsi dal Giugno 1859, epoca del mio possesso, « fino al giorno in cui sarà decifrata la presente que- « stione.

« 2° Perciò che riguarda la Cartella Consolidata; nella « quale il Canonico Camerlengo del Capitolo ed Ammi- « nistratore del Canonicato Magnoni in data 8 Luglio « 1842 . . . . scrive d'avere investito scudi 109. 42, de- « positati al S. Monte di Pietà a favore del Canonicato Ma- « gnoni; siccome detta Cartella non è compresa fra quel- « le che il Capitolo mi consegnò, così ho il diritto di ri- « peterla dallo stesso Capitolo insieme ai frutti sin dal- « l'epoca del mio possesso.

« 3° Risultando dagli Atti che il Canonico Magnoni, « oltre i redditi dei beni stabili percipiva annui scudi 126 « dai 42 luoghi di Monti lasciati da Gio: Angelo Magno- « ni e considerando, che per avere omesso il Capitolo di « sorvegliare, che dal 1716 all' anno 1859 si facessero fe- « delmente gli annui rinvestimenti dei tredici luoghi di « Monti, ossia nella somma di scudi 39, ossia in quella di « scudi 20. 74 diè causa ad una sensibile diminuzione « della rendita del mio Canonicato, la quale sarebbe oggi « tale da poter raggiunger lo scopo del fondatore nella in- « corporazione fra i Canonici di Massa, ho il diritto di « ripetere dal Capitolo un compenso, secondo il giudizio, « che emetteranno i Superiori.

« 4° Vi saranno poi da calcolare le somme che dal 1716 « all' anno 1859 furono incassate nelle molte vacanze av- « venute le quali a senso del Testatore si dovevano met- « tere in deposito, per poi investirle in accrescimento del « fondo e della dote del Canonicato Magnoni. »

Oblatum libellum de disciplina H. S. C. sub die 12 Martii 1878 ablegavi Eмo Diacono pro informatione et voto, audito Capitulo in scriptis. Mandatis H. S. C. obsequens Eмus Diaconus, die 31 Maii eiusdem anni sequentem informationem transmisit, quam EE. VV. oculis subiicere operae pretium duxi. « Non è la prima volta che questa S. Congre-« gazione è chiamata a decidere sulle vertenze relative al « Canonicato Magnoni, ed in questi anni, da che ritengo la « Diaconia di S. Eustachio nelle Congregazioni del 18 Feb-« braio e 6 Maggio 1865 furono discussi e definiti più « dubbi sotto il titolo *Romana Praecedentiae Iurium et Emo-« lumentorum Canonicalium;* e successivamente il Canonico « Ciocchetti affacciò dei crediti suoi particolari e della pre-« benda contro Monsig. Valenziani Vescovo di Fabriano e « suo predecessore nel possesso del Canonicato Magnoni, « crediti de' quali si trattò nella Congregazione del De-« cembre 1873 sotto il titolo – *Romana Absolutionis*. –

« Venendo all' attuale domanda del Canonico Cioc-« chetti subordinatamente osservo, non sembrarmi giuridi-« camente sostenibile l' assunto di risalire col conteggio « dei crediti ad oltre un secolo e mezzo ossia al 1716 « e di richiamare in esame la vendita dei beni posti in « Cannara, ed il relativo rinvestimento, atti avvenuti nel 1761 « come pure le vicende che subirono i luoghi di Monte « sul finire del passato secolo e sul principiare del pre-« sente. Posti da parte tali antiquati titoli di pretesi cre-« diti per danni ed omissioni, rimangono i pretesi cre-« diti per fatti meno remoti, ma che pure rimontano a « molti anni fa, nel qual tempo uno o due soltanto de-« gli attuali Canonici facevano parte del Capitolo. Nasce « qui la questione se l'attuale Capitolo o Ceto dei Cano-« nici di massa, sia tenuto giuridicamente, quando anche « sussistessero in fatto le cose allegate. Mentre non sem-« bra così facile l' assunto di rendere responsabile il Capi-« tolo attuale, se un Canonico trenta e più anni fa com-« mise una negligenza a carico della prebenda Magnoni « e se versò nelle casse Capitolari e distribuì fra Colleghi « di quel tempo, ora quasi tutti defonti, alcune somme che « fossero appartenute alla detta prebenda.

« Inoltre per constatare il fatto e per conoscere se « da questo fatto i Canonici d' allora ne avessero utile,

« occorrerebbero delle indagini ed una specie d' investiga-
« zione legale computistica, e forse per tal modo si rin-
« verrebbero elementi da porre in chiaro le cose.

« Pur troppo verso il 1859 ritenni di disporre che si « redigessero i stati dei beni e degli usi relativi ai Cano- « nicati e Benefizi, che erano in S. Eustachio, affinchè se « ne conservasse la memoria ed avendo inteso delle va- « ghe voci sulla poco accurata amministrazione dei tempi « passati e di alcuno che non era più fra i viventi. Mi « furono esibiti dei fogli relativi a tali stati, che sembra- « mi avere restituito per essere conservati in Archivio « nell' allegato n. 3 alle memorie Ciocchetti. Se in quel « tempo e in quella circostanza si fossero mosse le que- « stioni attuali, sarebbe stato molto più facile il definirle ».

Hoc habito responso, sub die 31 Decembris superioris anni sequens edidi rescriptum : « Ponatur in folio et « notificetur Emo Diacono qui moneat partes causam di- « sceptandam esse in plenario EE. PP. consessu eisque prae- « figat congruum terminum ad deducendum iura sua, ac « de resultantibus certioret. » Omnibus itaque rite expletis, cum causa in hodiernis plenariis comitiis discutienda pro- ponatur sub dubiorum formula in calce relata, mei mu- neris ratio postulat, ut rationum momenta exponam, quae scriptis exarata a partibus seorsim mihi exhibita fuerunt, nonnullis interdum in iure ex officio animadversis.

Ad primum dubium quod spectat preces Canonici Cioc- chetti optimo iure inniti videntur. Explorati siquidem fa- cti est, quod Canonicus Illuminati, qui curatoris pecuniae capitularis munus obibat atque Canonicatus Magnoni ad- ministrator a Capitulo iterum deputatus fuerat ab anno 1836 ad annum 1843 scutorum 88 summam quae ad Canonica- tum Magnoni pertinebat a quibusdam Canonicis recepit, qui huiusmodi summam inter se indebite distribuerant. Explorati pariter facti est, quod demptis scutis 26 et obulis 80, reliqua summa scut. 61 ab eodem Canonico Ad- ministratore, favore Canonicatus Magnoni haud investita fuerit, licet id in votis ipsi fuisset. Patent haec omnia ex quibusdam notulis, quae inter cetera documenta capitularem gestionem respicientia, post mortem Canonici Administra- toris reperta sunt. Porro huiusmodi summam a Capitulo in praesentiarum rependendam sibi esse ait Canonicus Ciocchetti, sive ea in capsae capitularis augmentum versa

sit, sive penes ipsum Canonicum administratorem haud investita remanserit. Si primum res adeo patula est, ut ad eam evincendam pluribus uti argumentis supervacaneum prorsus esse videatur, cum tralatitium in iure sit *Locupletari neminem debere cum alterius iniuria vel iactura ex Reg.* 48 *Iuris in* 6. cui concordat altera *ex L. iure naturae* 206 *ff. de Reg. Iur.* hausta – ibi – « *Iure naturae aequum est neminem cum alterius detrimento et iniuria fieri locupletiorem* ». Si vero secundum, idem redibit sermo cum canon iuris sit quemlibet mandantem de procuratoris vel mandatarii facto a se constituti tamquam de proprio obligatum teneri. Sane iuris axioma est, quod *qui facit per alium, est perinde ac si faciat per seipsum ex Reg.* 72 *de Reg. Iur. in* 6. Cum itaque Capitulum pro bonis Canonicatus Magnoni administrandis selegerit Canonicum Illuminati; sponte sua sequitur, ipsum Capitulum de eiusdem Canonici administratoris actibus respondere necessum esse. Factum quippe vel negligentia mandatarii in ipsum mandantem recidere debet, quatenus maiorem ipse diligentiam non adhibuerit in procuratore sui muneris magis sollicito, magisque idoneo sibi eligendo. Quin regerere valeat quod in hac secunda hypothesi excutiendi essent haeredes Administratoris Illuminati. Hoc siquidem munus ad Canonicum Ciocchetti haud pertinere videtur; sed ipsis Capitularibus verius incumbere recta ratio dictat, cum notum sit Canonicum Illuminati de ipsius Capituli mandato huiusmodi Canonicatus administrationem suscepisse.

Perperam itidem, prosequitur, Capitulares ad praescriptionem recursum facere videntur, sub spe huiusmodi iurium vim et efficaciam infringendi. Tantum enim temporis spatium haud elapsum est, quod ad inducendam praescriptionem a sacris Canonibus requiritur. Porro explorati facti esse videtur quod etsi Canonicus Ciocchetti sui Canonicatus possessionem anno 1859 nactus fuerit: administrationem tamen penes Capitulum usque ad annum 1865 permansisse haud ambigendum esse patet, eo quia omnia documenta tituli atque nomina huiusmodi canonicatum respicientia a Capitulo usque ad hunc annum penes seipsum retenta sunt. Verumtamen dato etiam et non concesso quod tempus ad praescriptionem inducendam idoneum decursum fuerit; nihilominus Capitularium conditio et causa melior haud evadit; vulgatum siquidem in iure

est quod *contra non valentem agere non currit praescriptio arg. Cap. 1. iuncta l. 1. C. de Annali exception.* Quod autem Canonicus Ciocchetti ad praetensam praescriptionem interrumpendam agere haud valuerit, ex superius expositis manifestum erumpit; tituli enim et nomina et si quae aderant documenta Canonicatum Magnoni spectantia ab eodem Capitulo usque ad annum 1865 omni studio et cura caute custodiebantur, ne in cognitionem eius veniret, qui unice interesse habebat quominus laudata praescriptio procederet. Quamquam praeter adducta et alia desiderantur ad legitimam praescriptionem requisita, inter quae primum locum tenet bona fides, qua deficiente praescriptio nullo pacto procedere potest. Ita Abbas *Cap. ult. in Summario h. t.* ac Theologi et Canonistae communiter. Hinc *in Reg.* 2 *Iur. in* 6 absolute dicitur: *Possessor malae fidei ullo tempore non praescribit.* In themate vero bonam fidem frustra requiris penes Capitulares, qui in persona Administratoris ab ipsis constituti, aperte fatentur se esse debitores et retentores certae et determinatae summae, quam indebite perceperant ii quibus incumbebat munus protuendi augendi servandique beneficii redditus.

Quae cum ita sint, concludit Canonicus Ciocchetti, praedictam summam sibi deberi, eamque, loco defuncti administratoris et mandatarii, a Capitulo mandante sibi esse rependendam. Idque eo vel magis quia in persimili casu haud aliter se gessisse autumat Canonicos, prouti erui datur ex resolutione capitulari diei 15 Maii 1836 et ex altera diei 18 Ianuarii 1847. Porro ex duabus hisce resolutionibus manifestum erumpit quod Canonici illius temporis, praeter distributiones inter praesentes, et alia emolumenta portioni itidem eleemosynae missarum canonicalium sponte sua nuncium miserunt, ut quaedam nomina et credita indebite distracta atque censum Marucchi in pristinum restituerent.

Quin obsit quod successor in beneficio non repraesentat personam praedecessoris defuncti, sed habet ius novum in persona propria a Papa vel ab Ordinario creatum. Huic siquidem obiectioni respondet praeprimis actor quod Capitulum numquam moritur sed semper est unum et idem, quamvis omnes Canonici deficerent iuxta Card. De Luca *disc.* 12 *num.* 4 *disc.* 77 *num.* 7 *de Emphyt., et disc.* 35 *num.* 29 *de Cred. disc.* 9 *num.* 8 *de*

Canon., disc. 28 *num.* 10 *de Paroch.* et alibi quam saepissime. Si itaque iuxta Card. De Luca sententiam Capitulum numquam deficit, sed est semper unum et idem licet omnes Canonici defecerint, ex hoc sequitur quod obligatio quae Canonicos tempore institutionis canonicatus Magnoni viventes obstringebat, ad actuales quoque Canonicos extendi debeat, qui in illorum iura et onera cum conditionibus omnibus a Canonico Magnoni ex testamento impositis successerunt.

Quam rem ut magis magisque confirmet ad decretum a S. Visitationis Congregatione sub die 20 Septembris 1875 datum recurrit. Sane cum compertum fuisset quod 4890 numero Missae, quarum eleemosynam Capitulum perceperat, celebratae haud fuerint, praedicta S. C. posthabita quavis distinctione atque differentia, quam inter praedecessores et successores faciendam esse adversarii insinuant, decernere censuit, ut universum Capitulum obsumptam pecuniae summam eleemosynarum Missarum, per Camerarium rependeret. Decreti particula quae ad rem facit, sic se habet : « Eleemosyna Missarum 4890 a Ca-
« pitulo percepta deponi debet per Canonicum Camera-
« rium apud Secretariam S. Congr. Vis. Apostolicae men-
« struis ratis libellarum 40 incipiendo a mense Novem-
« bris huius anni ». Porro si S. Visitationis Congregatio onus Missarum eleemosynam persolvendi Capitulo universo indistincte adiecit, nullo habito respectu ad eos Canonicos qui licet eleemosynam perceperint, de Capitulo modo amplius non sunt, vel supremo fato cesserunt: idem in themate tenendum esse nemo inficiari audebit.

Tandem nec regerere valet ut ait Capitulum quod si Canonicus Ciocchetti « avesse tenuto regolarmente il Capitolo
« di Maggio (in quo iuxta voluntatem fundatoris testamen-
« tum quotannis perlegendum est, ne bonorum Canonicatus
« memoria amittatur) avrebbe avuto subito risposta alle
« sue ingiuste pretese e soltanto contro di esso deve in
« conseguenza valere l'Art. 32 del testamento Magnoni,
« il quale ordina che il possessore del Canonicato ne re-
« sti privato senza purgazione di mora, come reo d'in-
« gratitudine, qualora manchi in tutto od in parte a ciò
« che riguarda la conservazione del Canonicato ». Huiusmodi enim obiectioni super onere lectionis testamenti quotannis mense Maio faciendae Canonico Magnoni imposito,

Orator opponit decretum S. Visitationis die 7 Martii 1865 datum, quo praemissa sanatione quoad praeteritum a Summo Pontifice super omissionibus benigne indulta, quoad futurum cautum fuerat ut res arbitrio praedictae S. Congregationis remitteretur. En decreti verba ad rem facientia *Sanctitas Sua quoad praeteritum benigne arbitrio annuit pro sanatione; in futurum vero instantiam remisit a Secretis d. S. Congregationis.* Quo posito, urget Canonicus Ciocchetti, perperam a Capitulo redarguitur, de eo quod Summo Pontifice auctorante omissum fuit. Sub quovis itaque respectu res perpendatur, concludit Canonicus Ciocchetti, sponte sua fluit Capitulum ad 61 scut. solutionem teneri.

Ad fructus autem quod spectat, quosque Canonicus Ciocchetti hodie reclamat, eos eidem tradendos pariter esse, nemo inficiari posse videtur. Quandoquidem ex factorum historia usque dum exposita, atque ex iuris principiis in medium prolatis luce meridiana constat Capitulum nonnisi malae fidei possessorem fuisse illius summae quae in augmentum praebendae Canonicalis Magnoni a Capitulo iuxta legem a testatore latam, converti debebat. Atqui prona est iuris dispositio cavens in *L. 22 Cod. de rei vindicat.* malae fidei possessorem etiam ad fructum solutionem teneri – ibi – *Certum est malae fidei possessores omnes fructus solere cum ipsa re praestare* –. Dubitandum igitur non esse videtur Capitulum etiam de fructuum restitutione in themate teneri.

Descendens post haec ad secundum dubium quod attingit cedulam vulgo dictam *Cartella di rendita Consolidata,* eam a Capitulo sibi restituendam esse evincere satagit Canonicus Ciocchetti sequentibus rationibus suffultus, quia scilicet ex redditibus Canonicatus Magnoni comparata fuit; et quia penes Capitulum remansit, adeo ut nec post possessionem praebendae ei exhibita fuerit. Quod ex redditibus Canonicatus Magnoni empta fuerit, id absque ullo erroris metu erui posse videtur ex quodam solutionis mandato a Canonico Illuminati sub die 8 Iulii 1842 subsignato, quod sequentis est tenoris: « Signori Ministri de' depositi del Monte di Pietà si « compiaceranno pagare al Sig. Pietro Mariani la somma « di scudi centonove bai. 92 quali appunto esistono in « deposito a favore del Canonicato Magnoni, essendosi rin- « vestita la detta somma in Consolidato, come dalla Car-

« tella alla quale ecc. che con nota ecc. » Posita itaque existentia huiusmodi cedulae ex praebendae canonicalis Magnoni pecunia comparatae, ut evincat eam adservatam fuisse et adservari adhuc a Capitulo, cui propterea onus incumbit eamdem cum respectivis fructibus sibi restituendi sic argumentatur Canonicus Ciocchetti: « In quanto alla Cartella di *scudi cinque* di rendita . . . . è sempre vero « che esiste presso il Capitolo, come viene attestato dallo « stesso Canonico Fattori (Alleg. N. 3) nel quale richiamando egli lo stato attivo e passivo del Canonicato, comunicato all'Emo Mertel nel Luglio 1859, dichiara che tutta « la rendita Magnoni consolidata era di scudi 127. Ora « confrontata questa somma officialmente dichiarata con « quella realmente pagata nel primo semestre nel Luglio « 1859 istesso in scudi 122, risulta chiaro che la differenza « dei scudi cinque accusata in più dal Capitolo e pagata in « meno dal Debito Pubblico, è appunto la rendita della « Cartella esistente tutt'ora presso il Capitolo, il quale « mai l'ha consegnata al Canonico Ciocchetti-Magnoni.

« Infatti nella consegna della Busta nel 1865 furono « consegnate al Ciocchetti-Magnoni sole 8 Cartelle Consolidate, delle quali due destinate pel moltiplico, cioè « quella del 10 Decembre 1822 e del 22 Gennaro 1852 « che danno scudi 20: 74 annuali. Le sei altre poi sono « quella del 10 Decembre 1822 di scudi 94: 62 ½, quella « del 22 Gennaio 1834 di scudi 8; quella del 27 Luglio 1836 di scudi 5 (nel cui rinvestimento entrarono « ancora li scudi 26:80 restituiti da Brancadoro e de Ligne); « quella del 7 Giugno 1848 di scudi 10; quella dei « 9 Giugno 1848 di scudi 2:33; e quella dei 16 Dicembre 1854 di scudi 2: 05, le quali formano la somma « totale non già di scudi 127, ma bensì di scudi 122: 00½. E « questa regolarità fu dal Ciocchetti-Magnoni già preveduta nell'atto della consegna delle Cartelle pel Concambio all'Agente Ricci e da lui vidimata agli 8 Novembre 1871. Se dunque esistono documenti comprovanti l'esistenza di una Cartella Consolidata, che non « fu mai consegnata, si ha tutto il diritto di essere consegnata e restituita al Canonico Ciocchetti-Magnoni con « tutti i rispettivi frutti decorsi sin dal possesso del Ciocchetti-Magnoni, cioè sin dal 1859. Nè vale il dire del « Canonico Fattori che quella Cartella fosse rimasta presso

« il Canonico Illuminati e suoi Eredi, poichè quest'asser-
« zione, oltre essere gratuita, è interamente contradditto-
« ria *alla ben conosciuta esattezza del Canonico Illuminati*
« dallo stesso Canonico Fattori encomiata. E ciò sarebbe
« stato ancora contro la volontà del Testatore, il quale
« nel testamento inculcò al Capitolo Erede che la Busta
« coi documenti e Cartelle si conservassero nell'Archivio
« del Capitolo, il quale coll'accettazione rimase obbligato
« e responsabile di qualunque eventualità. »

Ast parumper admisso huiusmodi cedulam apud Illuminati haeredes reapse reperiri, adhuc locum obtinet sermo quem superius circa summam scut. 61 instituimus; Capitulum nempe utpote haeredem fiduciarium, tutorem ac mandantem pro recuperanda huiusmodi cedula teneri haeredes Illuminati in iudicium vocare. Constituta tali modo et Capitulo imposita obligatione praedictam cedulam sub alterutra hypothesi Canonico Ciocchetti restituendi, sponte sua fluit Capitulum teneri quoque ad fructuum solutionem, qui iuxta mensuram a lege vel usu praescriptam pro tot annorum decursu percepti sunt vel percipi poterant.

Denique circa dubium tertio loco propositum Canonicus Ciocchetti animadvertit praeprimis, quod si controversia ad tramitem superius expositi stricti iuris foret dirimenda, actio sibi competeret compellendi Capitulum ad reficienda damna praebendae Magnoni ex Capitularium negligentia atque iniuria obventa, nedum propter redditus annui deminutionem; verum etiam propter reddituum investimenta, quae licet a testatore dissertis absolutisque verbis praescripta; tamen ab anno 1716 usque ad annum 1859 saepe saepius posthabita fuere. Nihilominus perpendens in themate agi de re, quae, ob tanti aevi decursum pene impossibile sit ut executioni mandari valeat: idcirco vehementer postulat, ut EE. PP. ea qua pollent prudentia huiusmodi controversiam circa praeteritum tempus pro bono et aequo componant, ne testatoris pia voluntas impune eludatur et ne actualis praebendae possessor ex alterius culpabili agendi ratione tam grave damnum persentiat.

Ex altera vero parte Capitulum pro aris et focis sustinet Canonicum Ciocchetti ab ipso iudicii limine esse reiiciendum eo quod eius praetensa credita quovis iuris fundamento destituuntur. Ac primum caput aggrediens, quod summam scut. 61 cum obul. 17 complectitur, eam

nullo pacto indulgeri posse videtur, asserens huiusmodi summam in scutis 72 contentam fuisse, quae eidem a Canonico administratore brevi manu oblata fuerunt, tum cum primum proprii canonicatus administratio ipsi tradita fuerit. Neque enim fidem praestandam esse aiunt Capitulares Canonico Ciocchetti qui in primitivo libello S. O. oblato asseruit Canonicum Illuminati, post traditam praefatam scut. 72 summam haec verba addidisse: « *questo è ciò che io devo personalmente per parte mia:* » veluti si caeteri Canonici contemporanei tantumdem ei tradere debuissent, postea vero in dexteram navigii mittens rete, nonnisi quam sc. 61 et obul. 17 repetere a Capitulo curavit. Si enim haec veritate niterentur, eccur Canonicos, dum hac luce adhuc fruebantur, non expetivit, eccur huiusmodi praetensa iura hoc temporis momento experiri conatur, quo Canonici contemporanei omnes cum mortui sint, nullatenus se defendere valent? Haec agendi ratio cum indoli Canonici Ciocchetti ad lites proclivi contraria sit, in Capitularium animum suspicionem inducit, quod adversarius aliquam fraudem contra ipsos meditari satagat. Ne itaque in absurdum incurratur, ut eadem res uno titulo debita bis petatur, ipsum repellendum esse ait vulgata exceptione firmata in regula iuris 83 in 6 – ibi – *Bona fides non patitur ut semel exactum iterum exigatur.*

Verumtamen adversarii hypothesi parumper admissa summam scutatorum 61 nihil habere commune cum scutis 72 sibi ab Administratore Illuminati solutis, nihilominus praesens Capitulum nullo pacto urgendum esse affirmat sive huiusmodi summa, quod verisimilius est, penes haeredes Illuminati post eius obitum remanserit, sive in capsae capitularis augmentum conversa fuerit. Sane si apud haeredes Illuminati remansit, recta ratio dictat hosce haeredes ab ipso Canonicatus possessore in iudicium esse provocandos ut ab eis restituatur quod in asse haereditario indebite fuit repertum. Si vero admittatur praedictam summam in emolumentum Capituli illius temporis versam fuisse, eius causa nihil tamen proficit, eo quod numquam demonstrare valebit debita a praedecessoribus contracta modo solvendi actuali Capitulo onus incumbere. Cum enim teste S. Rota *decis.* 79 *num.* 36 *coram Ansaldo, et decis.* 485 *n.* 11 *coram Bichio* – ibi – *Successor in beneficio non repraesentat personam praedecessoris defuncti sed habet ius novum in persona pro-*

pria a Papa creatum; hinc ipse neque de praedecessoris sui fraude, vel negligentia tenetur.

Damnum at vero si quod persensit sibi imputet Canonicus Ciocchetti nam si testatoris mandata fecisset, qui iussit ut singulis annis mense Maio testamentum a Canonico Magnoni coram Capitulo legitime congregato legeretur valebat in rei cognitionem pervenire. Eapropter cum id facere neglexisset, mala quae ex huiusmodi negligentia ipsi obvenerunt, suae culpae tribuere debet. Perperam vero hanc negligentiae notam a se avertere nititur decretum S. Visitationis adducens, ut evincat ab huiusmodi demandata lectione per Summi Pontificis rescriptum eiusdem S. Visitationis arbitrio dispensatum fuisse. Quandoquidem huiusmodi obligatio nedum a testamenti lege, verum etiam ex ipsius Capituli Constitutionibus exurgit. Porro exploratum in iure est quod Constitutionum Capitularium derogatio praesumenda non est, sed ostendenda clarissima dispositione peracta in forma specifica ab eo cui facultas inest.

Verumtamen dato paulisper at nunquam concesso quod factum praedecessorum eorumque negligentia in themate actuale Capitulum obligare valeat; tamen Canonici Ciocchetti causae nihil proficit, obicem siquidem ei parat praescriptio, quae ubi completa fuerit tantam vim et efficaciam obtinet, ut quodvis ius caeteroquin acquisitum prorsus perimat. Porro cum adversarius credita modo reclamet, quae, ex eius visione, ab anno 1843 sin minus deberentur, ex hoc manifestum erumpit eius petitionem praescriptionis ope esse repellendam. Quandoquidem ii etiam qui Sacros Canones a limine salutarunt, optime norunt quod triginta annorum spatio quaslibet actiones praescribi posse omnia iura clamant *Text. in leg. Sicut in rem C. de praescript. trigint. vel quadrag. ann. Gob. tract. var. quaest.* 8 *num.* 24 *et seq. Trobat. de effect. immemor. praescript. quaest.* 14 *art.* 1 *num.* 1 *et seq. S. Rota decis.* 129 *num.* 7, *et decis.* 149 *num.* 5 *coram Ansaldo.*

Quaquaversus itaque res perpendatur, concludit Capitulum, usque ad evidentiae fastigium demonstratum est actuales Canonicos nullatenus obstringi posse ad praedictam summam una cum fructibus rependendam a Canonico Ciocchetti mordicus requisitam.

Quoad secundum dubium Capitulum non inficiatur cedulam ex pecunia Canonicatus Magnoni propria acquisitam

fuisse: asserit tamen nulla restitutionis obligatione ipsum adstringi, cum agatur de re quam nunquam nec possedit nec possidere tenebatur. Res cum ita se habeat animadvertit assertiones a Canonico Ciocchetti in iudicium adductas nulli veritatis fundamento fulciri. Hinc concludit huiusmodi assertiones utpote omnino gratuitas a S. V. O. esse despiciendas ad tramitem evulgatae iuris communis regulae: *actore non probante reus absolvitur*. Porro observat Capitulum singula credita et nomina ad Canonicatum Magnoni spectantia actuali possessori reclamanti post captam possessionem tradita fuisse. Idcirco urget praefatam cedulam inter alia nomina a Canonico Ciocchetti modo retenta certo certius reperiri, nisi asserere placeat eam ab Illuminati haeredibus adhuc possideri, quod tamen parum credibile videtur *le Cartelle,* ita Capituli nomine scribit Fattori inter Canonicos Decanus, « del Canonicato Magnoni sono « tutte presso il Canonico Magnoni. Naturalmente vi sarà « ancor questa, se però non vogliam dire che sia rimasta « presso gli eredi Illuminati, il che non può essere; e « molto meno è à credersi che sia presso i Canonici di « Massa ».

Caeterum Capitulares subdunt agi in themate de re quae nullimode celari potest: cedula siquidem quam Canonicus Ciocchetti sibi restituendam esse clamat, nominalis cum sit, seu nomen Canonici Magnoni cum scriptum referat, eius annui fructus nonnisi quam certae et designatae personae quotannis solvuntur quae auctoris personam repraesentat. Inquirat ergo Canonicus Ciocchetti num aliquis adsit, qui vice sua huiusce cedulae fructus exigat, quam sibi ablatam esse dolet. Quod si eius labores in irritum cesserint, concludendum esse urgent, praedictam cedulam penes ipsum una cum caeteris aliis titulis et nominibus, quae ipsi consignata fuerunt, reperiri. Cum praesumi haud possit, quod quis adeo demens sit ut rem apud semetipsum custodiat, quin ullum ex ea emolumentum sperare valeat.

Pro certo itaque posito quod Capitulum nullo pacto de huiusmodi cedula respondere teneatur, mole sua ruunt praetensa iura super fructibus quos a Capitulo repetere posse putat. Corruente siquidem principali, accessorium quoque corruere necesse esse Doctores tradunt.

Tandem quoad ultimum dubium Capitulum contendit iura ab adversario invocata nullimodi sustineri posse

ex eo quod quovis veritatis fundamento deficiant. Verum parumper admisso quod adversarii assertiones veritate nitantur, tamen eas nihili faciendas esse autumat. Quandoquidem tritissimi iuris esse ait successores qui iure suo et independenter veniunt, neque causam a praedecessoribus habent, nullam obligationem ex eorum facto vel negligentia contrahere. In cuius sententiae confirmationem adducit doctrinam Card. De Luca qui in *disc.* 77 *num.* 7 *de Emphit.* postquam tradiderit quod Capitulum semper unum et idem remanet, licet personae mutentur, haec addit – ibi – « Attamen id procedit in iis quae concernunt ipsum corpus, atque iuridice apta sunt afficere successores, non autem in culposis vel criminosis provenientibus ex ipsorum dolo vel culpa personali, cum haec successores non afficiant ex deductis *d. disc.* 1 *de alienat. et contract. prohib.* » Explorati pariter iuris esse urget longissimi temporis praescriptione quamlibet actionem perimi. In themate autem nedum de 30, vel 40 annorum, verum etiam de plusquam centum annorum praescriptione agi, quae tantam vim obtinet, ut qui eam invocare valet, titulum praeseferat de mundo meliorem. Sive ergo adversarii preces veritate fulciantur, sive non, illum tamen a iudicii limine repellendum esse concludit Capitulum; eo quod iura non dormientibus, sed vigilantibus assistunt.

Quae cum ita sint dignabuntur EE. VV. ea qua pollent prudentia atque iurisperitia, sequentia dirimere

DUBIA

1. *An ius competat Canonico Ciocchetti repetendi a Capitulo summam scutorum* 61: 17 *ad Canonicatum Magnoni pertinentem una cum fructibus decursis in casu.*

2. *An per Capitulum sit locus praestationi publicae syngraphae vulgo* cartella di Consolidato *favore Canonici Ciocchetti una cum fructibus decursis a die captae possessionis in casu.*

3. *An et in qua summa sit locus emendationi damnorum ex parte Capituli favore Canonicatus in casu.*

Ad I. II. et III. Negative.

MELEVITANA IURIS INSTITUENDI. = Ultimis quibus decessit tabulis nobilis et piissima mulier Smeralda Bordino Antonii Vagnoli uxor sub die 23 Augusti 1432, dotem beneficii iurispatronatus laicalis iam erecti in sacello sub titulo SS. Annuntiationis in Melevitana Ecclesia Cathedrali existenti, auxit onusque Rectori imposuit *qualibet hebdomada canere Missarum solemnia bis in hebdomada ob remissionem suorum . . . . in altare suo praedicto . . .* Item constituit, ut *quoddam petium terrae sive praedium situm et positum in insula Gaudisii vocatum* – Cortin Herrin – per ipsius haeredem daretur duobus presbyteris *uni de Gaudisio, et alteri Melitensi de cognomine Bordino . . .* cum obligatione unicuique imposita canendi duas Missas in qualibet *hebdomada, ubi idem haeres voluerit.* Pariter *legavit* ob remissionem suorum peccatorum *aliam medietatem terrae* nuncupatae *De la Vigna* cuidam Sacerdoti ad haeredis beneplacitum, *cum onere quod teneatur accendere Lampadem S. Mariae Ta Dibiegi sit. et posit. in insula Gaudisii prout melius visum fuerit eius haeredi.* Tandem *legavit ob remissionem . . . terras, quas habet in Insula Gaudisii vocat. Sened. quod fiat animagium et det. de Sacerdote in Sacerdotem et quod teneatur canere Missarum solemnia Missas duas in qualibet hebdomada vel quot voluit eius haeres et suc. voluerint.*

Sess. 22 *cap.* 2 *de Reform.*

Animarum saluti prospiciens Pius IX fel. rec. anno 1864 Dioecesim Melevitanam in duas divisit, quarum uni antiquum alteri autem Dioecesis Gaudisiensis nomen inditum fuit; ex quo evenit ut plura bona a Smeralda relicta inter huiusce fines reperta fuerint. Demortuo at vero Praesule nuperae sedis Gaudisiensis, qui administrationis titulo pia haec relicta possederat, Vicarius Capitularis Gaudisii e re sua esse censuit deputare Oeconomum pro exactione reddituum fundorum existentium in propria Dioecesi, salva deputatione alterius Oeconomi Archiepiscopo Melevitano pro exactione fructuum suorum fundorum.

At Episcopus Melevitanus beneficium unicum esse, atque ex integro in sua Dioecesi adhuc inesse reputans, Administratorem, ut antea, deputavit super omnibus eiusdem fundis. Qui cum desides in solutione reperiisset emphyteutas fundorum Gaudisii, eos quoque iudicio vadavit coram Tribu-

nali Civili pro solutione, licet obiicerent se solvisse ratam canonum excidentem in Paschate anni 1877 deputato a Vicario Capitulari.

Porro cum per Episcopum praedictum compositio quoque respueretur, ut uterque ex Oeconomis provisorie exigeret in propria Dioecesi, usque dum lis super iurisdictione inter duos Ordinarios pacifice definita non esset, aut contentiose a competenti Auctoritate, Episcopus Gaudisiensis ad S. V. O. confugit percontari expostulans Melevitanum Praesulem ad deducendum sua iura, ut inde lis ad ecclesiasticae praxeos formam penes S. Sedem definiatur.

Transmissa a S. Congregatione instantia pro informatione et voto Episcopo Melevitano, factaque ei inhibitione procedendi ad ulteriora in iudicio civili, usquedum causa decisa non esset, Antistes retulit Smeraldam Bordino Melitensem testamento diei 23 Augusti 1432, postquam confirmasset assignationem factam aliquot fundorum in loco *Rahal Bajada* beneficio a se erecto Melitae « *nella sua Cappella dell'Annunziata esistente in questa Cattedrale* », tria alia condidisse beneficia; cuius primo dedit in dotem fundum *Cortin-Herrin*, alteri vocato *ta Dibiegi* dimidium praedii *la Vigna*, tertio nuncupato *ta Siened* aut *Senet* fundum sub hoc ipso nomine. Haec tria beneficia tamen gravata annuo onere aliquot Missarum, cum erecta non fuerint in aliqua determinata Ecclesia, « *sono stati riuniti da tempi remotissimi, e.... cominciarono tutti insieme a formare il così detto beneficio* dei Vagnoli *eretto nella Cattedrale di Malta* », prout liquet ex nonnullis, quae adiecit, monumentis, antiquisque S. Rotae decisionibus. Hinc huius beneficii Rector assuetis cum formis semper possessionem coepit in Cathedrali Melitensi. Nescit propterea Archiepiscopus, cur, existente unico beneficio in sua Cathedrali, cum de investitura coeterisque iuribus sui favore non ambigatur, sibi inhiberi modo possit Administratorem apponere in casu vacationis, uti semper egit usque ad ultimum statum, ideoque reiici postulavit instantiam Praesulis Gaudisiensis, cum expressa declaratione, quod ad se libere et exclusive spectet huius Oeconomi deputatio.

Quod vero refert litem pendentem coram Tribunali civili ait emphyteutas Gaudisienses dudum excepisse solutionem bona fide factam alteri Oeconomo, quae ite-

ratam Administratoris Melitensis tunc repellebat. Super hac tamen exceptione nil adhuc Tribunal decrevit, cumque ad ulteriora procedere velit, *ex officio* vocabit ad causam Oeconomum Gaudisiensem. In quo suus Oeconomus, qui actor est in iudicio, haud intercedet, cui solum inopportunum visum est causae renuntiare, ne, praeter confessionem deficientis iuris, expensis quoque renuntiationis subiiciatur.

Novae posthac querelae ab Episcopo Gaudisiensi S. Ordini porrectae sunt super prosecutione actorum, data etiam copia sententiae definitivae Tribunalis civilis absolventis emphyteutas in rerum statu, donec lis super iurisdictione Antistitum Romae non definiatur, nec non actus appellationis ab actore Oeconomo interpositae, quibus Antistes Melitensis se purgavit. Hic enim, inter coetera, ostendit suum Oeconomum nequivisse sententiam sibi inimicam provocare, quae pandita est a Tribunali *ex officio:* quod si in re trepida appellavit ad Tribunal secundi gradus, id egit, ne fatalia laberentur, destitisse tamen, minime transportatis actis intra terminum iuris, ob assiduas contrarias querelas, unde sententia Tribunalis civilis abiit favore emphyteutarum in iudicatum.

Post quae iussi causam poni in folio, et, concordato inter partes Dubio super principe quaestione iurisdictionis duorum Antistitum in institutione a qua caetera iura veluti per consequentiam manant, causa modo proponitur.

Gaudisiensis Episcopi Defensor totis viribus conatur ostendere quatuor esse beneficia vulgo *– dei Vagnoli –* quorum tria inter limites Gaudisiensis Dioecesis fundata reperiuntur, alterum vero in Cathedrali Ecclesia Melevitana. Hoc autem ut evincat recolit Smeraldae Bordino dispositionem, ex qua apertissimis verbis erui tenet quatuor diversas esse fundationes. Unicuique enim fundationi propria adnexa sunt onera, propria assignata sunt bona diversis attribuenda Presbyteris a suo haerede nominandis. Quod adeo verum esse pergit, ut ipse haeres Antonius Vagnoli piam fundatricis dispositionem executioni demandando duos designavit Sacerdotes pro explendis oneribus beneficio *Cortin Herrin* adnexis, quorum alter esset de insula Gaudisiensi, Melevitana alter. Atqui *ex hac bonorum distinctione cum reservatione in quolibet iurispatronatus ac nominatione diversorum Presbyterorum optime argui-*

tur mens testatoris fundandi plura beneficia non unicum, ceu agens de casu nostro sapienter docet Rota in *Melevitana Iurispatronatus* 30 *Aprilis* 1660 *coram Bevilacqua num*. 1. Huc accedere prosequitur decisiones ipsius S. R. Rotae, quae non semel neque bis tenuit plura in themate esse beneficia, quemadmodum, caeteris missis, videre est in *Melevitana* mox recitata, atque in altera *Melevitana Beneficiorum de anno* 1778 *coram Riminaldo*. Quibus fastigium imponunt declarationes ipsius Curiae Melevitanae, quae tam in executione literarum Apostolicarum de anno 1874 super quadam transactione inita inter Antistitem Gaudisiensem, Canonicum de Bono, et Marchionem Testaferrata haec beneficia pertingente habet *relate ad idem beneficium seu eadem quatuor beneficia sub nomine delli Vagnoli*, quam in relatione hac super re nuper S. V. O. oblata enunciat quatuor in themate esse beneficia – *questi quattro beneficii* –.

Nec obstat, ut Curia prosequitur in ipsa relatione, eadem beneficia ab antiquissimis temporibus unita fuisse, ita ut hodie unicum beneficium efforment. Cum enim nullus habeatur Ecclesiasticae potestatis actus, qui ostendat unionem *extinctivam* beneficiorum peractam fuisse, eamdem minime evenisse firmiter tenendum esse urget. Agitur sane de re quae in iure odiosa reputatur *De Luca De benef. discurs*. 46 *n*. 3 quia per ipsam sacrorum ministrorum numerus non levi quidem animarum detrimento minui solet *Cap. Ex parte* 12 *De Constit. Tolosan. De benef. cap*. 13 *n*. 1 subindeque praesumenda non est, sed certissimis evincenda argumentis. Eo vel magis quia defecisset causa necessitatis vel utilitatis Ecclesiae ad eamdem decernendam cum quodlibet ex beneficiis satis sit ad rectorem substentandum. Perperam obiicitur haec beneficia unico Rectori tantum fuisse collata: nam id secumferret unionem personalem et temporaneam tantum ex patronorum voluntate proficiscentem, minime vero perpetuam.

Quibus animadversis subdit Orator notissimi iuris esse, quod Episcopus fundatam habet intentionem pro exercitio omnimodae iurisdictionis ordinariae in quovis loco et personis intra fines suae Dioecesis existentibus: S. Congr. in *Lucana Exemptionis* 13 *Martii* 1852 §. *Perspicient*. Dubitari pariter nefas est Episcopum habere iuris assistentiam super institutione beneficiorum suae dioecesis *Rota decis*. 567 *part*. 18 *tom*. 2 *rec*. Ast in facto est, quod tria

beneficia *Ta-Dibiegi, Ta-Sened, et Ta-Cortin*, intra fines nuperae Dioecesis Gaudisiensis erecta reperiuntur. Ergo ius institutionis quoad haec tria beneficia de iure Episcopo Gaudisiensi competere affirmat. Ut autem ostendat praefata beneficia intra limites Dioecesis Gaudisiensis erecta modo reperiri piae fundatricis dispositionem meminit, ex qua manifestum fit beneficio *Ta Dibiegi* impositum fuisse onus lampadem accendendi in Ecclesia S. Mariae in Gaudisiensi insula existente; beneficium *Ta Cortin* gravatum fuisse onere quasdam celebrandi Missas in matrici Ecclesia Gaudisiensi, veluti ipsa Melevitana Curia testatur. Sed dicitur *consistere beneficium ubi impenditur officium Loth. De re benef. lib.* 1 *q.* 13 *num.* 127. Cum ergo officium beneficiorum *Ta Dibiegi* et *Ta Cortin* impendatur in Ecclesiis insulae Gaudisiensis, eadem inibi erecta fuisse dicendum est. Nec secus concludendum pergit de altero beneficio *Ta Sened*. Ipsius siquidem dos, seu fundus in territorio Gaudisiensi extat, ac per hoc cum nullus in fundatione fuerit designatus locus, in quo onera explenda forent, illuc dicendum est erectum reperiri, ubi dos ipsa constituta manet.

E contra qui partes agit Episcopi Melevitani praemonet in omnibus vacationibus beneficii Oeconomum ab Episcopo deputari postremasque Litteras Apostolicas, unde Antistes Grech Delicata, adversarii praedecessor, titulo administrationis, provisus est, absque contradictione ab eodem quoque fuisse exequutas. Itaque Episcopus in pacifica eaque immemorabili, etiam post erectam Sedem Gaudisiensem, sua possessione mansit iurisdictionis beneficii, quod quidem argumento est nil in Litteris Apostolicis erectionis Episcopatus de hoc contra caveri, nil in aliis titulis, quae accurate verti initio debuissent in recensendis omnibus iuribus novae Sedis, ab eo potissimum, qui novus Antistes et beneficii possessor insimul erat.

Aggrediendo tamen, his quoque missis, intimam quaestionem, Orator ait non ex alia causa Episcopum Gaudisiensem parti iurisdictionis in beneficio modo inhiare, quam ex existentia nonnullorum fundorum ipsius beneficii in propria Dioecesi. Atqui locus, ubi bona beneficiaria existunt, nec est locus beneficii, ut ex eo Episcopi iurisdictio arguatur, sed invicem Ecclesia aut Capella, in qua ipsum erectum est et ubi onera Missarum implenda sunt ex Antonell. *de loc. legal. lib.* 1 *cap.* 8 *num.* 1 *et sequen.*, Lotter. *de re benefic. lib.* 1 *quaest.* 13 *num.* 127 *et sequen.* aliisque.

Quo posito, *quatuor* esse dicit pia relicta Coniugum Vagnolo-Bordino: primum anni 1419 sub titulo *Annuntiationis* cum onere Rectori celebrandi Missas *ad Altare S. Mariae Annuntiatae, erectum in Ecclesia Cathedrali Melitensi* –; *tria* alia anni 1432, dotata fundis *Cortin-Herrin, la Vigna* et *ta Siened*, absque designatione certi Altaris pro celebratione Missarum, quae idcirco litandae fuerant arbitrio haeredis. Haeres tamen Antonius Vagnolo testamento 2 Iulii 1453 voluit Missas pinguioris ex his tribus beneficii, *Cortin-Herrin*, abhinc celebrari debere a Sacerdote Melitensi « *sopra l'Altare della Cappella dell'Annunziata eretta nella Cattedrale di Malta.* »

Tria pia legata anni 1432 ab immemorabili et tempore fortasse coaevo fundationi, ob tenuitatem reddituum, *unita* atque *incorporata* fuisse affirmat *primo* beneficio ecclesiastico anni 1419, hinc in titulum erecto, assumpto ab omnibus simul unitis uno nomine beneficii « *ad Altare S. Mariae Annuntiatae in S. Cathedrali Ecclesia Melevitana* », ceu liquet ex actis Curiae Melitensis et Rotalibus Decisionibus *Melevitana Iurispatronatus* 14 *Decembris* 1607 *coram Marquemontio*, 18 *Aprilis* 1608 *coram Eodem*, 16 *Iunii* 1659 *coram Bevilacqua*, 30 *Ianuarii* 1661 *coram Eodem*, quibus aliae quoque accesserunt annorum 1661 ad 1710 coram *Falconerio, Mannelli, Riminaldo* et *Marco*.

Acta quin imo lite in *Melevitana Iurispatronatus* 16 *Iunii* 1659 *coram Bevilacqua*, plura ne vel unum fuerit beneficium – *dei Vagnoli* –, sub §. *Postremo* dicitur. « *Postremo nec visum est admittendum quod dicebatur plura, non unum esse beneficium, inter se distincta; quia, tametsi habeat diversa bona in pluribus locis, sita sub nominibus* Rhabad, Baiada, Cortin *et* Herrin, *id tamen non importat pluralitatem beneficiorum, et oppositum, quod sit unicum, colligitur tam ex Decisionibus, quam ex sententiis emanatis, in quibus semper fuit appellatum beneficium ad Altare S. Mariae Annuntiatae* ».

Ultimus etiam beneficii possessor, Praesul Grech Delicata, habuit haec quatuor beneficia in unum, quamvis ex lege fundationis beneficium *Cortin-Herrin* pro dimidio tribui deberet Sacerdoti Melitensi et pro alio dimidio Sacerdoti Gaudisiensi, pluresque eo tempore Sacerdotes Gaudisienses forent.

Si tria ergo legata pia anni 1432, subdit Orator,

unita fuerunt beneficio ecclesiastico anni 1419, indubie erecto « *ad Altare S. Mariae Annuntiatae in S. Cathedrali Ecclesia Melevitana* », in quo Missas celebrari oportebat, Episcopus Melitensis super integro beneficio iurisdictione gaudet, cum iurisdictionem habeat in sua Cathedrali, in qua existit Capella et beneficium ipsum *Annuntiationis*. In unione siquidem beneficium unitum quasi extinguitur, et naturam, qualitatem et privilegia induit eius, cui adiungitur; S. Congregatio in *Forosempronien. Iurispatronatus* 25 *Maii* 1822 §. *E medio*. Pignatellus vero *consult. canonic. Tom. VIII consult.* 13 *num.* 6, uti Card. De Luca *Benefic. disc.* 44 *num.* 5 aiunt in unione *accessoria* et *subiectiva* beneficium unitum amittere nomen et essentiam beneficii et effici praedium alterius, cui fit unio; uti evenit in casu, in quo tria legata pia ita admixta atque ad invicem confusa sunt, ut unicum solumque nomen *Annuntiationis* absque differentia assumpserint collataque propterea sint a pluribus saeculis uni dumtaxat beneficiato.

Neque effugiat Antonium Vagnolo testamento anni 1453 iussisse Sacerdotem Melitensem, qui ex praecedenti fundatione litare Missas debuisset - *ubi haeres voluerit*, - celebrare sacrum - *sopra l' altare della Cappella dell' Annunziata eretta nella Cattedrale di Malta*. - Itaque iurisdictio Episcopi nedum firmatur, ex quo pia legata unita considerari debeant existentia in loco beneficii *Annuntiationis*, cui facta est unio, sed ex quo ipsum beneficium *Cortin-Herrin*, maius ex aliis postea ordinatis, fundatum sit in eadem Capella *Annuntiationis*, in quo missas celebrari opus erat.

In *Decis.* 199 *part. II Tom. I Recentior.* discutitur, an Abbas S. Columbae, qui adnexa habebat suae praebendae in Ecclesia Cathedrali Seguntinen. nonnulla beneficia simplicia, Capitulo deberet dimidiam annatam fructuum - *beneficiorum annexorum* - ex indulto Leonis X concedentis Capitulo et Fabricae in augmentum quotidianarum distributionum - *dimidiam annatam fructuum et beneficiorum Civitatis et Dioecesis Seguntinen., non tamen in maiori Ecclesia existentium*. - Capitulum affirmabat, quia beneficia simplicia non existebant in Cathedrali, cum alibi bona quoque haberent: Abbas negabat, quia ea unita et incorporata fuerunt suae praebendae erectae in Cathedrali, ex-

perti contributionis et tunc efformanti cum beneficiis annexis solum beneficium. S. *Rota* litem adiudicavit Abbati, excluso contributo, in eaque Decisione *duo principia*, quae vel maxime ad casum spectant, magistraliter firmata sunt: *primo*, quod beneficia existunt in Ecclesia, ubi beneficiatus inservit, spreta dote, quae, tamquam accessoria, sequitur naturam et consistentiam beneficii: *secundo*, quod beneficium unitum convertitur in naturam eius, cui fit unio, et amittit nomen antiquum et efficitur praedium illius.

At, dato etiam pia legata anni 1432 non uniri *subiective* et *per incorporationem beneficio Annuntiationis*, sed *incidenter* tantum et *aeque principaliter*, subdit Orator, aliud esse posse unionem dirumpi ex legitima causa, per collationem scilicet iuxta fundationem dimidii beneficii *Cortin-Herrin* Sacerdoti Melitensi, et alterius dimidii Sacerdoti Gaudisiensi (nam de aliis *duobus* exiguis legatis piis loqui non oportet, a saeculis extinctis, ut habetur a Decisionibus Rotalibus, deperdito nomine applicatisque redditibus alterutri beneficio *Annuntiationis* et *Cortin-Herrin*): aliud esse dicta beneficia adnexa non existere sub iurisdictione Melevitani Episcopi, cui propterea ius haud competat deputandi Administratorem et institutionis.

Quippe pium legatum *Cortin-Herrin*, uti alia duo, si adhuc existerent, a remotissimo tempore erectum fuit in titulum conversumque decreto erectionis Curiae in verum beneficium ecclesiasticum, accedente quoque consensu patronorum, alias Melevitanus Praesul in singulis vacationibus Oeconomum deputare nequivisset et praesentatis dare canonicam institutionem. In legatis simplicibus Missarum omnia sunt penes haeredem. Hic nominat Administratores; Capellani, mulieres quandoque, pueri atque uxorati, solum patronum in investitura agnoscunt, neque ulla indigent in adeptione possessionis canonica institutione.

Quod si legatum pium converti oportuit in verum beneficium ecclesiasticum, urget Defensor, plurima iam concurrunt, ut haec quoque erectio in Ecclesia Cathedrali Melevitana facta censeatur: *primo*, quia illa Ecclesia est maior unicae tunc Dioecesis: *secundo*, quia Smeralda Bordino cum viro Vagnolo condiderunt Capellam *Annuntiationis* in Ecclesia Cathedrali Melitensi, ibique erexerunt sub hoc nomine beneficium: *tertio*, quia Vagnolius voluit in testamento Sacerdotem Melitensem celebrare Missas beneficii *Cortin-Herrin*

in propria hac ipsa Capella *Annuntiationis: quarto,* quia, diu unitis omnibus beneficiis – *dei Vagnoli* –, naturale est ibi statui litari Missas, ubi alia onera iam existebant eiusdem familiae: *quinto,* quia Episcopi in sacris Visitationibus semper loquuti sunt de beneficio – *dei Vagnoli* –, erecto in Cathedrali Melitensi: *sexto,* quia in diversis litibus Rotalibus, in quibus iura partium et qualitates beneficii longe et late examinata sunt, semper dictum est ipsum fundari in Ecclesia Cathedrali. Quin imo in *Decis. Melevitana Beneficiorum 13 Iunii 1763 coram Mannelli* actum est – *de beneficiis, quae ex pia largitate Antonii de Vagnolo eiusque Coniugis Smeraldae Bordino tribus abhinc saeculis fundata sunt in Altari Annuntiationis B. Mariae Virginis Cathedralis Ecclesiae Melevitanae.* –

Praesumptionem nonnisi a contraria probatione destrui, quae eo fortior atque luculentior adesse oportet, quia de adimenda modo agitur Curiae possessione trium et ultra saeculorum super hoc beneficio, quae ex se sola meliorem, ut aiunt, e mundo titulum officeret. Possessio centenaria itemque immemorabilis quaeque possessori utiliora sunt, abunde praesumit, et afficit quoque iura non orta nec non possessores ex propria etiam persona venientes ex *Piton. discept. ecclesiast. discept.* 112 *num.* 20.

Quando itaque beneficium fundatum est, ubi onera adimpleri oportet, et quando onera tam beneficii *Annuntiationis,* tam alterius *Cortin-Herrin,* impleri debent in Capella *Annuntiationis* existente in Cathedrali Melitensi, soli porro Episcopo Melitensi, subsumit Orator, iurisdictio inest super beneficio, utpote illi, qui *bina erecta beneficia* habet in *maiori sua Ecclesia,* misso etiam, quod beneficium *Cortin-Herrin* unitum fuerit illi *Annuntiationis,* erecto pariter in Ecclesia Cathedrali.

Neque refert, quod, quando beneficium designatione Ecclesiae caret, in qua officium implendum est, ad Episcopum spectet, in cuius Dioecesis sunt fundi pro dote constituti; ita fortasse alludendo duobus parvulis beneficiis cum dote fundorum *ta Siened* et *la Vigna.* Etenim hoc locum habet in Capellaniis atque legatis piis, cum haeres naturaliter Missas celebret, ubi domicilium habet. In beneficiis tamen ecclesiasticis, quale est illud – *dei Vagnoli* –, impossibile est non adesse Altare seu Capellam, quod semper et tamquam caput principale constituitur in fundatione vel saltem

in Decreto erectionis determinante executionem pii operis uti docuit S. Rota in *Decis. Papien. Beneficii* 28 *Ian.* 1754 §. 5 *coram Borull* et *in Decis. Confirmatoria* 13 *Martii eiusdem anni* 1754 *coram eodem* §. 6; et in casu nostro est Capella *Annuntiationis*.

At vero, prosequitur, omnis removetur difficultas ex *re iudicata Rotali* orta anno 1661 super quaestione, unum ne vel plura sint beneficia – *dei Vagnoli* –. Initio decisum est fore unum dumtaxat in supra *cit. Decis. Melevitana Iurispatronatus* 16 *Iunii* 1659 *coram Bevilacqua*. Re tamen iterum severiusque ad trutinam revocata, *in Decis. Melevitana Iurispatronatus* 30 *Aprilis* 1661 *coram Eodem Bevilacqua* definitive tandem decisum est ex *quatuor* beneficiis *duo tantum* fore *iurispatronatus*, in quibus manus consequenter apponit Auctoritas Ecclesiastica sive in institutione canonica, sive in deputatione administratoris: originarium *Annuntiationis* illudque habens fundum *Cortin–Herrin*. Duo alia exigua cum dote fundorum *ta Siened* et *la Vigna* vel permanserunt *simplicia legata pia* arbitrio haeredum, vel potius habuerunt bona permixta cum duobus reliquis, quin eorum peculiare nomen spatio duorum aliorum saeculorum et ultra haud amplius in causis et in actis nuncupetur.

Sub §. *Non obstabat* eiusdem Decisionis clarius quoque dicitur fundum *Cortin–Herrin* fundari et erigi in titulum in ipsomet Altari, ubi aderat alterum *Annuntiationis*, – *cum spiritualia locum non occupent, ideoque plura beneficia possunt ad unum Altare institui, ceu censuit Rota* etc. –, quin anxie nimis quaerendum sit de consensu Ordinarii, quod post tam longissimi temporis cursum praesumi oportet.

Beneficium ergo – *dei Vagnoli* – *iurispatronatus laicalis*, concludit Orator, modo ex *re iudicata* duobus conflatur beneficiis: illo *Annuntiationis* atque altero *Cortin–Herrin*. Aut haec duo beneficia sunt unita vel non. Si sunt unita, per *incorporationem* scilicet et *subiective*, cum beneficium *Cortin–Herrin* adiunctum fuerit primo *Annuntiationis*, evidenter erecto in Ecclesia Cathedrali Melevitana, illud solum spectandum est, quod sub certa existit iurisdictione Melevitani Antistitis. Quod si perpetuo ea unita non fuerunt, tribui quidem poterit dimidium beneficii *Cortin–Herrin* Sacerdoti Melevitano alterumque dimidium Sacerdoti Gaudisiensi, ex nominatione patrono–

rum iuxta fundationem, at nunquam hoc cessabit esse sub iurisdictione ipsius Episcopi, semel ac probatum fuit fundari in Ecclesia Cathedrali Melitensi, non secus ac illud *Annuntiationis*.

His igitur perpensis, erit sapientiae EE. VV. sequens dirimere

DUBIUM

An et cui competat ius institutionis in casu.

Quoad unum ex duobus beneficiis fundatis in praedio *Cortin–Herrin* cuius onera implentur in Cathedrali Melevitana ius instituendi competere ad Episcopum Melevitanum; quo vero ad reliqua ad Episcopum Gaudisiensem et amplius.

SEGOBRICEN. SERVITII CHORI ET MISSAE CONVENTUALIS. = Hodiernus Episcopus Segobricensis cum primum Ecclesiae suae regimen suscepit, nonnulla animadvertit observari in Cathedrali Ecclesia parum iuri conformia, quae eradicare cupiens litteris die 30 Aprilis 1878 datis sequentia S. V. O. exposuit : « A Dignitatibus et Canonicis huius « Cathedralis per se, tantum in diebus primae et secundae « classis, in vigiliis ac feriis , Missae Conventuales cele- « brantur; in coeteris anni diebus per Capellanos indu- « ctitios: omnes tamen Missae pro benefactoribus appli- « cantur, stipendio ex Sacrarii seu fabricae Ecclesiae red- « ditibus desumpto. Etiam officium in Choro a praedi- « ctis Dignitatibus et Canonicis tantum fit per se in Ve- « speris, Matutinis et Laudibus dierum primae classis; in « Vesperis ac in nonnullis Laudibus secundae classis ; in « Horis reliquis horum dierum per Capellanos inductitios, « sicut in toto anno ». His praemissis monet Rmus Antistes per novissimum Concordatum inter Apostolicam Sedem et Reginam Catholicam suppressos fuisse duos Canonicatus curatos, quibus adnexum erat onus celebrandi Missam Conventualem faciendique officium in Choro illis diebus, quibus impraesentiarum haec omnia a Capellanis per- *Sess. 24 cap. 12 de Reform.*

aguntur. Cum autem, ut ipse affirmat, procedi debeat ad efformanda Statuta Cathedralis Ecclesiae, uti par est, ac praeceptum fuit ab utraque Potestate tempore initi Concordati inter Sanctam Sedem ac Reginam Catholicam, hinc ut tuto valeat incedi pede, et postquam adnotavit hanc circa rem existere in Cancellaria Episcopali reclamationem factam ab Episcopo Hernandez, in qua sese refert ad reclamationem factam a suo praedecessore Canubio et Alberto, sequentia dubia S. V. O. dirimenda proponit.

« 1. Suppressis a novissimo Concordato duobus Ca-« nonicatis Curatis, quibus munus celebrandi Missas Con-« ventuales in praecitatis diebus, faciendique in eis offi-« cium in Choro adnexum erat: potest permitti ut a Ca-« pellanis inductitiis huiusmodi Missae celebrentur, et ut « ab iisdem officium in Choro fiat?

« 2. Ex quibus proventibus desumendum est stipen-« dium pro Capellanis Missam Conventualem cantantibus, « ex Canonicorum proventibus, an ex Sacrarii seu Fa-« bricae Ecclesiae redditibus?

« 3. Dignitates et Canonici possunt pro Missis Con-« ventualibus, quas ipsi celebrant, quasque pro Benefa-« ctoribus applicant, ut dictum est, stipendium sumere « ex Sacrarii seu Fabricae Ecclesiae redditibus? »

Hisce acceptis, una cum nonnullis animadversionibus a Capitulo ad Rmum Episcopum missis, rescripsi, ut exhiberentur particulae documentorum, quibus eiusmodi animadversiones innituntur. Quibus etiam habitis, rescriptum edidi: « *Ponatur in folio* » et in plenariis hodiernis Comitiis causam disceptandam proposui. Mei itaque muneris erit nonnulla in primis ex officio EE. VV. oculis subiicere; deinde argumenta quae a Capitulo deducta fuerunt breviter afferre.

Conventuale Sacrum in omnibus Patriarchalibus, Cathedralibus et Collegiatis Ecclesiis quotidie celebrandum, et pro benefactoribus in genere applicandum, post Honorii III praescriptionem in cap. *Cum creatura, De celebr. Miss.* expresse docent Benedictus XIV in sua Const. « *Cum semper oblatas* » diei 19 Augusti 1744 et innumerae H. S. O. resolutiones; est enim Missa Conventualis pars divini officii: *Cap. De iis dist.* 12, *Gloss. in Clem.* 1 *de celebr. Miss.* Huic tamen oneri cum non possit colle-

gialiter, debet individualiter per singula membra satisfieri, hinc omnes et singuli Capitulares, qui iuribus gaudent et favoribus eiusdem corporis, pro suis vicibus tenentur illud absolvere. *Tolentina Servitii Chori et Missae Convent.* 2 *Martii* 1739 *dub.* 2, non obstante quacumque contraria consuetudine aut redituum tenuitate. Patet *ex cit. Constit. Benedicti XIV* §§. 16, 19 *et ex H. S. O.* in *Veliterna* 14 *Martii* 1722 *ad dub. II, Acerrarum* 23 *Aug.* 1723 *dub.* 10, *Amerina Missae Convent.* 12 *Martii* 1746, *Aretina Missae Convent.* 16 *Decembris* 1769 *dub.* 1, etiamsi alio Missarum onere obstricti inveniantur ratione proprii Canonicatus, *Benedictus XIV loc. cit.* §. 17; *S. C. in Ferrarien.* 18 *Martii* 1719, *Spalaten.* 23 *Iulii* 1729.

Quae quidem obligatio mere et districte personalis esse videtur, ita ut Capitulares teneantur per se ipsos applicare, neque aliis istud officium demandare possint. Cum enim beneficium detur propter officium, et cum Canonicorum officii pars sit Missam Conventualem applicare, videtur obligationem litandi Sacrum Conventuale eos gravare, qui beneficii fructus percipiunt, eorumque personas praetergredi non posse. Firmatur ex rescripto H. S. O. ad Episcopum Falvalierra anni 1590, in quo legitur: « Teneri (Canonicos) divina officia per se ipsos obire, nec « non Missas maiores canere illis diebus quibus ex Statu« tis vel legitima illius Ecclesiae consuetudine tenentur ».

Conclusio haec procedere videtur etiam quoad chorale servitium. Explorati enim iuris est, Canonicos aliosque Cathedralis vel Collegiatae Ecclesiae servitio mancipatos singulis diebus choro interesse, ac canonicas debere psallere Horas. Patet ex *cap. Licet de Praeben. cap. Inter quatuor et cap. fin. de Cler. non resid.* Idemque onus imponit renovatque *Concilium Tridentinum sess.* 21 *et* 22 *cap.* 3, *et sess.* 24 *cap.* 12 *de Reform.* et ex innumeris claret S. Congregationis resolutionibus, prout videre est in *Aliphana Servitii Chori diei* 29 *Ianuarii* 1707, *Recineten. Servitii Chori* 17 *Septembris* 1757 *confirmata die* 2 *Septembris* 1758; *Terracinen. Servitii Chori et Missae Conventualis diei* 11 *Decembris* 1784.

Neque praesidium ex immemorabili habere possunt Canonici, ut semet ab hoc onere eximant, nam huiusmodi consuetudo veluti abusus et corruptela est reiicienda. Ipsa enim adversatur sanctionibus Tridentinis, ideoque

necessario incideret sub censura Constitutionis Pii IV *In Principis Apostolorum,* quae consuetudinem quamcumque Concilio Tridentino contrariam nullam et irritam declaravit. Ad rem Barbosa *De Off. et Potest. Episc. Alleg.* 53 *n.* 131 *et* 133 pluribus relatis auctoritatibus docet quod, « Canonici et qui Di« gnitates obtinent in Ecclesiis Cathedralibus et Collegia« tis, etiam seclusa consuetudine vel statuto . . . tenen« tur . . . psallere in Choro . . . Omnibus diebus et « Horis . . . debent Canonici interesse . . . et non pos« sunt iuvari aliqua consuetudine, quin teneantur omni« bus septem Horis inservire. » Quam sententiam hunc S. O. sequutum esse constat ex *Setina diei* 21 *Ianuar.* 1786, *et Albanen.* 4 *Aprilis* 1789 in quibus cum ad declinandam integri servitii choralis legem Canonici inveteratam adduxissent observantiam, eorum preces ab Emis Patribus fuerunt reiectae.

Nec secus dicendum de praxi Canonicorum vi cuius eleemosynam Missae Conventualis ex redditibus fabricae Ecclesiae desumunt. Notum enim est in iure Missam Conventualem officio Canonici inhaerere, atque idcirco eleemosynam vel nullatenus deberi, *Pignatelli tom.* 1 *cons.* 321 *num.* 1 *et seqq.,* vel non ex fabricae redditibus, sed ex massa distributionum esse desumendam, quemadmodum plures testantur resolutiones editae ab H. S. O. praesertim in *Senen. Iubilat.* 12 *Ian.* 1760, et *Vallen. Super Eleemosyna Miss. Conv.* 22 *Augusti* 1874 inter *Summ. Prec.* relata. Quod si massa distributionum minime extaret, tunc Episcopi arbitrio conficiendam esse docet passim S. O. praecipue in *Herbipolen. Miss. Conv.* 2 *Iun.* 1860 inter *Summ. Prec.* relata, et in *Colonien. VV. SS. LL.* 17 *Decembris* 1859 per *Summ. Prec.,* et dein proposita in folio diei 12 *Sept.* 1868. Iure igitur inspecto Capituli praxis hac etiam in re foret reprobanda. Eo vel magis quia, ut adnotat Episcopus, olim eamet desumebatur ex Propositurae fundis a massae communis proventibus confectis, nec umquam ex Sacrarii vel Fabricae redditibus suscepta fuit *nisi post annum* 1844.

Quae omnia si prae oculis habeantur, non videtur iuri conformis agendi ratio Canonicorum Cathedralis Ecclesiae Segobricensis tam quoad Missam Conventualem, quam quoad chorale servitium. Quin adiutorium captari valeat ex quibusdam praetensis Bullis Benedicti XIII et

Clementis VIII ad quas Canonici praecipue appellant prouti inferius patebit. Cum enim ipsae sese referant ad initium saeculi XV nullo in pretio haberi debeant prouti editae ab Antipapis Benedicto et Clemente, qui eo praecise tempore Hispaniarum divexarunt Ecclesias. Omnes enim norunt Clementem VIII supremum Ecclesiae regimen tenuisse sub finem saeculi XVI et initium XVII ab anno nempe 1592 ad annum 1605; Benedictum vero XIII volvente saeculo XVIII ab anno nempe 1724 ad annum 1730 in Petri Cathedra sedisse.

Ex altera vero parte Canonici contendunt, sibi nullimode incumbere onus celebrandi quotidie Missam Conventualem; huius eleemosynam desumendam esse non ex massa distributionum, sed ex fundo Sacrarii vel Fabricae Ecclesiae; chori servitium quotidianum peragendum esse exclusive a Cappellanis. Quae ut probent, in primis recolunt officium chori et altaris ab ipsa erectione Ecclesiae impletum fuisse per Vicarium perpetuum, cuius officio suppresso anno 1405, in eius locum a Benedicto XIII anno 11 sui Pontificatus duo erecta fuerunt beneficia hebdomadaria curata. Ad rem afferunt pseudobullam Benedicti XIII in qua perlegitur Vicarii perpetui officium « annullamus et supprimimus et penitus revocamus, ac in statum suum debitum reducimus... Provide statuentes, decernentes et etiam ordinantes, quod de cetero perpetuis futuris temporibus sint in civitate et Ecclesia Segobricensi duo beneficia curata, residentiam personalem requirentia, et universos sacros Ordines habentia.....qui vocentur Hebdomadarii Curati et perpetui dictae Sedis Segobricensis. Unus ex parte una, alter ex alia parte chori Sedis eiusdem perpetuis futuris temporibus psallent, suamque semper in praedicta civitate Segobricensi faciant residentiam personalem, nec non praedictam curam et officium curae praedictae Sedis eius Parochiae, necnon dictae Missae Conventualis celebrationem, divinorum officiorum inchoationes, et alia quae soli Curato praedicto, ut praedicitur, incumbebant. »

Quae duo beneficia hebdomadaria curata, subdunt, ab eodem Benedicto XIII alia Bulla data Caesaraugustae anno 1415 in Canonicatus curatos erecta sunt: « Nos igitur huiusmodi vestrum laudabile propositum plurimi in Domino commendantes, huiusmodi supplicationibus Ecclesiis (Segobricensi

« et Albarracinensi) duas praebendas creare ac etiam ordi-
« nare possitis. » Hisce porro Canonicis Curatis, aiunt Capitulares, obligatio incumbebat inter alias faciendi hebdomadam in choro, et canendi quotidie Missam Conventualem, quod munus fere a canonicatuum erectione per Cappellanos Substitutos obiverunt, dum Dignitates et Capitulares se ipsos ultro offerentes ad maiorem cultus splendorem diebus solemnioribus tantummodo has sacras functiones peragere consueverunt, ita tamen ut stipendium Substitutorum et eleemosynae Missarum Conventualium tam Substitutis quam ipsismet Capitularibus a Canonicis Curatis, et ex suis proventibus et emolumentis, persolverentur, iuxta fundationem seu erectionem suorum beneficiorum.

Ut probent autem Capitulares vi huius consuetudinis nullam obligationem contraxisse, sed tantum honoris causa actum mere facultativum exercuisse, invocant et ipsi resolutionem Sacri Vestri Ordinis diei 11 Ianuarii 1590 iam supra relatam: « *Canonici et Dignitates tenentur per se ipsos divina officia obire, nec non Missas maiores canere illis diebus quibus ex Statutis vel legitima illius Ecclesiae consuetudine tenentur.* » Cum vero, nullo Statuto adstringerentur ad Missam Conventualem celebrandam, licet consuetudinem servarent, tamen, prout constat ex actis capitularibus anni 1673 post dictam resolutionem, et eleemosynam, pro Missa perceperunt, et Canonicis Curatis, quibus hoc onus quotidie incumbebat, obligationem applicandi Missam pro sua intentione talibus diebus imposuerunt. Cum enim Bulla institutionis Clementis VIII statuat, quod ad lucrandos fructus grossos, ac distributiones trium mensium vacationis, sufficit assistentia unius Horae maioris, certo non poterant Capitulares neque ad Missam Conventualem neque ad hebdomadam celebrandam obligari. « In duas aequales
« partes (sunt verba Pseudobullae Clementis VIII loquentis
« de reditibus Praebendatorum) dividatur, quarum una
« Praebenda seu Grossa vocetur; altera vero in distri-
« butionibus quotidianis consistat. Grossam vero unus-
« quisque Canonicus lucretur, qui singulis annis per no-
« naginta dies continuos sive interpolatos resideat, compu-
« tato anno a die prima Novembris, idque in una sal-
« tem ex Horis quas maiores vocant, nempe vel Missa
« Conventuali, vel Vesperis vel Matutinis . . . . Si quis
« autem novem mensibus anni, vel ducentis septuaginta

« diebus, qui novem menses conficere solent, ad unam « saltem ex praedictis maioribus Horis resederit, in tribus « reliquis solatii mensibus, integras distributiones quoti« dianas etiam reliquorum mensium accipiat ».

Consuetudo autem Substitutorum a Curatis inducta et a Capitulo postea approbata, videtur sancita Constitutionibus synodalibus dioecesis Segobricensis, quibus titulo 28, const.3 inter alia statuitur: « Ut tam in Ecclesia Cathedrali quam « in Parochialibus, eligatur conveniens et apta persona voce « et habitudine praedita ad faciendam hebdomadam in « Choro et Missam Conventualem decantandam ». Item in statuto unionis, reductionis et suppressionis beneficiorum Ecclesiae Segobricensis, iudiciali sententia firmato ab Episcopo Alonso Cano die 29 Iunii 1778 inter alias a Capitulo propositas erectae fuerunt duae Capellaniae hebdomadariae perpetuae pro munere Chori et Missae Conventualis adimplendo ita ut stipendia earum a Canonicis Curatis solverentur, sicuti antea. Ex his igitur, concludunt Capitulares, et ex aliis quae continentur actis capitularibus diei 18 Novembris 1680 et 22 Decembris 1777 constat, nunquam extitisse obligationem in Capitularibus circa hebdomadam et Missam Conventualem, stipendiaque et eleemosynas Missarum semper a Canonicis Curatis fuisse solutas usque ad annum 1834.

Hac autem aetate, cum propter imminutionem suorum proventuum ex publicis calamitatibus Hispaniae provenientem, Canonici Curati enixe a Capitulo efflagitaverint, ut obligatio solvendi stipendia et eleemosynas Missarum Conventualium eis adimeretur, concessum fuit a Capitulo die 12 Aprilis 1834, statutumque ut in posterum desumeretur ex fundo dicto *Praepositura*, efformato ex parte communis massae annualiter segregata, iuxta Bullam institutionis Clementis VIII – ibi – « Ut in singulos annos redactis in cumulum hu« iusmodi massae communis fructibus, ex illisque ea parte « quae ad ordinarias extraordinariasque Capituli necessi« tates ipsi Capitulo necessaria visa fuerit, detracta etc. » Huiusmodi autem Capituli resolutio probata fuit ab Episcopo Sanz Palanco die 7 Maii 1834.

Praxis haec servata fuit usque ad annum 1837 quo a civili potestate omnia Ecclesiarum bona et praedia subrepta fuerunt. Cumque necesse fuisset novam condere pro administratione Cathedralis Ecclesiae constitutionem omnino con-

formem novo essendi modo Cathedralium, factum est ut quod antea ex fundo Praepositurae desumebatur, in posterum ex aerario Fabricae sumeretur, Fabrica enim videbatur antiquae Praepositurae respondere. Proindeque ab anno 1841 usque ad praesentem diem tam stipendia Capellanorum Hebdomadariorum, quam eleemosyna pro Missa Conventuali, et ipsis et Capitularibus tributa, desumpta est ex aerario Fabricae.

Nec defuerunt fundamenta pro hac consuetudine introducenda. Inito anno 1851 inter Romanum Pontificem et Regiam Catholicam Maiestatem Concordato pro regimine Hispanicae Ecclesiae, cum praesumpta computatio cultus efformaretur, inclusa sunt in ea eiusmodi stipendia et eleemosynae Missarum consentanee ad art. 21 Regalis Decreti diei 21 Novembris 1851, ubi praecipitur quod: « Ad faciendam Fabricae praesumptam computationem, « videantur primo proventus quoquomodo a Fabricis antea percepti, et secundo consuetudines et splendor quo « cum cultus primo tribuebatur ». Quod deinceps anno 1852, decreto utriusque potestatis consensu edito die 16 Maii iteratum fuit, in articulo enim 3 sancitum est: « Ut « stipendia quorumcumque Ministrorum et subditorum in « Ecclesiis Cathedralibus Capitulo servientium, et in com- « putatione personali non comprehensa, in redditibus an- « nualibus Fabricae concluderentur ». Et licet in praedicto Concordato anni 1851 animarum cura, utpote articulo 15 illius opposita, a Capitulo sublata fuerit, attamen obligatio canendi Missam Conventualem et hebdomadam faciendi semper in hebdomadariis perstitit, sicut et in Fabrica consueta stipendia et eleemosynas tribuendi, quippe in Regali Rogationis schedula data Episcopis die 31 Iulii 1852 ea abrogantur quae Pactioni anni 1851 aut Episcopali auctoritati et iurisdictioni videantur contraria; ea autem servari praecipiuntur quae legitima consuetudine ab immemorabili in Ecclesiis fierent Concordato non contraria; quod quidem, aiunt Capitulares, nostrae consuetudini et privilegio apprime convenit, nam neque adversatur iuribus Episcopalibus neque ipsi Concordato.

Hinc factum fuit, ut Capitulum, cui praefuit Episcopus Canubio, die 4 Novembris 1853 maiore suffragiorum parte, cui Episcopus adhaesit, talem consuetudinem sanciret, et neque ipse neque Episcopus Hernandez, qui

datis temporibus visitationem ad Sanctorum Apostolorum limina fecerunt, quique Cathedralis Ecclesiae statum et consuetudines Sedi Apostolicae patefacere debuerunt, nihil attamen circa ea aut immutaverint aut definierint, scientes aliunde iuramentum a quolibet Canonico praestitum in adipiscenda possessione Praebendae servandi nempe consuetudines et privilegia Ecclesiae Cathedralis, cuius relaxationem certe impetrassent, si aut iuri communi, aut novissimo Ecclesiae Hispanicae talis consuetudo contraria fuisset.

Denique, concludunt Canonici, cum speciale privilegium non abrogetur lege generali, nisi expressa illius mentione facta, vel nisi aperte ac clare illi contradicat, et cum privilegium Ecclesiae Segobricensis neque a Concordato expresse abrogatum fuerit, neque illi adversetur, videtur firmum ratumque stare hodie, sicut stetit non obstantibus Synodo Tridentina et Constitutione Benedicti XIV « *Cum semper oblatas*; » nam Missa Conventualis fuit quotidie in Cathedrali celebrata pro benefactoribus, licet modo conformi consuetudinibus et institutionibus eiusdem Ecclesiae Segobricensis.

Pro coronide afferunt Canonici resolutionem latam a quodam tribunali, quod nuncupant Sacram Rotam, in simili casu Ecclesiae Metropolitanae Valentinae die 22 Novembris 1875, quae sic se habet: « Onera ca-
« nendi Missas Conventuales et hebdomadam in Choro
« faciendi, aliis imposita quam Capitularibus, non sunt
« contraria iuri Canonico; etenim nec in Decretalibus, nec
« in Sancta Synodo Tridentina, nec in Encyclica Benedi-
« cti XIV « *Cum semper oblatas* », nec in declarationibus
« S. Rituum Congregationis ac Emorum Cardinalium Con-
« cilii interpretum, aliquid invenitur, ex quo colligi pos-
« sit, hoc onus Missas Conventuales canendi, tantum in-
« cumbere Canonicis, cum ante et post Concilium Triden-
« tinum et ab antiquissimis temporibus varia fuerit Ec-
« clesiarum consuetudo circa hanc rem ».

Hisce breviter utrinque delibatis, videant Emi Patres ea qua pollent iuris peritia ac prudentia quonam responso dimittenda sint.

DUBIA

I. *An Canonici Cathedralis Segobricensis valeant per*

Capellanos Missae Conventualis onus et servitium chori explere in casu.

II. *An stipendia pro Capellanis Missam Conventualem cantantibus desumenda sint ex proventibus Canonicorum, seu potius ex redditibus Fabricae Ecclesiae in casu.*

III. *An Dignitates et Canonici pro Missis Conventualibus, quas ipsi celebrant, stipendium desumere valeant ex iisdem Fabricae redditibus in casu.*

Dilata et plenius demonstretur asserta consuetudo.

Sess. 21 cap. 6 de Reform.

DERTHONEN. REINTEGRATIONIS IN PAROECIAM. = Ioseph Carlevaro, Parochus loci Fortunago dioecesis Derthonensis, ob animi asperitatem suamque agendi rationem, plebis suae curae commissae aversionem in se concitavit. Quapropter nonnulli loci incolae, Communitatis Syndicus ac Subpraeses districtus ad Rm̃um Episcopum Derthonensem recursum habuerunt, expostulantes, ut Parochum Carlevaro e loco Fortunago removeret, ac per idoneum probumque Sacerdotem fidelium saluti prospiceret.

Reverendissimus Antistes Negri f. rec. ea qua par erat sollicitudine ac prudentia, omni cura sategit, ut Parochum Carlevaro exhortationibus, obsecrationibus, increpationibus ad bonam frugem et charitatis semitam revocaret. At cum haec omnia in irritum cessissent, die 13 Novembris 1873 decretum edidit, sequentia decernens: « Per « has nostras praesentes literas te Rem̃um D. Iosephum « Carlevaro . . . ab officio Parochi removemus, manda- « musque a Paroecia abscedere infra octo dies a praesen- « tium communicatione, teque ab officiis parochialibus si- « ve publicis sive privatis interdicimus, donec rebus in « melius conversis Nobis videatur in Domino te fore in « officio redintegrandum.

« Pendente hac temporanea tui remotione, Nostrum « erit Paroeciae consulere per idoneum administratorem « qui tui vices suppleat, cuique propterea congruam por« tionem Praebendae reddituum adsignabimus. Tu vero « intra quindecim dies ab intimatione praesentium rationes « nobis exhibeas eleemosynarum et reddituum parochia« lis Ecclesiae ab ultimo triennio, quos exclusive admini« strabas, cuius ope a te suspicionem inter Parochianos « ingestam de mala versatione propellere possimus, sicque « famam iustitiae et pietatis amissam recuperes, quod « utinam viam sternat tibi citius tuae Paroeciae restituen« do. Haec omnia decernimus suum sortiri debere effe« ctum sub poena suspensionis ipso facto per te incur« renda ».

Die vero 2 Ianuarii insequentis anni 1874 idem Episcopus aliud decretum edidit, quo statuit: « Deputiamo a « Reggente spirituale della Parrocchia di Fortunago il Mol« to Reverendo Signor Sacerdote D. Giovanni Fioroni di « Montalto con tutte le opportune facoltà pel libero e pie« no esercizio della cura spirituale di detta Parrocchia.

« Dichiariamo doversi affidare, come affidiamo, l'am« ministrazione della prebenda parrocchiale di Fortunago « ad un Economo, e per la fede che abbiamo nella sa« viezza e prudenza del lodato Signor D. Fioroni, a « risparmio di maggiori spese, lo nominiamo a tale « ufficio.

« Mandiamo al medesimo di presentarci nel più breve « termine possibile un quadro esatto di tutte le rendite « della Parrocchia di Fortunago, onde stabilire una con« grua pensione per l'affidatagli Reggenza ed amministra« zione, e sarà poi tenuto alla fine d'ogni anno, detratte « le spese di Culto come sopra, e l'onorario che gli verrà « fissato, corrispondere al Titolare D. Giuseppe Carlevaro « il sopravvanzo delle fatte esazioni, e dare a noi un pre« ciso resoconto della sua gestione ». Hoc Episcopi decretum executioni demandatum, et regio placito confirmatum est, ea parte excepta quae reddituum administrationem respicit, quam ipse Fiscus usurpavit. »

At vero cum R̃mus Episcopus Negri post aliquod tempus ad plures migrasset, in eiusque locum successisset actualis Antistes, Parochus Carlevaro apud eumdem institit, ut ipsum in Paroeciam redintegraret, et quamvis Episcopus

tractu temporis in ipsius votis concessit, haud valuit ipse Paroeciam repetere ob perdurantem populi aversionem. Qua tamen minime obstante aversione, necnon Episcopalis Curiae dispositione Parochus Carlevaro ad H. S. O. recursum habuit, conquestus de spolio ac gravamine sibi ab Episcopo Negri illato per supra expositum decretum diei 13 Novembris 1873 una petens redintegrationem in paroeciam loci Fortunago.

Acceptis hisce precibus sub die 22 Septembris 1876 rescriptum fuit « *Episcopo Derthonensi pro plena ac distincta informatione et voto* ».

R̃mus Derthonensis Antistes, ea qua par erat sollicitudine Amplissimi V. O. iussa faciens, quae nuper exposui confirmat literis diei 6 Novembris 1876, atque ea quae sequuntur refert « cedendo alle continue di lui sollecitazioni ed assicuranze, e per avvisare al modo di far cessare l'arbitrio più volte da me reclamato del R. Economato, che pretende amministrare quella non vacante Prebenda Parrocchiale senza distribuire i frutti al Reggente ed al Parroco nelle proporzioni stabilite col citato Decreto Vescovile 2 Gennaio 1874, ho fatta facoltà al Prevosto istante di tentare l'esperimento del suo ritorno alla Cura di Fortunago. Ciò che non ha potuto effettuare per l'opposizione e l'avversione tuttora perseverante di quei Parrocchiani.

« In tale stato di cose, di cui è difficile prevedere il termine, ove il Prevosto Carlevaro insistesse nel rifiuto della rinunzia alla Parrocchia, che ripetutamente gli venne consigliata, io opinerei di continuarne la cura per mezzo del Sacerdote Reggente, che già da qualche tempo l'amministra pacificamente e con buoni risultati, mediante l'annuo assegno sui redditi Parrocchiali stabilito dal mio Antecessore in Lire 600 circa, e coll'obbligo di consegnarne il residuo al titolare Prevosto. In questo caso io porterei a compimento le pratiche coll'Economato Generale di Torino, che sembra finalmente disposto a trasmettere il possesso e l'amministrazione della Prebenda Parrocchiale di Fortunago al Sacerdote Reggente, o ad altro che fosse munito di analoga procura dal Prevosto titolare, supplicando ad un tempo codesta Eminentissima Congregazione per la grazia al D. Car-

« levaro di essere definitivamente dispensato dalla resi-
« denza Parrocchiale ».

Hisce acceptis, ex Audientia SSmi diei 20 Novembris 1876 rescriptum fuit: « *Attentis etc. dummodo per idoneum* « *Sacerdotem ab Ordinario approbandum, qui die noctu-* « *que curae animarum etc. pro gratia dispensationis ad an-* « *num.* »

Hac minime concessione obstante novae querelae a Sacerdote Carlevaro hac super eamet re productae fuerunt sub die 2 Ianuarii 1877. Nam ex absentia ingens exposuit persentire damnum, quod magis magisque augebat in dies. Interea sciendum est quod ipsemet neque Episcopi suasionibus cessit, neque S. O. iussa fecit eum in finem ut, salvis sibi iuribus quibuscumque, mandatum daret alicui ecclesiastico viro ad effectum administrandi bona paroeciae, quae iam ab Oeconomatu administrabantur. Quandoquidem retulit proprio Ordinario se nescire *trovar persona di . . . fiducia, idonea Ecclesiastica che voglia accettare stante le antecedenze l'incarico,* subdens aversionem plebis contra ipsum *consistere in quei pochi che hanno goduto e godono le mie sostanze impunemente.*

In tali rerum statu haud desii iterum audire Episcopum Derthonensem imo et votum requisivi Ianuensis Archiepiscopi, qui postquam informationem ab Ordinario Derthonensi expostulaverat, retulit: « In conseguenza son « d'avviso non potersi adottare altro partito a riguardo « del R. Carlevaro, che l'attuare il provvedimento suggerito dal Rmo Vescovo, cioè o d'indurre quello alla « rinunzia della Parrocchia colla riserva di una piccola « pensione sulla medesima, o rilasciare un mandato di am- « ministrazione delle temporalità di quella prebenda al- « l'attuale Reggente, fissando al Carlevaro una piccola « pensione, come osserva nella sua lettera il Vescovo. « Spero che la S. Congregazione adottando definitivamen- « te uno de' due progetti, tra i quali crederei da prefe- « rirsi quello della rinunzia, vorrà risparmiare a quel « buon Vescovo gli ulteriori fastidi che potrebbe recargli « quel Sacerdote troppo tenace nelle sue idee ».

Itaque habito statu redituum praebendae parochialis, quae reddit annuas libellas 880 ab omni onere immunes, cum nulla spes effulserit Parochum inducendi ad beneficii renun-

tiationem emittendam sub die 1 Februarii 1878 rescribendum censui *Ponatur in folio*, et causa hodie mane discutienda proponitur nonnullis prius utrinque ex officio animadversis in iure.

Ac in primis ex parte Parochi Carlevaro notandum videtur decretum remotionis seu suspensionis ab officio Parochiali nullitatis vitio laborare. In iure siquidem posita inamovibilitate Parochi, neque coercitio ad tempus, neque totalis privatio valet infligi nisi trina canonica monitione praemissa, vel saltem, si necessitas postulasset, una peremptoria monitio praecesserit, quae trinae monitioni aequivaleret *Cap. Sacro* 48 *de Sent. Excom. Cap. Romana, Cap. Statutum eod. tit. in* 6°. Ad rem in causa *S. Severini 4 Aprilis* 1778 penes S. V. O. agitata officiales conclusiones pro Parocho Laetti admonebant sub §. *Addit* – ibi – « *Ad perpetuam privationem vel suspensionem tria requiri nempe causam gravem, concludentem illius probationem, et canonicam servatam formam . . . . Nam ex Concilio Tridentino non quaevis inhonesta conversatio iustam causam praebet privationis, sed ea cui praecesserit trina monitio.* » Hinc ad propositum dubium: – *An sustineatur appositio Oeconomi seu potius Parochus sit reintegrandus.* – S. Congregatio responsum tulit – *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, reservato iure Promotori fiscali agendi contra Parochum Laetti ad formam Concilii Tridentini et amplius.* – Atque adeo in hisce substantialibus formis S. Congregatio insistit, ut agendo praesertim de privatione Paroeciae propter gravissimas contra Parochum imputationes processum fieri iussit sumptibus Episcopi, ceu ostendit *Placentina Restitutionis et Rehabilitationis in Paroeciam diei 14 Iunii* 1846. Atqui dubitari nequit, quod in themate decretum prodierit trina monitione despecta dum de ea neque verbum in actis habetur neque vola. Ob praetermissionem ergo canonicae formae decretum ipsum nullitatis vitio infectum esse videtur.

Quod magis magisque confirmatur ex eo quod Episcopus Parocho Carlevaro legem imposuit indefinite abessendi a residentia, eumdem auctoritate propria ab hac canonica lege dispensando, quod in ipsius facultate non est; ceu tenent melioris notae Doctores, edocentes gravi tantum de causa Episcopos posse Parochis dare licentiam abes-

sendi a paroecia ad tres menses *Reiffenst. De Resid. Paroch. lib. 3 tit. 4 num. 77, Fagnan. in cap. Relatum n. 21., Barbos. part. 1 cap. 8 de offic. Paroch. n. 58.* Peccat ulterius in hoc quod Episcopus sibi reservavit ius Oeconomum nominandi, qui alioquin a Parocho eligendus erat atque ab Ordinario approbandus. Qua in re dux mihi sit resolutio S. V. O. in *Ianuen.* 10 *Sept.* 1735. Agebatur inibi de Antonio Mutio Parocho villae Fassinelli contra quem plures obiiciebantur defectus, propter quos Archiepiscopus praeceptum tulit de non accedendo ad propriam paroeciam; necnon demandans processus confectionem sub obtentu nimiae adversionis ab omni populo Oeconomum deputavit. Parochus reclamavit ad S. Congregationem et causa discussa S. Congregatio respondit: « *Dilata et interim nomine S. Congreg. deputetur Oeconomus a Parocho nominandus et ab Archiepiscopo approbandus assignata eidem congrua libell.* 18 *in singulos menses. Reliqui vero redditus parochiae necnon decimae, quae manent titulo depositi penes Praepositum Terrae Crucis libere et integre consignentur Parocho* ».

Re at vero intimius perspecta videretur quod causa suspensionis in populi aversione consistens minime subsistat in facto. Si demas enim inclamationes quinquaginta octo incolarum, Syndici et Sub-Praefecti Provinciae, caeteri Parochiani contra Parochum Carlevaro ne obmussitarunt quidem. Iamvero, indole nostrorum temporum attente perspecta, in quibus homines nequam nimium sapientes ut faciant mala, bonum autem facere nesciunt, non secus ac quarumdam ephemeridum scriptores qui *propriam* iactitant et evulgant opinionem *publicam,* quasdam subscriptiones ac crucis signa huc illuc expiscantes populi nomine impio et temerario ausu ecclesiasticas civilesque movent potestates, ut fideles Ecclesiae ministri persequantur, facillime invenies praetensam aversionis populi causam falso laborare supposito. Quod autem res ita se habuerit, erumpit ex dictis Parochi, qui iam extrema versans in inopia redintegrationem instanter efflagitat edicens aversionem plebis *consistere in quei pochi che hanno goduto e godono le mie sostanze impunemente.* Scatet ex pluribus falsis accusationibus contra eumdem in Episcopali Curia productis, ita edicente decreto *licet omnium mendarum tibi attributarum*

rem non appareas. Scatet demum ex ipsius Sub-Praefecti conclamatione querentis Parochum Carlevaro publice praedicasse *è venuto l'usurpatore ad invadere i beni della Chiesa, ad atterrare la Religione per questo la Chiesa non ha più pace e la religione non avrà più allievi*, quod Parochus denegat, quodque crimen minime constitueret.

Posita at vero plebis aversione decretum ipsum utpote indefinitum sustineri non posset. Quemadmodum enim agentes de privatione ob Parochianorum aversationem communiter conveniunt Doctores Parochum hac de causa removeri non posse, nisi ea iusta et legitima causa, hoc est pravis illius moribus fuerit innixa *Lambert. de Iurepatron. part.* 2 *lib.* 2 *quaest.* 9 *art.* 1 *num.* 9. *Rota coram Falconer. decis.* 42 *num.* 4 *et* 5 *tom.* 2, ita paritate rationis de indefinita suspensione iudicandum, ne secus obtentu suspensionis tamdiu expectaretur, quamdiu Parochi iam ex hac vita decesserint, quod idem ac privationem redoleret. Porro de pravis Parochi moribus in actis, ne vestigium quidem apparet, imo contrarium potius innotescit, referente actuali Antistite, quod infelix Carlevaro *non manca di certe buone qualità.*

Ceterum ubi etiam huiusmodi perseveret odium, ita ut Parocho Carlevaro reintegrationem concedendam non esse suaderet omnium virtutum mater prudentia, atque animarum bonum, exinde tamen non descenderet quod ipse removeri posset assignata pensione super paroeciae bonis. Cum enim paroeciae reditus sint nimis tenues, nonnisi quam tenui pensione, quae impar esset ad vitam sustentandam possent gravari, quod idem esset ac afflicto Carlevaro, qui tamdiu in vinea Christi adlaboravit mortem inferre: recusans enim alimenta praebere necare dicitur. *Rota decis.* 98 *n.* 8 *cor. Peutinger, Ala Instit. iur. crim. tom.* 1 *de homicid.* Accedit etiam quod si ex Parochi reditu in propriam paroeciam scandala et rixae in populo timeantur, non exinde debet beneficio expoliari, sed priori dimisso de alio provideri uti ex *Can. Valet dist.* 81 tradunt *Innocentius in Cap. Veniens de Renunciat. et in Cap.* 1 *num.* 8 *de elect.* cum aliis apud *Bellett. disquisit. Cleric. part.* 1 §. 15 *num.* 19. Consona huic praescriptioni est S. Congregationis praxis quae, caeteris missis, in *Herbipolen.* 22 *Decemb.* 1860 etsi gravis aversio et abalienatio parochianorum et cul-

posus neglectus moribundorum obiiceretur, nihilominus Parochum provideri iussit de alio beneficio reditus fere aequivalentis.

Verumtamen ex alia parte animadvertendum venit quod si documenta a Curia exhibita perpendas, manifestum apparet quod Parochus Carlevaro animarum saluti in oppido *Fortunago* prospicere haud poterat. Unde querebantur incolae in recursu exhibito Ordinario « pochi « frequentano i Sacramenti, e pochi credono nel loro Par« roco. Quindi è reso inutile ed effimero il suo ministe« ro, giacchè dove non vi ha stima non v'ha fede, e « mal si soffre la celebrazione dei riti divini fatta da per« sona che dimostra poco o nessuna credenza ». Et illius municipii Syndicus praevidens ex Parochi agendi ratione scandala et lites probabiliter oritura scribebat Antistiti: « dichiaro che non potrò più rispondere sopra quanto po« trà succedere in avvenire, e prego anche una volta « l'Eccellenza Vostra Rm̃a d'interporre i di Lei validi uf« fici, affinchè il Sig. Giuseppe Carlevaro sia in altra Sede « traslocato ». Subpraefectus provinciae Episcopum exorabat ut attenta populi aversatione Parochum removeret: « Il sottoscritto a nome anche del Signor Prefetto della « Provincia deve vivamente interessare la S. V. Illm̃a e « Rm̃a a voler provvedere perchè al Parroco stesso sia « data altra destinazione e ciò nello scopo di evitare « maggiori guai e discordie in quel paese. »

Hisce accedit Parochi loci *Casteggio* Vicarii Foranei oppidi *Fortunago* testimonium diei 25 Augusti 1874 edicens « I Parrocchiani ed il Parroco si guardano in ca« gnesco, e giuocano a farsi a vicenda insulti, a muoversi « litigi. La Chiesa è deserta, non si fanno più limosine, « manca la cera per gli altari, perfino l'olio pel SS. Sa« cramento ». Atque Vicarius Foraneus *loci Mormola* in cuius districtu extat Paroecia loci *Fortunago* habebat « Non è... a meravigliarsi se la longanime ed irritata « pazienza di quei popolani voglia provocare una decisiva « soluzione. Io so di buon luogo che sin dalla scorsa « estate si voleva chiamare in Fortunago un Ministro « Protestante... e non fu che in seguito ad ammonizioni « date ai più caldi, che si desistette del concepito pro« posito ».

Quapropter nonnisi necessitate urgente coactus Epi-

scopus in id consilii venit ut Oeconomum in paroecia administranda constitueret et omni modo curare debuit ut Ioseph Carlevaro procul a Paroecia discederet, alibique moram traheret *donec rebus in melius conversis visum fuerit in Domino eumdem in officio redintegrandum fore.* Iamvero sicut pro Ecclesia salus animarum suprema lex est, atque huc suas curas, suasque cogitationes intendit, novum hinc et inusitatum haud est ut *Coadiutores* et *Vicarii* in paroecia deputentur, quoties proprius Parochus gravi de causa bonum animarum operari haud valeat iuxta Tridentini sanctionem in *cap.* 6 *sess.* 21 *de Reform.* Cuius rei in puncto inimicitiarum exemplo sunt resolutiones S. V. O. editae in *Regien. anni* 1573 *dub.* 2, *Militen.* 15 *Octobris* 1644, *Alerien.* 30 *Iulii* 1757. Cum igitur ex dictis Parochus Carlevaro bono animarum in sua paroecia incumbere haud amplius valebat, cumque absonum a iure non sit, ut Parochus ad tempus removeri possit, constituto interim idoneo Vicario, qui animarum curam gereret, latum ab Episcopo decretum sustinendum esse videretur.

Eo vel magis quia propria culpa propriaque agendi ratione Parochus Carlevaro odium plebis in se convertit. Praestat, ipsiusmet dignoscere ingenium a Parocho loci Casteggio descriptum in literis diei 19 Ianuarii 1870 ad Vicarium Generalem datis in quibus habetur: « Del Prevosto di Fortunago che posso io dire o Monsignore? È « persona che ingrassa nei guai, e quando non li ha li « pesca. Caparbio, inflessibile nelle sue ragioni e nei suoi « diritti . . . Non conosce lo spirito di sacrificio . . . . « non ha tatto, non ha prudenza, e si crea il torto anche « in mezzo alla ragione ». Praestat insuper accusationum capita dignoscere, quae lamentabantur oppidani in recursu ad Episcopum misso. « Le ragioni che a ciò ci spingono sono « molte, ma per tema di soverchiamente trattenere V. E. « ridurremo al solo indifferentismo in materia di Religio- « ne. La propalazione di anticattoliche proposizioni, l'o- « missione arbitraria e quasi disprezzo nelle sacre funzio- « ni, l'allontanamento di ciò che è di decoro, come sa- « rebbe la proibizione anche di suonar l'organo nelle « grandi solennità; sudici e negletti sono i sacri arredi, « negletta l'istruzione ai ragazzi, la lampada spenta, sprov- « vista di cera nelle sacre funzioni. Nessuna importanza

« all'amministrazione dei Sacramenti agl'infermi; a giusti « rimproveri, con grossolani sarcasmi insulta ai parenti, « che il povero languente *non doveva perdere la parola,* « *o dovevate toccare il telegrafo* . . . Con facilità lascia « sprovvista la Parrocchia con pericolo de' neonati. La « mormorazione e maldicenza sono le sue solite preghie- « re in preparazione e ringraziamento immediato alla « Messa. Ingiuste ed indebite sono le sue pretese nei di- « ritti parrocchiali ».

Quae omnia accusationum capita licet vera non sint, prouti superius ex decreto innuimus apparere, attamen dubitari nequit Parochum Carlevaro sua agendi ratione *famam iustitiae et pietatis* amisisse, adeo ut si de aliqua re queri fortassis ipse valeret, esset de nimia Curiae indulgentia, in tanto tempore expectando, ut eumdem redintegraret donec res in melius converterentur; minime vero, ut peragit, de Vicario Generali, et praesertim de Oecocomo veluti actore principali fovente contra se plebis odium. Siquidem compertissimi iuris est, quod si infra annum inimicitiae nequiverint sedari, ac verisimile sit eas diutius protrahi posse, ne Parochum perpetuo a sua Ecclesia abesse contingat, neve damnum obveniat animarum saluti ex absentia proprii Pastoris, modis omnibus iste licet innocens est inducendus ad libere parochialem resignandam, vel immutandam cum alia secundum ea quae in terminis advertit *Fagnan.* in *Cap. Clericos n.* 26 *et seq. de Cleric. non resid.* et pluries resolvisse S. V. O. testatur *Tyburtina Indulti diei 7 Septembris* 1737 sub §. *Si vero.*

Si igitur tanto rigore in parochos licet innocentes procedendum esse ob plebis odium iura solemniter proclamant, quid sentiendum in themate ubi Parochus ex sua agendi ratione odium plebis in se acuit, quod probabiliter cessaturum non est diiudicent EE. VV. quibus erit quoque perpendere et Oratoris inopiam et infelicem statum in quo versatur, dum ex ipsius scriptis et ex nuperrimis Episcopi literis deprehendi valet eumdem semidementia laborare « *Dal tutto assieme* ait Episcopus *come specialmente dalla forma del di lui ricorso al S. Padre fa quasi nascere il dubbio che quel poveretto . . . . aggiunga anche la circostanza di un po' di debolezza di cervello.* »

Quibus hinc inde animadversis, atque aequa lance libratis

prae sueta, qua pollent sapientia, ac iuris canonici peritia quid in themate sentiendum sit diiudicent EE. VV. quibus de more diluenda propono.

DUBIA

I. *An decretum diei 13 Novembris 1873 sit confirmandum vel infirmandum in casu.*

Et quatenus negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

II. *An et quomodo providendum sit in casu.*

Ad I. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam et Episcopus praefigat Parocho terminum quo Paroeciae renunciet, eoque renunciare renuente, procedat ad Paroeciae privationem praevio processu saltem summario: in utroque autem casu eidem Parocho providere curet de aliqua pensione vel beneficio sine cura animarum et amplius.

Ad II. Provisum in primo.

Sess. 21 cap. 2 de Reform.

DE CHIAPAS CIRCA TITULOS SACRAE ORDINATIONIS. = In relatione status Ecclesiae De Chiapas in Mexicana provincia, quam ad S. Congregationem Rmus Episcopus transmisit haec habet: « Universalis Ecclesiae Mexicanae est praxis Ordines titulo *Administrationis* conferre, et ego hanc praxim sequutus sum ». Quibus habitis, eidem Episcopo mandavi ut magis praecise referret quidnam intelligatur titulo administrationis, et an praxis esset diuturna, et alicui peculiari privilegio inniteretur. Votis S. O. morem gerens Rmus Episcopus datis literis diei 10 Novembris 1877 sequentia exposuit.

« 1° Titulo *Administrationis* intelligitur destinatio ordinandi ad munia ecclesiastica, ubi Episcopo videbitur, obeunda, cum iure ad pensionem congruentem pro sustentatione ex fidelium oblationibus recipiendam, dummodo ex sua culpa inhabilis ad illa officia non reddatur.

« Maioris hac super re claritatis gratia scire oportet fideles christianos in Mexicana Ecclesia quasdam determinatas praestationes occasione quorumdam ecclesiasti-

« eorum officiorum Parochis facere teneri. Hae autem « praestationes dotem beneficiorum curatorum constituunt, « et de illis designatam in unaquaque dioecesi pensionem « Sacerdotibus ab Episcopo ad paroecias, pro ipsarum « necessitate missis tamquam parochorum Vicariis vel au« xiliaribus, ipsi Parochi solvere obligantur. Porro desti« natio ad modo dictum officium vel ad aliud quodcum« que munus quasi ad partem administrationis eccle« siasticae cum iure ad praefatam pensionem vel ad aliam « assignandam, *titulus Administrationis* appellata est.

« 2° Praxis ordinandi ad hunc titulum sacros mini« stros ab immemoriali proficiscitur tempore, et adeo, ni « fallor, universalis est in Mexicana Ecclesia, ut vix unus « aut alter Sacerdos in ea reperiatur qui sub hoc titulo « non sit ordinatus. Et sane si haec praxis iam ab anti« quis temporibus invecta non esset, Ecclesia Mexicana « a perlongo abhinc retro tempore sufficientibus et idoneis « ad vineam Domini excolendam ministris procul dubio « caruisset tum ob defectum sufficientium beneficiorum « ad quorum titulum ordinarentur pauperes, tum ob de« fectum vocationis aut idoneitatis in iis qui vel patri« monium vel capellanias iure cognationis haberent. In « praesentiarum vero postquam eadem dicta Ecclesia bonis « omnibus spoliata est sub multimoda persequutione con« stituta, cum, praesertim in iis qui substantiam huius « mundi habent, fides elanguescat et pietas tepescat, « vix inveniretur qui cum titulo patrimonii aut simplicis « alicuius beneficii gressus faceret ad Sanctuarium.

« 3° Nullum vero, quo mos praedictus innitatur, « peculiare privilegium novi unquam. Forte ex titulo *Do« ctrinae Indorum* a Concilio Limensi III inducto, et a « Concilio III Mexicano adoptato atque a Sancta Sede ad« probato, evolutione quadam facta, originem duxerit. « Non enim est improbabile quod dum progressu tempo« ris aliquarum regionum incolae linguam Hispanam di« dicerint, urgente ministrorum necessitate et deficienti« bus peritis in lingua, qui ordinari vellent, Episcopi « hanc qualitatem utpote non amplius adeo necessariam « praetermittere incoeperint, hac ducti ratione, quod om« nia quae Concilium Limense ad inducendum titulum « *doctrinae Indorum* prae oculis habuit, valere in casu; « nempe necessitas populos de ministris et zelo praeditis

« et numero sufficientibus providendi: aptitudo ad munia ecclesiastica in populis indorum obeunda; et tandem quod verisimile non esset ne ita ordinatos mendicare in tanta parochianorum multitudine et Sacerdotum penuria viderentur: reputantes cum Concilio Limensi – *Concilii Tridentini decreta nulla ex parte violari cum necessario animarum saluti hac ratione consuleretur .....* »

Cum ageretur de praxi quae afficit totam Mexicanam Ecclesiam, huiusmodi preces Archiepiscopo Mexicano ablegavi pro informatione et voto, et ut referret an consuetudo, de qua in precibus, esset reapse immemorabilis, et an omnibus iuris requisitis polleret. Haec omnia libentissime pro mandato H. S. O. exequendo, ab Rm̃o Archiepiscopo adimpleta fuere per literas datas Kalendis Novembris anni mox elapsi in quibus habetur quod « ab antiquissimis temporibus, quorum iam amplius non extat memoria, admiserunt seu consenserunt in huiusmodi titulum omnes quotquot fuere Praelati, qui huius regionis Ecclesias diutius quam per 300 annos rexerunt atque administrarunt. Cum viderent dignissimi praedecessores nostri non solum populos in necessitate spirituali versari, sed etiam paucos inveniri, qui titulo beneficii, capellaniae seu patrimonii possent ordinari (quod maxime notandum post direptionem bonorum Ecclesiae ac idearum subversionem) haud dubie sufficientem iudicarunt certam quamdam ac competentem congruam, quae proveniret ex emolumentis, obventionibus et iuribus, quae solent fideles in singulis paroeciis sacerdotibus erogare vel ob sacramentorum administrationem, vel ob curam animarum.

« Quoad substantiam idem omnino est titulus in omnibus dioecesibus, et tantum accidentaliter differt ob ipsius qualificationem seu denominationem. Sic ex. gr. existit in hac Archidioecesi *titulus administrationis* eodem modo ac illum profert seu explicat Episcopus Chiapensis; vocari etiam aliquando solet *titulus idiomatis* seu *linguae vernaculae*. Nam cum existant Indi qui tantum lingua vulgo dicta *Mexicana, Otonie* et *Mazahua* utantur, iuvenes in Seminario versantes, ac quamlibet ex his tribus linguis seu idiomatibus agnoscentes, poterunt hoc uno titulo ordinari, dummodo in illis populis, ubi aliquo ex tribus supradictis idiomatibus utuntur, sacris operam daturi sint.

« Cumulus, quem conflant oblationes, emolumenta, seu « iura parochialia, quae etiam *manualia* vocantur, non « idem esse solet in omnibus parochiis, si sermo sit de « materia seu specie in qua consistunt. Plerisque in locis « haec materia seu species est ipsa pecunia seu argentum « in antiquis edictis assignatum, quae edicta ab auctori- « tate episcopali una cum civili durante dominatione His- « panica in hac regione decreta fuerunt, vel a solis Epi- « scopis postea modificata iuxta temporum, locorum ac « personarum circumstantias. Alibi accipiuntur ac solvun- « tur iuxta morem seu consuetudinem; et in quibusdam « locis, ex. gr. in Archidioecesi Michoacanensi existunt « Indorum populi, qui valde modicam pecuniae quanti- « tatem erogant caetera escis seu cibariis completuri: imo « solent Parochis seu Vicariis opera personalia exhibere, « quae etsi legibus civilibus iam prohibita sunt, et ab « Episcopis ac etiam Parochis saepe recusata fuerunt, ta- « men nunquam penitus extincta sunt: mordicus enim « Indi praxi et antiquis traditionibus adhaerere solent ».

Quibus omnibus absolutis causam hodie mane in plenario EE. VV. consessu disceptandam proposui sub dubii formula in calce libelli excripta, quapropter praestat, pro meo munere, aliquid de more utrinque animadvertere.

Concilium Tridentinum in *Sess.* 21 *cap.* 2 *de Refor.* ne Ministri Sanctuarii cum ordinis dedecore mendicare aut sordidum aliquem quaestum exercere cogerentur, statuit neminem ad Sacros Ordines promoveri posse absque beneficio ecclesiastico, patrimonio vel pensione ad vitam sustentandam sufficiente. En praefati Conc. Trid. verba – ibi – « Statuit Sancta Synodus, ne quis deinceps Clericus « saecularis, quamvis alias sit idoneus moribus, scientia « et aetate, ad sacros Ordines promoveatur, nisi prius « legitime constet, eum, beneficium ecclesiasticum, quod « sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere . . . « Patrimonium vero vel pensionem obtinentes ordinari « posthac non possint, nisi illi, quos Episcopus iudicaverit assumendos pro necessitate vel commoditate Ecclesiarum suarum; eo quoque prius perspecto patrimonium illud vel pensionem vere ab eis obtineri, taliaque esse quae eis « ad vitam sustentandam satis sint ». Ex quo consequitur titulum S. Ordinationis fundari debere in re certa ac stabili quae Clericis ad vitam sustendandam sufficiat. Hinc recte

definitum fuit a Sacra Congregatione in *Seguntina Collat. S. Ordinis lib. II Decret. pag.* 54 patrimonium haud fundari posse in propriae industriae lucris. Nec in mobilibus aut semoventibus: nam in *Sypontina* 29 *Novembris* 1670 *lib.* 26 *Decret. pag.* 471 *et seqq.* ad dubium, – An possit patrimonium assignari super mobilibus et dictis animalibus – S. Congregatio reposuit – *Negative* –.

Profecto memorati tituli Ordinationis ab Episcopo Chiapensi propositi, illam stabilitatem a Tridentino requisitam minime praeseferunt. Licet enim verum sit quod ad Sacros Ordines tali titulo promoti ius haberent ad pensionem a Parochis obtinendam ex oblationibus provenientem, hoc ius tamen esset ad rem, non vero in re, cum oblationes et praestationes illae omnino fundentur in arbitrio et voluntate fidelium. Quapropter si titulus non sufficiens ad sacros ordines suscipiendos reputetur obtenta promissio ministrandi vitae necessaria, licet haec a Summo Imperante prodierit, a fortiori dicendum videretur, quod administrationis tituli prouti proponuntur satis non sint ad verum Ordinationis titulum efformandum. Iam vero hoc scatet ex doctrina Barbosae in *Conc. Trid. Sess. XXI cap.* 2 *num.* 36 *et* 37; *et de officio et potestate Episc. p.* 2 *Alleg.* 19 *num.* 73, ubi ait « ad ordines sacros illum non « esse admittendum, qui cum sufficienti patrimonio, aut « beneficio careat, impetrat ab amico cedulam, in qua pro- « mittit, se illi necessaria vitae subsidia ministraturum »; et ex sententia Sac. Congregationis in *Florentina* 28 *Iunii* 1704. Cum enim Imperator Clerico Florentino concessisset Diploma seu *Titulum Mensae* pro sua honesta sustentatione, quousque provideretur de sufficienti beneficio, et in dubium revocatum fuisset « *An licite et valide ordinari possit ad titulum dictae Mensae* » prodiit rescriptum – *Negative* –. Quin regerere fas sit praxim Mexicanae provinciae suffultam iri consuetudine fere immemorabili. Quod enim aperte contra dispositionem Concilii Tridentini procedit praesertim in re tam gravis momenti, corruptela potius quam legitima consuetudo dicenda foret.

Ex altera vero parte haec adnotari posse videntur. Praxis quae tribus abhinc saeculis in tota Mexicana Dioecesi viget adductae Sac. Concilii Tridentini doctrinae opposita nullo pacto dici posse videtur. Sane Concilium Tridentinum per ea verba nihil aliud innuere voluit, nisi quod

Clericus ad Sacros Ordines promovendus rem aliquam ad honestam sustentationem sufficientem pacifice possideret, eademque in re certa et stabili consisteret. Porro tituli ordinationis qui in Dioecesi Chiapensi aeque ac in Mexicana locum obtinent huiusmodi stabilitatem a Sac. Conc. Trid. requisitam praeseferre nullo modo ambigi posse videtur. Episcopus sane asserit Christifideles determinatas praestationes parochis *facere teneri:* asserit ulterius huiusmodi praestationes beneficiorum curatorum *dotem constituere,* et de illis ipsos parochos designatam pensionem *solvere obligatos esse* Sacerdotibus ab Episcopo ad paroecias tamquam Vicariis vel Parochorum auxiliatoribus missis, qui proinde ad eam exigendam ius habent. Posita proinde obligatione in parochianis praestationes determinatas solvendi propriis Pastoribus, necnon obligatione Parochorum determinatam summam solvendi eorumdem auxiliatoribus ab Episcopo datis, de stabilitate tituli nullimode ambigi posse videretur.

Quod autem res ita se habeat factum luculenter confirmat. Per tria namque saecula haec praxis, conferendi sacros ordines *titulo administrationis* in tota Mexicana Ecclesia viget; et tamen in tanta temporum diuturnitate et clericorum multitudine numquam exemplum occurrisse videtur quod Clericus sic ordinatus cum ordinis dedecore mendicare aut sordidum aliquem quaestum exercere compulsus fuerit. Quae res quanti facienda sit pro huiusmodi praxi approbanda, nemo est qui non videat; praesertim si parumper perpendatur, quod quaevis innovatio maximum spirituale dispendium toti illi Ecclesiae afferret, in qua, propter locorum paupertatem et circumstantias peculiares, clerici fere universi huiusmodi dumtaxat titulo ad Sacros Ordines admittuntur. Nec satis sed alia occurrit causa quae praxim in Ecclesia Mexicana constitutam in suo robore ab H.S.C. manutenendam esse suadere videtur; praesumptio nempe *iuris et de iure* eamdem privilegio, seu beneplacito apostolico auctorante incoeptam fuisse. Comperti quippe facti est huiusmodi praxim per plusquam tria saecula inibi in usu esse: porro tanti temporis fluxus consuetudinem constituere quam immemorabilem appellant, ii etiam sciunt, qui nihil sciunt. At vero consuetudinis immemorabilis tanta est vis et efficacia, ut nedum titulum de mundo meliorem, verum etiam privilegium et si opus sit, beneplacitum apostolicum praesumere faciat, ceu tra-

dit S. Rota passim, praesertim vero in *decis.* 624 *n.* 8 *cor. Olivatio,* et *decis.* 546. *n.* 11. *cor. Ansaldo.* Eadem tradit Card. De Luca *disc.* 32 *n.* 2. *et* 4 *de Benef.* Bonfin. *de Iure Fidecommis. disp.* 114. *n.* 31. Maxime vero quia ipsa haud saltem colorato titulo destituta manet dicente Episcopo eamdem forte *evolutione quadam facta* repetendam esse ex dispositione Concilii Limensis III a Concilio Mexicano adoptati atque a S. Sede approbati.

Neque iuvat regerere huiusmodi consuetudines induci non posse eo quod in Conc. Tridentini decretum irritans impingant. Superius enim ostendere sategimus huiusmodi praxim Sacrosanctae Synodi doctrinae haud contrariam, sed imo eidem esse quammaxime conformem. Verum dato etiam quod praefatae doctrinae opponeretur, tamen proposita obiectio contra allegatam consuetudinem immemorabilem nullam vim exercere valet. Sapientissime enim - ceu de more ad rem animadvertit laudatus De Luca *de Can. et Cap. disc.* 11 *n.* 9. – ibi – « Attamen id recte procederet, quando allegatur sola consuetudo tamquam purum beneficium temporis seu tamquam praescriptio; secus autem ubi allegatur specialis concessio Apostolica ad cuius probationem adducitur observantia, tamquam probatio praesumptiva, cum tunc non sit de directo ferire decretum irritans, sed agere de eius non comprehensione. »

Verumtamen si non in vim *iustitiae,* saltem in *gratiae* vim huiusmodi Mexicana observantia benigna sanctione decoranda esse videtur. Iusta siquidem intercedente causa, Ecclesia utut mater benigna rigorem relaxare consuevit legum canonicarum, quae imperant absque congrua beneficii, aut patrimonii aut pensionis titulo ad Sacros Ordines Clericos promovendos haud fore. Inter iustas vero causas recenseri primo loco potest locorum paupertas, ob quam Tridentini Decreta in *Sess. XXI cap.* 2 *de Reform.* silent. Nec desunt exempla in quibus causa cognita et re perpensa pluries Sedes Apostolica dispensare censuit. Praeterquamquod enim Religiosi Ordinis Mendicantium ordinantur titulo *paupertatis,* Alumni quoque Seminarii Patavini ex indulto Clementis X Sacris Ord.nibus initiari possunt ad titulum *Mensae Seminarii,* donec de competenti beneficio provideantur, et interim Ministerio ecclesiastico fungi debent: ita *Clericatus De Sacram.*

Ordin. Dec. 28 *num.* 28. Ita quoque Alumnis Seminarii Pragensis Urbanus VIII die 13 Maii 1640 indulsit, ut Ordines suscipere valeant ad titulum *Missionis*, prout idem antecedenter die 18 Maii 1638 concesserat Alumnis Collegii de Propaganda Fide. Pariter alumni collegii Illyrici privilegio gaudent ordinationis sine beneficio et patrimonio, nulla facta tituli missionis mentione. Simile privilegium concessum est collegio Fuldensi pro scholaribus Germanicae nationis.

Denique quod casui nostro apprime aptari videtur est Breve Xisti V ad Patriarcham Venetiarum, quod reperitur in Synodo Veneta anno 1591 coacta, quo concessit ordinare Clericos in Sacris titulo *Servitii Ecclesiae*. In hoc autem legitur: « Nos igitur singularum Ecclesiarum « id exponentium necessitatibus, utilitatibusque provi- « dere desiderantes, Fraternitati tuae, ut omnes et sin- « gulos dictae civitatis Clericos, qui vita, moribus etc. « . . . etiam si titulo beneficii Ecclesiastici, vel pensionis « annuae non sint provisi, aut patrimonialia, aliave bo- « na non possideant, dummodo alicui Ecclesiae . . . de « consensu eiusdem Ecclesiae Rectoris fuerint adscripti.... « exequiarum servitio et eleemosynis a piis Christifidelibus « elargiendis aliquid ad sustentationem victus capere pos- « sint, ... ad quatuor minores nec non sacros etiam « Presbyteratus Ordines, debitis temporibus, servatisque « Concilii Tridentini decretis promovere libere et licite « valeas, licentiam Apostolica Auctoritate tenore praesen- « tium concedimus et facultatem ».

Ad tramites huiusmodi dispositionum S. H. O. quandoque permisit ob penuriam Sacerdotum ut Clerici beneficio vel patrimonio destituti Sacros Ordines reciperent ad simplicem sponsionem alicuius, qui se necessaria ordinando subministraturum promitteret, idest cum simplici obligatione personali, ita *Campanil. diversor. Iur. can. rubr.* 8 *cap.* 4 *num.* 6, cuius S. O. declarationis testis est *Moder. de Beorgn. benef. lib.* 2 *quaest.* 6, *n.* 11. Et ut caetera omittam S. C. in *una Sanctae Crucis* die 8 Iulii 1719 ad Dubium « *An Episcopo Sanctae Crucis de la Sierra* (in Indiis) *sit indulgendum ut promovere valeat ad Sacros Ordines in civitate Sancti Laurentii della Baranca eos quos ipse necessarios iudicaverit, licet nec beneficium nec pensionem, nec patrimonium obtineant* – reposuit – *Pro gratia, dummodo non excedat numerum duodenarium* ».

Porro huiusmodi causae in themate occurrunt. Quandoquidem a laica potestate Ecclesia est expoliata innumeris ordinationum titulis, et proventibus ecclesiasticis. Iam lugenda dubio procul est Episcoporum conditio, quibus media deficiunt quomodo Clericis patrimonio destitutis valeant providere. Quae certo suadent saltem ex gratia praxim Chiapensis Dioecesis ex benignitate S. V. O. permittendam esse ne per innovationes detur occasio ut tota Ecclesia Mexicana idoneis Ministris ad vineam Domini excolendam necessariis cum irreparabili spirituali Christifidelium detrimento destituta remaneat. Quae cum ita sint, dignabuntur EE. VV. ea qua pollent prudentia et animarum zelo sequens dirimere

DUBIUM

An praxis Ecclesiae de Chiapas Clericos ad sacros Ordines titulo Administrationis promovendi sustinenda sit in casu.

Affirmative.

Sess. 23 cap. 1 de Reformat.

SUESSIONEN. MISSAE PRO POPULO. = Sub initio anni 1852 Suessionensis Antistes provocavit, obtinuitque indultum a S. R. C. vi cuius omnes suae Dioecesis parochi dispensati fuerunt super onere Missam applicandi pro populo in festis Sanctorum ex Concordato de anno 1801 suppressis: idque ceu legitur in indulto *pro gratia speciali cum onere tamen applicandi infra annum ad libitum ad eumdem finem tres Missas.* Quodque renovatum et extensum fuit, rescripto die 11 Martii 1858 a memorata Congregatione edito, ad omnia et singula festa ex dierum de praecepto festorum numero sublata tum D. N. I. C. tum B. M. V. tum Sanctorum, firma tamen remanente conditione tres Missas ad libitum quotannis celebrandi.

Verumtamen mensis vix effluxerat ab hoc secundo rescripto cum evulgatae fuerint Encyclicae litterae *Amantissimi Redemptoris* a Pio IX fel. rec. sub die 3 Maii 1858 editae, in quibus querens laudatus Pontifex de consuetudi-

ne, quae quibusdam in locis iamdiu invaluerat, cessandi nempe applicare Missae sacrificium pro populo diebus festis reductis, declaravit, statuit ac decrevit *parochos aliosque animarum curam actu gerentes sacrosanctum Missae sacrificium pro populo sibi commisso celebrare et applicare debere tum omnibus Dominicis, aliisque diebus, qui ex praecepto adhuc servantur, tum illis etiam qui ex huius Apostolicae Sedis indulgentia ex dierum de praecepto festorum numero sublati, ac translati sunt* . . . Et quoniam non deerant animarum curatores, qui peculiare aliquod reductionis indultum ab hac Apostolica Sede obtinuerant, hinc cavit *ut, ipsi huiusce indulti beneficio perfrui pergant iuxta tamen conditiones in Indulto expressas, et donec parochorum officium exercuerint in paroeciis, quas in praesentiarum regunt et administrant.*

Quibus visis et attente perspectis Encyclicae dispositionibus ab eomet Episcopo Suessionensi, hic sub die 9 Ianuarii 1859 dedit circulares literas super obligatione Missam pro populo applicandi ad tramites Encyclicae *Amantissimi,* atque minime obstantibus obtentis indultis, Parochos omnes ad eiusdem observantiam revocabat designando prae claritate omnes dies festos tum de praecepto, tum suppressos, in quibus ipsi onere devinciebantur Missam applicandi pro populo.

Sciendum interea est quod Episcopus Suessionensis anno 1862 ab H. S. O. indultum expostulavit dispensandi ad decennium animarum curatores ab applicanda Missa pro populo diebus festis suppressis, ea tamen apposita conditione ut stipendia Missarum, quas praedictis diebus celebrabant nullatenus sibi reservarent, sed omnia et singula Episcopo eiusque successoribus fideliter traderent rigorose applicanda Seminariorum dioecesanorum debitis solvendis: et voti compos factus fuit rescripto dici 24 Martii nunciati mox anni. Quinimo perdurante eadem causa indultum praefatum una cum adiecta conditione prorogatum fuit ad quinquennium die 20 Novembris 1871, et iterum ad aliud quinquennium sub die 26 Februarii 1877.

Cum autem, anno proxime elapso nonnullas quaestiones in collationibus Ecclesiasticis sacerdotibus suae dioecesis proposuerit actualis Suessionensis Praesul circa obligationem Parochorum Missam celebrandi pro populo diebus festis Concordato suppressis, novit non omnes eamdem

sententiam sequi et praxim; quandoquidem nonnulli tenentes praefatae Encyclicae dispositionem minime afficere Dioecesis Suessionensis Parochos propter dispensationem iam latam indultis a S.R.C. de anno 1852, et 1858 concessis propriam sententiam practice sequi non haesitaverint *quidam ab initio, quidam vero pluribus tantum abhinc annis.*

Ea propter ad omne dubium hac super re avertendum, Suessionensis Antistes supplici libello diei 11 Ianuarii 1879 ad S. V. O, confugit humiliter declarari expostulans: « An etiam post Encyclicam Epistolam *Amantis-* « *simi Redemptoris* eiusdemque publicationem per Anti- « stitem De Garsignies anno 1859 factam, post ipsius et « aliorum qui ei successerunt Antistitum sive explicitas « sive implicitas declarationes, post Indulta quae . . . ex « annis 1862, 1871, et 1877 concessa fuerunt, remaneat « et subsistat dispensatio a S. Sede prius anno 1852 lar- « gita, et die 11 Martii 1858 confirmata; ita ut potuerint « et adhuc valeant Sacerdotes recta et tuta conscientia absti- « nere ab applicatione Missae pro populo stipendiaque sibi « oblata retinere, modo aliunde conditiones a praedictis « Indultis praescriptas fideliter servaverint ac servent ».

Controversiae igitur statu breviter exposito cum hodie mane ipsa discutienda proponatur sub dubii formula in calce huius libelli relata sinant EE. VV. ut claritatis gratia nonnulla prius utrinque in iure animadvertam. Et primo videretur praefata S. R. C. indulta minime abrogata fuisse per dispositionem Encyclicae *Amantissimi*. Notissimi enim iuris est Principem nova edita lege non praesumi alicui voluisse inferre praeiudicium *L.* 1 §. *Si quis ex rivo* et *L.* 2 *Si quis a Principe ff. ne quid in loco publico*, cum praesumi non debeat Principem velle ius tertii auferre *Afflict. dec.* 334 *num.* 3, *Alciat. reg.* 3 *praesumpt.* 11 *num.* 3. Atqui per indulta S. Rituum Congregationis Parochis Suessionensis Dioecesis concessa quaesitum iam erat ius de non applicando Missam pro populo in diebus festivis deletis modo ipsi praescriptam conditionem servassent in indultis expressam. Dicendum ergo est Summum Pontificem per dispositionem Encyclicae *Amantissimi* haud revocare voluisse indulta Suessionensibus Parochis clargita.

Eo vel magis quia, ut omnes norunt, novae Constitutiones futuris tantum negotiis legem imponunt, non autem praeteritis *L. Leges Cod. de legib. Felin. in cap. ult. De*

Constit., *Gratian. Discept. forens.* 985 *num.* 17 quamvis adsit aliquis casus praeteritus, qui expectet perfectionem in futurum *Bart.* in *L. Omnes populi num.* 44 *vers. aut actus perfectus, Crot. num.* 131 *ff. de iust. et iure, Gratian. loc. cit. num.* 18. Cum enim initium sit sumptum de praeterito et ab eo tempore origo sit tracta, quamvis perfectio expectetur in futurum, nihilominus dicitur casus praeteritus et per consequens in Constitutione nova non comprehensus. Unde interpretationis regulae tradunt quod per rescriptum speciale prius concessum, lex posterius generalis limitatur et restringitur, nisi de speciali mentio fiat *Cap. Abbatem* 40 *iuncta Gloss. verb. Per litteram de Rescriptis* quia speciei non derogatur per genus.

Verum si attendas per praefatas Encyclicas litteras, haud novum ius inductum fuisse, sed antiquum declaratum renovatumque, omne dubium evanescere videtur circa praefatorum rescriptorum valorem. Cum enim dispensatio a lege data fuerit *ex gratia speciali*, nequit intelligi, quomodo haec gratia auferri posset per declarationem Principis, qui ad compellendos abusus quibusdam in dioecesibus exortos praeexistentem legem declarat. Hoc autem in themate contigisse vix legenti praefatas Encyclicas litteras apparet. Accedit ulterius observandum, quod beneficium Principis decet esse mansurum, et quod pro substinenda gratia quaecumque magis benigna interpretatio accipienda est *Rota decis.* 299 *num.* 28 *coram Crescentio ;* unde privilegia non censentur revocata nisi probetur revocatio per exactissimas probationes, quae exularent in themate, iuxta ea quae tradunt *Menoch. praesumpt.* 37 *num.* 7 *lib.* 6, *Paris cons.* 61 *in fin.*, *Gratian. loc. cit. discept.* 791 *num.* 11.

Quin praesidium captetur ex recitatis Encyclicae verbis enunciantibus voluisse tantum Parochos obtentis indultis frui, donec permanserint in ipsa Paroecia, ut saltem pro parochis post Encyclicae publicationem alibi translatis, vel in defunctorum loco suffectis dicta obligatio inducatur, seu potius ex non usu ipsius privilegii post praefatae Encyclicae publicationem. Non primum quia comma illud respicit indulta personis particularibus concessa, dum in themate concessum fuit indultum procuratoribus animarum Dioecesis Suessionensis, subindeque illa dispositio minime in casu applicanda videretur obstante regula 15 Iuris in 6. quae aperte

clamat odia esse restringenda et favores ampliandos. Non secundum quia indulta mere gratiae quae in nullius cedunt gravamen, minime per non usum perimuntur, quemadmodum de privilegiis agentes tenent *Glossa in cap. Ut privilegia* 24 *De Privil. verb. Semel in anno, Engel. lib.* 5 *Decret. tit.* 33 *n.* 19, *Pirhing ibid. n.* 176, *Reiffenst. ibid. n.* 209, et alii passim; praeterquamquod observari praestat usum universalem non fuisse, cum narret Episcopus nonnullos Parochos *ab initio* hanc praxim de non celebrando Missam pro populo, nisi in diebus praefixis in indultis sequi non dubitasse. Quaquaversus ergo re inspecta videretur quod rescripta a S. R. C. obtenta minime revocata fuerunt per publicationem Encyclicae *Amantissimi Redemptoris,* Parochosque Dioecesis Suessionensis posse a Missae pro populo applicatione abstinere celebratis tantum tribus sacrificiis quotannis ad eumdum finem ad tramites indultorum, quae iamdiu fuerunt elargita.

Contra sed vero animadvertas oportet quod adeo effraena videntur indulta a S. R. C. Parochis Suessionensibus concessa, ut ea voluerit Pontifex in recitatis litteris revocare. Praestat revera instantiae verba referre « Quinto « tandem idem R. Episcopus exposuit suae Dioecesis Pa- « rochos huc usque existimavisse se ad missam pro po- « pulo applicandam non teneri in festis Sanctorum de « anno 1801 suppressis: quum vero compertum fuerit hanc « obligationem omnino extare humiliter Sanctissimum Do- « minum rogavit ut de Apostolica benignitate, sanata qua- « cumque praecedenti omissione, super hoc onere pera- « manter cum suae Dioecesis parochis dispenset ». Hac porro relatione inspecta quae videtur exonerationem expostulare a tali onere pro Parochis in perpetuum suae Dioecesis, non ex paupertatis Paroeciarum canonica causa, sed tantum ne compescerentur abusus in sua Dioecesi introducti, una cum supremi Principis posteriore ordinatione in qua summopere dolet de consuetudinibus, quae quibusdam in Ecclesiis invaluerant Missam non applicandi pro populo in diebus festis suppressis, atque spiritu Encyclicae qui in eo consistit ut Parochi ad hoc sibi debitum munus revocentur, videretur quod praefata rescripta a S. R. Congregatione obtenta voluerit Pontifex revocare. Re sane vera si Pontifex ipse obtenta a quibuscumque Parochis rescripta voluerit coarctare *donec officium exer-*

fuerint in paroeciis, quas in praesentiarum regunt et administrant, nulla pretiosa ratio suppetere videretur quae suaderet voluisse Pontificem Parochos Suessionenses in perpetuum ab hoc onere immunes esse, dummodo ad libitum infra annum ad eumdem finem tres tantum Missas celebrassent.

Hoc autem argumentum eo vel magis excrescit quia Encyclicae istae literae, per viam generalis constitutionis promanarunt a Summo Principe ex motu proprio propter bonum et salutem animarum et post adhibitum consilium nonnullorum S. R. E. Cardinalium eum in finem, ut per quantum fieri posset ad observantiam iuris communis omnes redigerentur, statuendo pro remissione in posterum obtinenda *unice adeundam esse Nostram Concilii Congregationem*, illis dumtaxat exceptis, qui a Congregatione fidei propagandae praeposita pendent. Attenta igitur voluntate Pontificis, ex motu proprio Encyclicas literas ad compescendos abusus edentis, attento quod unice H. S. C. etiam pro Galliarum regione adeundam esse voluerit ad Missarum pro populo reductionem obtinendam, videretur, quod ipse tam ampla indulta tacite revocare voluerit; et notum est ex tacita etiam revocatione cessare rescripta gratiae *Cap. ult. de Rescript.* in 6 cum ea quandocumque a Summis Ecclesiae Pontificibus valent auferri, quin eorum fiat commemoratio, S. C. in *Eugubina Pensionis* 4 *Iunii* 1836 §. *Hoc pariter*.

Quod adeo verum est ut ipse Episcopus Suessionensis, qui rescripta impetraverat, vix edita Constitutione, illico per circulares litteras Parochos suae Dioecesis ad iuris communis observantiam revocavit, quod saltem implicite posteriores renovarunt Episcopi; cui dispositioni, nonnullis exceptis, omnes Parochi acquieverunt per viginti annorum spatium. Si igitur aliquod dubium hac super re adhuc exurgere posset, illud dilueret observantia in linea interpretativa, quae optima dicitur legis interpres, et maiorem omnium auctoritatem sibi vindicat, si ut in casu, sit illi proxima et coaeva. Quin obstaculum pariat nonnullorum contraria praxis quia hac in re maioris et sanioris partis observantia considerari debet, non vero paucorum, qui legem interpretarunt in sensu sibi magis beneviso nullo habito ad animarum bonum et salutem respectu. Quod enim maior pars iudicavit omnes iudicasse

censetur *L.* 18 *ff.de recept. arbitr.* Quod si adhuc dici velit memorata indulta minime revocata fuisse, tamen cum tanti temporis spatium effluxerit, quibus omnes ferme usi Parochi non fuerint, dicendum est iisdem tacite renuntiatum fuisse. Quemadmodum enim per actum contrarium videtur quis renuntiare iuri suo quod habet de iure communi; multo magis videtur renuntiare iuri quod habet ex privilegio, cum hoc facilius tollatur quam ius commune *Castr.* in *L. Commissoriae 4, Alex. cons.* 206 *col.* 2 *in princip. vers. non obstat, Gratian. loc. cit. discept.* 302. *num.* 2. Porro cum tacita haec renuntiatio a maiori parte facta censenda sit, idem est ac si ab omnibus facta fuisset iuxta *reg.* 60 *ff. De reg. iuris* refertur ad universos quod fit per maiorem partem.

Quibus utrinque animadversis sequens dignentur EE. VV. enodare

DUBIUM

An Parochi Dioecesis Suessionensis abstinere valeant ab applicatione Missae pro populo in festis a Concordato suppressis, stipendiaque sibi oblata retinere applicatis tantum infra annum eumdem ad finem tribus sacrificiis in casu.

—

Negative, nisi iidem sint Parochi qui vivebant tempore editae Constitutionis eamdemque adhuc regant paroeciam.

Sess. 22 cap. 6 de Reform.

BENEVENTANA ABSOLUTIONIS ET EXONERATIONIS. = Iam inde ab anno 1845 per Apostolicum rescriptum administratio bonorum nobilis familiae Mosti Beneventanae Dioeceseos Reñdo D. Antonio Mosti concredita fuit. Qui imminenti familiae ruinae cupiens aliquod afferre remedium, supplicem H. S. O. libellum porrexit exponens praedictae familiae bona praegravata reperiri annuis legatis Missarum 985, quae ubique celebrari poterant, necnon aliis 600 cum duobus Anniversariis, quae in Ecclesiis a respectivis testatoribus designatis erant satisfaciendae. Quapropter attenta rei familiaris angustia suppliciter

praefatorum legatorum suspensionem expostulabat. Et voti compos factus fuit; quandoquidem obtinuit rescriptum ad decennium pro legatorum suspensione, iniuncto tantum onere curandi annuam celebrationem Missarum biscentum in piorum fundatorum suffragium ac Missarum centumquinquaginta Teresiae Centrone, ac utriusque anniversarii.

Posteriori autem tempore, anno nempe 1846, ad tuenda in posterum omnium legatorum iura ex Ordinarii iniunctione inscriptio hypothecaria super idoneo fundo capta fuit, neque amplius in posterum renovata. Quin imo e vivis Administratore delato haeredes Mosti prorogationem nunciati indulti nonnisi quam anno 1859 impetrare satagerunt. Sed cum ipsorum preces Ordinario pro informatione et voto remissae de more fuerint, hic numquam valuit responsum dare tum quia status oeconomicus familiae non fuit exhibitus, tum quia aliquis ex Rectoribus Ecclesiarum in quibus legata pia secundo loco descripta erant satisfacienda suum suspendit assensum, usque dum pro illis iam adimpletis non solveretur stipendium. Supervenientibus autem praesentium temporum vicissitudinibus haeredes praedicti petitionem posthabuerunt.

At vero in praesens cum aes alienum tum hypothecatum, tum fluctuans vires patrimonii fere excedat, ita ut bona partim divendita sint, partim sub expropriatione reperiantur, Marchio Alexander Mosti (progenies illius cui per Apostolicum rescriptum interdicta fuerat bonorum gestatio) supplici dato libello sub die 24 Sept. 1877 quae sequuntur humiliter exposuit: « come la sua famiglia sulle eredità avute da' suoi ante-
« nati ha l'obbligo di far celebrare annue messe 985 cir-
« ca. Ora da più anni per debiti lasciati dagli stessi an-
« tenati e per altri contratti dall'Oratore è caduta in
« gravissima miseria talmente che non solo ha dovuto
« vendere la maggior parte de' fondi per estinguere al-
« cuni debiti, ma tiene il rimanente della proprietà sotto
« espropriazione inflitta dai rimanenti creditori sicchè alla sua
« disgraziata famiglia oggi manca proprio il pane quoti-
« diano. Per queste circostanze tanto critiche non tutte
« le 985 messe sono state celebrate; dall'anno 1868 sin og-
« gi sono rimaste addietrate da 7000 e più messe. Ora per
« provvedere alla sua coscienza implora l'assoluzione del-
« le messe omesse per il passato, e per l'avvenire l'eso-
« nerazione dall'obbligo per la vera e reale impotenza. »

Emus Archiepiscopus cui illico de more supplex fuit hic remissus libellus eum in finem ut non modo informationem et votum panderet, sed et interesse habentes audiret, postquam, quae in facti specie narravi, retulit datis literis diei 16 Iulii 1878 haec addere curavit: « patefacere debeo statum familiae Mosti propter ineptam « bonorum administrationem ex gradu decentiori ad gradum miserandum descendisse: onera Missarum ubicumque celebrandarum ab anno 1856 usque ad totum annum 1877 non adimpleta ad numerum Missarum 13215 « pertingere: inscriptionem captam anno 1846 super tabulis hypothecariis pro tuendis legatis piis iuxta meas « iniunctiones non fuisse amplius renovatam: legata vero « relicta Locis Piis, quorum bona post eorum suppressionem in dominium Demanii transierunt, esse regulariter inscripta, et reditus pro eis satisfaciendis usque ad « diem, quo iudicium expropriationis inchoatum fuit, fuisse « persolutos, quin Missarum celebrationem Demanium curaret. Neque autem praetermisi super Oratoris precibus « audire interesse habentes et ipsi in quantum ad eos « spectare potest, petitioni adhaeserunt. »

Habitis hisce literis causam in generalibus EE. VV. comitiis disceptandam mandavi, quae cum hodie proponatur, aliquid in iure animadvertere praestat. Ultimas morientium voluntates implendas esse omnia iura amico foedere praedicant. Nihil enim est quod magis hominibus debeatur, quam ut supremae eorumdem voluntates, postquam iam aliud velle non possunt omnino serventur, atque pro lege habeantur: *L.* 12 *et* 120 *ff. de verb. signif., Novell.* 22 *cap.* 2., *Can. ultima voluntas dist.* 13 *quaest.* 2, *Cap. Si haeredes* et *Tua nobis de Testam., Clement. Quia contingit de Relig. domib., Concil. Trid. cap.* 6 *sess.* 22 *de Reform.* Incredibili plane zelo Romani Pontifices iugiter advigilarunt, ne pia benefactorum vota fraudentur ubi de legatis missarum facta fuerit praescriptio. Unde statim ac quaedam prodierit opinio contendens per decennii lapsum extinctam, peremptamque esse obligationem celebrationis Missarum in animae expiationem scriptum, illico haec propositio inter proscriptas ab Alexandro VII recensita fuit die 18 Martii 1666: sub numero enim 43 damnatarum propositionum haec reperitur « *Annuum legatum, pro anima relictum, non durat plus quam per decem annos.* »

Item Innocentius XII in sua Constitutione, cuius initium *Nuper a Congregatione,* ut omnibus fraudibus hac super re occurri posset, rescripta et decreta tam super condonatione, quam Missarum reductione et compositione a S. Sede elargita hac clausula voluit esse munita « *dummodo malitiose non omiserint, animo habendi compositionem, alias gratia nullo modo suffragetur* ».

Quibus porro iuris praescriptionibus adhaerens S. V. O. non semel absolutionem a praeteritis omissionibus denegavit. Sic in *Perusina Reductionis* 3 *Iulii* 1784 denegata fuit absolutio quoad praeteritum ob missas non celebratas Reginaldo Anzidei, qui hoc onere ob haereditatem Pantasileae Pellini Vincentio eius patri delatam premebatur. Quamvis ipse exposuisset quamplurima bona haereditaria a patre distracta, nonnulla vindicata ab ipso erogata fuisse in solutionem aeris alieni a patre contracti; ipsum paternam haereditatem cum beneficio legis et inventarii adivisse ac de bonis haereditatis Pellini, nonnisi quartam partem retinere; bona fide onus praeteriisse, cum nulla bona relicta penes se extare putaret. In *Bononien. Reductionis Servit. Chor.* 24 *Novembris* 1787 in primo dubio repulit preces Sacerdotis Petri Cassinii absolutionem expostulantis a Missis 830 non celebratis, mandavitque Archiepiscopo ut Cassinium cogeret ad celebrationem Missarum omissarum etiam cum sequestro fructuum beneficii. In *Feretrana* 14 *Ianuarii* 1792 denegata fuit absolutio ab omissa Missarum celebratione Laurentio Bierdi, qui haereditatem adiit sui patrui sine inventario; neque accuratam exhibuit notulam status passivi; earumque celebratio infra tempus et in Ecclesia ab Episcopo designanda praescripta fuit.

Potiori vero ratione non semel, neque bis, nec reduci nec deleri Missarum legata permisit, quemadmodum ostendunt resolutiones editae in *Romana Oner. Missarum* 15 *Decembris* 1714, *Albanen. Capellaniae* 23 *Aprilis* 1734, *Nicien. Oneris Missarum* 1780, licet de pauperibus ageretur personis, qui hanc ob causam onerum abolitionem expostulaverant, ceu fidem faciunt decreta edita in *Mediolanen. Fund.* 20 *Maii* 1752, *Melevitana* 23 *Aprilis* 1768, *Nullius Nonantulae* 17 *Decembris* 1791.

Hisce in iure praemonitis videretur in facto, quod neque absolutio, minusque exoneratio a legatorum imple-

mento esset Oratori concedenda. Non absolutio, quia deesset fundamentum pro eiusdem largitione, quod est bona fides. Notum enim est quod effluxo decennio, haeredes Mosti haud studuerunt vel obtenti indulti prorogationem expostulare, vel Missarum onera implere; et quamvis posteriori tempore anno nempe 1859 iterum hac super re preces renovassent, attamen capta occasione, qua iniquitas temporum (lege civili silente, vel potius auxilium praebente) sinebat Ecclesiae iura et proprietates invadere, piasque fundatorum aspernari voluntates, haud curarunt haeredes Mosti rem cum hac Apostolica Sede componere, sed legatorum adimplementum mittentes nonnisi quam anno 1877 ad S. V. O. convolarunt. Quae agendi ratio, cum in se malam fidem continere videatur, nulla viderentur commiseratione digni. Licet vero affirmari posset hanc culpam in Oratore non valere refundi tamen denegari nequit quod et ipse sui auctoris vestigia, sequens in mala fide perseveravit. A die siquidem obitus genitoris legata adimplere, et inscriptiones hypothecarias in qualitate haeredis pro tuendis legatis renovare neglexit; imo novis nominibus haereditatem praegravavit, ut ita deterior legatorum evaderet conditio: quae certe non modo bonam fidem excludere, sed et malam revelare videntur, ita ut ipse a petita absolutione reiiciendus foret. Non exoneratio quia praeter hucusque adducta, recolendum *quod fundationes Missarum usque ad summam necessitatem conservare H. S. O. in more habet* ceu perlegitur in *Romana Subsidii* 3 *Iunii* 1852 §. *Verum in causa.* Notandum ulterius quod ipsa concessa de facili bona a creditoribus occuparentur, et de spe fundatorum voluntates adimplendi in posterum actum iam esset; dum e contra in Demanii manus permanentia tandem aliquando favente Deo evenire posset ut salva saltem bonorum portione consuli posset piorum fundatorum voluntati.

Verum iusta intercedente causa, nedum absolutio a praeteritis omissionibus concedi solet, sed et ipsa exoneratio a legatorum implemento. Profecto inter causas iustas tam absolutionem a praeteritis omissionibus, quam exonerationem concedendi extrema inopia recensetur, idque ob praesumptam fundatorum voluntatem, qui si adhuc in vita egissent extremamque suorum inopiam conspicientes sanguinis fortasse vocibus moti, haud missarum onera impo-

suissent; S. C. in *Bononien. Absolutionis et Exemptionis oneris implendi legati* 27 *Februarii* 1875 §. *Oratori.* Hanc igitur ob causam absolutionem a praeteritis omissionibus largitam fuisse testantur *Casalen.* 15 *Decembris* 1787, *Casalen.* 20 *Decembris* 1788 *dub.* 2, *Ferrarien. Reductionis Missarum et Absolutionis* 20 *Decembris* 1788 *dub.* 2, *Nucerina Paganorum* 5 *Septembris* 1778 aliaeque quamplurimae exonerationem autem concessam pariter fuisse probant *Firmana Leg.* 31 *Maii* 1721., *Spalaten. Exonerationis* 15 *Februarii* 1879.

Age in themate de paupertate Oratoris nullimode ambigendum esse videtur: quandoquidem ipsemet Archiepiscopus testatus est Oratoris familiam *ex gradu decentiori ad gradum miserandum descendisse.* Quod magis magisque suadere videtur huic familiae quae in impossibilitate versatur legatorum onera implendi ex Ecclesiae, quae piissima mater est, indulgentia aliquod praestandum esse levamen.

Hisce itaque expositis, atque attento quod ex more S. C. tam in absolutione, quam reductione aut legati Missarum exoneratione largienda aliquod onus solet imponi, videant EE. VV. quonam responso diluendum sit

DUBIUM

An et quomodo annuendum sit precibus Oratoris in casu.

Affirmative celebrato aliquo Missarum numero ab Archiepiscopo determinando quoad praeteritum sub lege ut si oeconomica Oratoris conditio melior in futurum evadat pro aequa etiam parte, iuxta prudens eiusdem Archiepiscopi iudicium, pium legatum redintegrari debeat cum inscriptione hypothecaria, facto verbo cum SSmo.

Die Sabbati 26 Iulii 1879 in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua praeter alia proponentur infrascripta Dubia, iuxta morem eiusdem Sacrae Congregationis de iure resolvenda.

—

Sess. 24 cap. 1 de Ref. Matrim.

EBROICEN. MATRIMONII. = Ex bavarica militia redux in patriam Baro Petrus de Bosmelet, e pago huius nominis prope Auffey in Rothomagensi dioecesi secum duxit Teresiam Wolgebacher, quacum maritali vixerat consuetudine, ut sibi iungeret matrimonio. Familiae dedecus ex eo connubio devitare studentes eius mater Blanca, patruus Abel et amita Eulasia de Bosmelet nuptias eidem proposuerunt cum virgine paris conditionis; sed hac a Petro reiecta, aliam proposuerunt puellam Iuliam de Chef-d'Hostel, Eulasiae bene affectam, ex honesta familia Oppidi Cauverville in eadem dioecesi, et pinguissima dote communitam.

Nepotem ut in familia primogenitum Eulasia in sua substantia, praesertim ex praedio conspicuo, quod ad Domus et Castri de Bosmelet decorandum fuisset necessarium, destinaverat haeredem; unde Petrus matrimonium cum Iulia die 25 Novembris 1862 celebravit in hisce rerum circumstantiis, nimirum « in presenza della tenuità « della mia fortuna, dei miei pesi molto gravi, di qual« che debito contratto (idest 112 mille libellarum), e del« la prospettiva, che mia zia mi faceva temere, io non « posso dire, che la ricchezza della donna, che mi si pro« poneva, sia stata senza influenza sopra di me; ma la « considerazione principale è stata di non vedermi privare « dell'eredità di mia zia ».

Brevi concordia regnavit in domesticis laribus, quandoquidem, seu ex antipathia inter coniuges oborta, seu ex aemulatione inter socrum et nurum dominandi in familia, Iulia pervagari incepit extra domum maritalem, ita ut in parentum habitatione enixa est filium, quem paullo exinde luce orbatum Petrus deflevit. Effervescentibus simultatibus post annum 1864 haud amplius ad coniugales lares

se restituit; et Augusto mense sequioris anni 1865 evolvente, separationem tori, quam iudicio postulaverat, cum interventu Praesidis tribunalis Deppensis, de consensu obtinuit a marito.

Domesticam concordiam restaurare studuerunt Abel et Eulasia inter coniuges; unde Petrus, exeunte praedicto anno 1865, epistolam ad uxorem conscripsit affectionis et doloris attestationibus refertam. Id parum tamen profuisse videtur; quandoquidem ad maritalem habitationem non antea regressa adparet mulier quam ineunte anno 1868 dum ex adulterino concubitu utero gravis effecta est. Ut primum id deprehendit Petrus proprio decori et successioni consulere studuit, privata inita conventione sub die 1 Iulii eiusdem anni 1868, in qua, libera dotis administratione uxori relicta, promissionem ab illa retulit, quod prolem haudquaquam mariti nomine denunciaret; suis sumptibus aleret, atque insuper a successione familiae de Bosmelet, quantum in se esset, praepediret.

Ita denuo dissoluta unione, atque eodem anno e vivis erepta Eulasia de Bosmelet nepote haerede instituto, separationis iudicium restauravit Petrus, et annuente uxore, praenominatum tribunal votis congruam edidit sententiam. Septennio exinde effluxo de rescindendo connubio cepit agere; et cum hoc gallicis legibus esset interdictum suos lares transtulit in Helvetiam, ubi facile ope sententiae Tribunalis Winterthur voti compos effectus est. Supplex posthac adivit H. S. O. matrimonium in faciem Ecclesiae impetens ex duplici causa, nimirum ob sponsalia praecedenter inita cum Teresia Wogelbacher, et ob vim et metum ex minis amitae Eulasiae eumdem privandi sua successione nisi Iuliam duxisset. Quum ad preces Petri de mandato SSm̃i fuisset causa ad H. S. O. avocata, expleto in Curia Ebroicensi actorum processu, defensio exhibita est ex parte Petri, nec non Animadversiones ex parte Defensoris vinculi; et quum in hodiernis Comitiis sit causa discutienda, rationes hinc inde deductas nunc breviter exponam.

Qui pro matrimonii nullitate causam dicit ex his quae matrimonium in themate praecesserunt, arguit primo liberi consensus in Barone defectum; quandoquidem ipse iuvenem quamdam e Bavarica natione Teresiam Wogelbacher nomine deperierat, quacum iam inierat sponsalia pro-

uti ipsa mulier nunc vidua Metthar eiusque Levir, ac Princeps Palagoniae tunc Siculi Regis in Bavaria legatus probe testantur. Huic autem mulieri honoris et affectus vinculis ita Petrum devinctum fuisse asseverat Orator, ut impossibile ferme foret alii mulieri suum adiicere animum. At praeter huiusmodi obstaculum pro libere nubendo Iuliae Chef-d'Hostel aliud adinveniri adurget in invincibili antipathia et naturali aversione hanc erga mulierem, cui nonnisi minis exhaeredationis ab amita Eulasia incussis despopondit. Omnes enim conveniunt ab ipsomet inducti testes una cum Notario Brennetuit ab adversa parte producto (quibus plenam fidem praestandam esse subdit propter bonum vitae testimonium, et conditionem socialem in qua constituti reperiuntur) in declaranda tam praecedenti Bosmelet antipathia erga puellam Chef-d'Hostel, quam in statuenda amitae pressione eiusque minis exhaeredationis, ut praefatam duceret mulierem.

Antipathiam autem magis magisque roborari affirmat tam ex confessione ipsius mulieris, quae in precibus pro separatione tribunali civili exhibitis fassa est « che in ogni « epoca il Signor di Bosmelet ha dimostrato alla sua sposa « la più grande indifferenza, che giungeva alcuna volta « fino al disprezzo », quam ex ipsius ante matrimonium persuasione qua nos monet adeo erga mulierem Baronem sese indifferentem fuisse, ut ipsa dignoscere potuerit finem illius haud ipsam, bene vero suam dotem esse « *il mio pensiero attuale è che la mia fortuna è stata per lui il principale movente del matrimonio* ». Cui concinit testimonium ipsius avunculi Henrici Quesnel deponentis « *Io ho sempre rimarcato che il Signor Pietro Bosmelet era di un carattere molto freddo e molto riservato* ». Minas vero exhaeredationis confirmari ex facto quo Petrus Bosmelet, onerosas conditiones adiecit ut sibi praetextum pararet ad nuptias avertendas. Quare augmentum dotis primum petere curavit, et obtinuit « *ha domandato ed ottenuto un aumento di assegno* » ita contrarius testis Quesnel; mox inutiliter commendatitias literas et mutuam pecuniae summam vane a Ioanne Box expetivit ut transfretando Americanas regiones aversationem et familiae pressiones effugeret « *Esso* ita hic testis *voleva andare a fissarsi in quei paesi a fine, mi diceva, di sottrarsi ad un matrimonio, che la sua famiglia voleva imporgli* ». Perduras quin imo in actu nuptialis contractus conditiones apposuit, ut se a matrimo-

nio contrahendo eximeret. Affirmat id in contrarium adductus testis Notarius Brennetuit « Allorchè io preparava « il contratto nuziale vi aveva introdotto una clausola re- « strittiva dell'ipoteca legale della moglie, il Notaio della « famiglia di Chef-d'Hostel, avendo fatto un reclamo so- « pra questo punto, il Signor Pietro di Bosmelet mi dis- « se . . . bisogna tener forte a certe cose : mandateli « a passeggiare ». Quapropter testis hic asseverare potuit quod Petrus « ha subito la volontà di sua zia per salva- « re la terra di famiglia necessaria alla Signoria di Bos- « melet ».

Sed non minoris ponderis esse circumstantias quae matrimonium comitatae ac subsequutae sunt. Baronis siquidem mater testata est « *questa ripugnanza si è manifestata chiaramente prima, nell'atto, e dopo il matrimonio* ». Cui testimonio consonat alterum Henrici Quesnel, et De La Russerie qui tamquam testes matrimonio adstiterunt. Primus enim testatus est: « *sempre ho rimarcato che il Signor Pietro Bosmelet era di un carattere molto freddo e molto riservato* », ex quo patet quod in ipsius celebrationis matrimonii actu hanc frigiditatem in Petro notaverat, qui alioquin cum sit natura sua vividus, promptus et affabilis, ostendit malo animo has nuptias celebrasse. Alter autem deposuit *Il di lui contegno e la di lui condotta nella celebrazione del matrimonio sono stati corretti e convenienti*. Quae porro verba si cum aliis ipsius testis verbis comparentur: *Abbiamo rimarcato che egli aveva l'aspetto e l'andamento di un uomo di trenta, piuttosto che di ventiquattro anni*, plane ostendunt, subdit Orator, quod verba illa: « *il di lui contegno e la di lui condotta nella celebrazione del matrimonio sono stati corretti e convenienti* » de quadam trepidatione etiam in actu matrimonii sunt intelligenda. Et quod reapse res ita processerunt fidem facit Vidua Duforestel « *ho inteso dire che alla celebrazione del matrimonio il Signor De Bosmelet era triste ed afflitto* ». Et Camillus Boulen *ho inteso dire che al momento della celebrazione del matrimonio egli era talmente commosso che la parola gli mancava.* » Quae porro si paulisper expendantur testimonia, reiiciendas esse, tenet orator, Parochi Cauverville assertiones fatentes *il suo sì è stato pronunziato senza alcuna esitazione*.

Hinc: *La sera medesima del matrimonio dopo avere insistito vivamente presso madama di Chef-d'Hostel, perchè*

essa conducesse sua figlia nella camera coniugale, il Signor di Bosmelet andò a trovare alcuni de' suoi camerati, che si erano riuniti per fumare in una camera del castello; restò due ore con essi e non raggiunse sua moglie, che a più di due ore del mattino, ceu actor testatus est, et suo silentio confirmat sponsa, quae interrogata: *Vi ha egli il giorno stesso del matrimonio dimostrato del ritiramento, ovvero un' indifferenza,* a dando responso abstinuit « *Nulla ho a rispondere.* » Imo vix ac sponsi oppidum Bosmelet contenderunt *una messa fu detta nella Cappella del Castello,* et magna cum omnium admiratione notatum fuit *che il Sig. Bosmelet venne alla Cappella senza sua moglie, che venne sola poco dopo,* ceu vidua Duforestel et Rivière aperte testimonium perhibent, « *e si vedeva con meraviglia che gli sposi non sortivano insieme, e che madama Bosmelet era sovente partita sola,* » veluti adnotat Eugenius Pelletier. Atque inter domesticos parietes ipsorum animi ita erant abalienati ut sese minime uti coniuges reputarent. Testantur id coniuges Beaudoin, qui tunc temporis in domesticorum qualitate familiae Bosmelet addicti fuerant; *Il Signor di Bosmelet abitava nel suo castello una camera separata e non considerava in alcuna maniera la Signora di Chef d'Hostel come sua moglie. Ciò che non sorprendeva alcuno, perchè tutti sapevano che esso era stato ammogliato contro sua volontà. Da sua parte la Signora di Chef-d'Hostel agiva come le pareva . . . . Se ne andava quando voleva . . . . ed un giorno io le intesi dire a voce molto alta, che essa non considerava il Signor di Bosmelet come suo marito.*

Atque comes D'Onsembray fidem facit se amicum Bosmelet sive Lutetiae Parisiorum sive in oppido Bosmelet commorantem vidisse, et numquam « *Vi ho trovato la Signora di Chef-d'Hostel, che viveva segregata, giammai si parlava di essa; quasichè la medesima non esistesse.* » Unde omnem quaerebat occasionem deserendi coniugalem domum vel itineris vel venationis causa, neque impedimentum posuit, ut uxor noctu coniugalem domum desereret et ad propinquos confugeret. Adeo autem quin minueret, in dies antipathia odium atque horror increverat ut tandem aliquando institutum, atque ad exitum perductum fuit penes civile tribunal separationis iudicium. Hisce omnibus fastigium imponit germanus frater Petri Gratianus, qui communi matri scribens protestatur nolle invitum mu-

lieri coniungi invisae, quemadmodum accidit Petro, qui nupsit non ex voluntate, sed « *per dovere* ».

Quum ex concordi testium depositione manifeste evincatur coactio a Petro exantlata, per se patet quod nullam meretur fidem depositio patrui Abelis ab adversa parte inducti dum asserit quod ante matrimonium nepos Petrus postquam Iuliam inviserat perquisitus « *Eh bene come la trovi* » retulit « *Essa ha una figura simpatica.* » Respondet enim, quod iste sermo omnimoda probabilitate destitutus manet; dum ipse causam suam tueri debebat, qui una cum sorore Eulasia, quam fatetur admodum studuisse ut illa fieret coniunctio, illius matrimonii ope minarum et pressurae auctor fuit, quique post matrimonium coegit nepotem ut sese cum uxore reconciliaret.

Multoque minus potest infringi ex literis Baronissae Bosmelet datis die 3 Augusti 1862 Marchionissae de Mortemart, in quibus enunciat suam filiique satisfactionem pro futuro matrimonio, dum ipsa inscio penitus filio has literas dedisse nunciat, idque peregisse ut invitum filii animum occultaret sponsae et propinquis. Nec pariter minuitur ex Brachialis, et suae photographiae donis a Bosmelet sponsae ante matrimonium factis, et ex fletu eiusdem ob filii obitum ut Parochus testatur. Non ex donis quia volens vel renuens omnibus socialibus officiis satisfacere debebat; non ex fletu, quem vi ipsius humanae naturae tribuendum sustinet in viro bonae indolis atque sensibilitati obnoxio, qui alioquin filium suum esse censebat. Neque demum opponi possent literae a Petro sponsae datae triennio post initum connubium, in quibus benevolentiae verbis uxorem hortatur ad reconciliationem: siquidem ex literis matri datis tam a Leviro Abele de mense Ianuario 1865, quam a Domina Reimboville de mense Novembris eiusdem anni evinci propugnat coactionem et minas exhaeredationis continuatas a patruo et amita acriter fuisse etiam per plures annos post matrimonium, ut eum cogeret ad susceptum separationis iudicium deserendum, et ad sese uxori licet infideli rursus conciliandum; Petrum subinde has literas exarasse non benevolentiae signis permotum, sed sub imperio patrui et amitae benevolentiam simulasse, ut exaeredationis malum averteret.

Huc oratione perducta Orator patrimonii Eulasiae vires expendit, quod se portendit ad quadringenta et viginti

francorum millia, quae bona Petro debita quodammodo dicit quia erant de domo et familia, dum ex deletione fideicommissorum in Gallia in avi morte Eulasiae attributa fuere. Haec veluti partem integrantem ipsius oppidi efformantia Petro necessaria fuisse propugnat, ne sui oppidi valorem, libertatem et securitatem amitteret una cum ipsius familiae splendore. Quod adeo verum esse dicit, ut Avus necessitatem bona illa uniendi recognoscens moriens Eulasiae commendabat ut eadem bona relinqueret futuro oppidi possessori. Adnotat deinde quod timor haec bona amittendi causa fuit quae Petrum coegit ad nuptias cum Iulia conciliandas, minime vero huius divitiae et dos, quam ultro dimisit ante ipsam separationis sententiam licet iure eadem retinere posset.

Quibus porro in facto animadversis sustinet in iure timorem exhaeredationis et bonorum amissionis metui mortis aequiparari cum *res sive patrimonium sint quasi secundus hominis sanguis et vitae quodammodo aequiparentur* ceu totidem verbis docet *Pignatelli tom.* 7 *cons.* 77 *n.* 4 quem plures sequuntur DD. inibi recitati. At non modo amissionis omnium bonorum metus sed et rei magnae et notabilis adeo gravis a Canonistis reputatur ut dici optimo iure valeat eumdem *cadere in virum constantem.* Ad rem Sanchez in *lib.* 4 *disput.* 5 *a num.* 20-26 *de matrim.* – ibi – « Metus amissionis bonorum cadit in virum constantem. Probatur quia aequiparatur metui mortis ut « bene docet Tiraquellus..... metus amissionis maioris « partis bonorum cadit in virum constantem. Probatur ex « *cap.* 1 *de restitutione Spoliatorum in* 6° . . . et *L. Propter litem in princip. ff. de excus. tutor.* – ibi – *Nisi* « *forte de omnibus bonis aut plurima parte eorum contro-* « *versia sit.* Item quia haec amissio adeo grave reputa- « tur ut morti aequiparetur ut late probat *Tiraquel. de* « *nobilit. cap.* 31 *num.* 369. Ergo eius metus est viri con- « stantis . . . . Universaliter credo esse verum, timorem « amittendi maiorem bonorum partem esse iustum. Quia « est gravis iactura, atque ita virum constantem merito « movere potest. Quod videntur tenere doctores. Immo « idem credo quando non est metus amissionis rei ma- « gnae et notabilis, quia virum constantem iure optime « hoc terret: Sic Baldus . . . »

Sed aliae conditiones non minus necessariae et essentiales intercedere debent in coactione. Neminem autem la-

tet matrimonium metu initum si quaedam verificentur conditiones a iure requisitae propter liberi consensus defectum suis minime consistere viribus ex dispositione *Cap. Sufficiat 27 quaest. 2 Cap. Cum apud de Sponsal., Trid. Synod. sess. 24 cap. 1 de reform. matr.* Requisitae autem conditiones ad hoc ut matrimonii nullitas ex capite metus proclamari valeat, sunt: 1° ut malum quod timetur sit grave in se et non solum in vana aestimatione metuentis; 2° quod cum rationabili fundamento timeatur; 3° quod metum incutiens potens sit minas exequutioni mandare ac tandem 4° quod patiens ad easdem evadendas impar sit ad tradita per *Ferraris Biblioth. Can. V. impedimenta Matrim. art. 1 n. 100.* Iamvero has omnes conditiones adamussim in themate verificari urget. Proposito siquidem matrimonio reiecto agebatur de pinguis haereditatis amissione, super qua antea Eulasia constituerat nepotem instituere haeredem. Quod exhaeredatio rationabili fundamento pertimescenda erat, aperte profluit ex hoc quod minae perdurarunt usque ad triennium post matrimonii celebrationem, et quidem ab eadem inflicta quae easdem exequi potens erat. Neque Baro minas ipsas evadere valuit dum inutiliter omnia adhibuit tentamina ad propositas nuptias avertendas.

Qua posita nullitate inutiliter praesidium captandum esse prosequitur ex subsequenti cohabitatione et copula ut matrimonii ratihabitio et validitas statui posset. Quidquid enim hac de re sentiant antiqui canones, certum est hodie iure Tridentini quod matrimonium vi vel metu initum non convalidatur nisi adhibita rursus conciliari forma, ceu passim legitur in thesauro Resolutionum, firmavitque S. C. praesertim in *Hispalen.* 20 *Iunii* 1609 *Constantinop.* 2 *Decembris* 1634 et 16 *Decembris* eiusdem anni, *Ventimilien. Matrimonii* 20 *Mart. et* 24 *April.* 1700, *Parisien. Matrimonii* 25 *Iunii et* 27 *Augusti* 1864. Et licet principium hoc limitationem patitur in casu occulti impedimenti: tamen praesenti causae nihil officere colligit tam quia agitur de publico impedimento, quam quia vehementiores adsunt circumstantiae quae ratihabitionem prorsus excludunt.

Validitatem coniugii propugnans vinculi defensor duplicem causam a defensoribus Petri pro dissensu eiusdem in nuptiis assignari animadvertit: sponsalia scilicet, quae Petrus asserit iniisse cum Teresia Wogelbacher, et antipathiam erga Iuliam. Abstinet a confutatione primae causae, quia per se est adeo inanis, ut nec ipsi defenso-

res in eadem insistant, utcumque ab initio nunciassent; quum sit in iure exploratum quod sponsalia non irritant matrimonium. Aliam hinc causam refutans contendit, non antipathiam sed sympathiam a Petro fuisse patefactam dum prima vice puellam invisit in Rothomagensi civitate cum patruo Abele. Deponit enim ipse Abel « gli domandò nel di- « scendere le scale – ebbene come la trovi (il sig. Abele « gli dichiarava di trovarla assai male); il suo nipote ri- « spose: – Essa ha una figura simpatica –, e la conver- « sazione si arrestò là ». Mater autem Petri faustum mox nuntium suo et filii nomine dedit consobrinae suae Marchionissae de Mortemart « lasciando il luogo della prima « conversazione, Pietro ha detto a suo zio di Bosmelet – « Zio essa mi è simpatica . . . Noi vi facciamo, Pietro « cioè ed io la confidenza della nostra buona ventura ».

Nec aliud ferme deducitur ex ratione et modo, quo ante nuptias et in celebratione matrimonii sese Petrus gessit. Ut eam enim in balneis Selins inviseret iter arripuit 450 milliariorum; contulit donaria nuptialia, et hilarem ac satisfactum omnibus sese exhibuit. Praeter Iuliam, quae asserit « *agli occhi di tutti egli sembrava fortunatissimo di fare questo matrimonio* », Parochus et testes sacramentales idipsum affirmant. Parochus Home adiicit « il suo *sì* è stato pronunziato senz'alcuna esitazione « e senz'ombra di repugnanza, di un tono assai netto ed « assai alto »; imo enarrat sibi relatum, quod alteri ex suis amicis scripserat Petrus « *rallegratevi meco ; io sposo una ricca ereditiera* ». Amedaeus de la Rousserie testis sacramenti, pluries affirmat « *il sig. Pietro mi pareva soddisfatto di una unione molto vantaggiosa per lui* ». Henricus Quesnel alter testis avunculus Iuliae « io sono ben « convinto, che esso non è stato un matrimonio forzato; « e che se il signor Pietro ha contratto questa unione, è « stato, perchè dopo aver tutto pesato, egli ha giudicato « doverlo fare ».

Hisce accedit confessio Petri ipsius, qui deponit quod « in presenza della tenuità della mia fortuna, de' miei « pesi molto gravi, di qualche debito contratto, e della « prospettiva che mia zia mi faceva temere, io non posso « dire, che *la ricchezza della donna che mi si proponeva sia* « *stata senza influenza sopra di me* ». Ex hac ipsa confessione primo deducitur, quod contemplatio divitiarum fuit

causa impellens ad matrimonium; haec alioquin causa, quum non adversetur alicui ex tribus bonis matrimonii, non potest illum inficere, *Couvarruvias De matrim.* 2 *part. cap.* 1 §. *unic. num.* 7, *Sanchez. de matrim.* 6, 2 *disp.* 29, *num.* 8; adeo ut quantumvis fuisset minus honesta, imo etiam illicita, dum tamen nec habitu, nec actu fines proprios matrimonii non respuebat, hinc nec venialis culpae reum reddit contrahentem *S. Thom.* 4 *dist.* 30 *q.* 1 *art.* 3, *Caietan. in* 2 *To. q.* 3 *de matrim.*, *Pontius de matrim. lib.* 1 *cap.* 21 *num.* 13 « cum quis contrahit ob pulchritudinem « vel divitias meo iudicio neque est veniale peccatum... « finem enim totalem *haec* habere non possent, nisi actu vel « habitu excluderent fines matrimonii, sed tantum habent « rationem causae impulsivae, in quam expresse fertur, « implicite autem in ipsos fines operis et contractus ».

Utcumque autem etiam timor amittendae haereditatis amitae qui fuisset causa irritans nuptias, plus minusve ad ducendam Iuliam impulisset Petrum, ambigi tamen nequit, quod divitiae sponsae fuerunt concausae coniugii; sed exploratum in iure est, quod si duae vel plures causae ad actum concurrunt, semper est interpretatio facienda pro causa honesta et licita ut actus sustineatur, quia semper praesumitur, quod actus ipse fiat meliori, quo potest, modo, *Rot. Rom. decis.* 306 *num.* 8, *decis.* 611 *num.* 33 *part.* 4, *et decis.* 271 *num.* 10 *part.* 6 *rec.* « dum plures « causae referuntur ad celebrationem actus, tunc ex una « causa, quae sit vera sustinetur actus, quando illa est « sufficiens per se ad actum sustinendum ».

Quominus autem illas nuptias contraxisset Petrus sub coactione amitae Eulasiae minitantis eumdem privare compendio successionis, primum opitulatur testimonium Abelis de Bosmelet de se deponentis « *di non avere esercitata alcuna specie d'influenza* »: et ita de Eulasia « era molto « desiderosa di vedere ammogliare suo nipote; ma non « crede, che essa abbia esercitato la menoma influenza per « costringerlo a fare questo matrimonio ». Praenotati autem testes unanimi voce affirmant « *che esso non è stato un matrimonio forzato* ».

Sed admisso etiam, quod vere Eulasia sub minis privationis successionis nepotem ad controversas nuptias adegisset, non exinde tamen metus a Petro conceptus eius valoris fuisset ut matrimonium irritaret. Sunt quippe om-

nibus exploratae conditiones quae requiruntur ad constituendum metum incidentem in virum constantem. Est enim omnino necessarium ut malum sit grave, timor mali sit fortis, metum incutiens sit potens, imo et solitus exequi minas; metum autem patiens impos sit evadere malum; *Sabellius* cum communi DD. in *sum. tract. divers.* §. *metus num.* 3. Porro defuit in casu prima conditio, quia timor quem praetexit Petrus, non fuisset de malo vitando, sed potius de non capiendo lucro; id quod non constituit iustum metum. Angebatur nempe ob timorem perdendi haereditatem amitae; quae nullo iure neque in re neque ad rem pertinebat ad eumdem; ipse invitabatur spe lucri; sed si amittebat lucrum utut fuisset magnum nihil perdebat in suis bonis; unde eiusmodi timor neque est iustus, neque incidens in virum constantem, *Sanchez de matrim. p.* 4 *disp.* 5 *num.* 29, *Pontius de matrim. l.* 4 *c.* 4 *n.* 10 « deinde dicendum existimo, *metum amittendi lucrum, aut haereditatem,* aut beneficium, « quod quis sperat ab aliquo, ad quod non habet ius « ad rem, *non cadere in virum constantem...* cuius optima « ratio est, quia id non tam est metu deterreri, vel obligari, quam invitari spe lucri; spes autem et concupiscentia, ut inquit S. Thom. non minuit sed auget voluntarium ».

Ex aliis autem conditionibus nullam verificari contendit, neque ex parte Eulasiae, neque ex parte Petri; non ex parte Eulasiae, quia violentia repugnabat illius religioni, charitati in nepotem, et studio conservandi decorem familiae. Religio Eulasiae perspicue ostenditur ex eius testamento, in quo conspicuam summam libell. 7000 reliquit pro cultus divini incremento, et pro piacularibus animae suae suffragiis; aliam longe magis conspicuam summam libell. 40 millium reliquit sorori moniali, cuius compendium monasterio cedebat. Charitatem in nepotem ostendit nobilis mulier de Raimboville, quae ita Petri matri scribebat « *ieri ebbi la visita della signora Eulasia, che mi ha parlato di questo affare con la tenerezza materna, che essa porta a suo nipote* ». Studium conservandi decorem familiae obtestatur Notarius Brennetuit « la famiglia « di Bosmelet è una famiglia nobile ed antica; avendo « conservato le sue vecchie tradizioni e desiderando, che « la fortuna della famiglia restasse al più possibile nelle

« mani del suo capo e principale rappresentante, che do-
« veva essere allora il Sig. Pietro di Bosmelet, Madama
« di Bosmelet desiderava dunque di lasciare la sua pro-
« prietà a questo nipote; ed essa avrebbe avuto molto
« dispiacere nel diseredarlo ».

Praesumptus autem metus repugnabat etiam indoli Petri; quippe cuius testimonium apparet ex eo quod alias nuptias a coniunctis prima vice propositas absque ullo timore et haesitatione « *respinse assolutamente* »; et si quidem coactio aliqua eumdem premere debuisset, facilius quidem eamdem intulissent coniuncti in ea prima vice, in qua agebatur de removendis nuptiis cum concubina; quam nuptiis cum Iulia, in quibus agebatur tantummodo de lucro dotis. Sed hoc etiam in casu si hoc uno timore amittendi haereditatem amitae ad Iuliam ducendam fuisset Petrus impulsus, haud certo omisisset certam aliquam cautionem de successione sibi adstipulari, ne ob impraevidibiles eventus cogeretur uxorem exosam retinere, et concupitam haereditatem amitae non lucrari. Atqui nullam retulit cautionem eiusmodi, ita ut Eulasia in suo testamento nepotem constituens haeredem, neque ulli vel minime obligationi satisfacere innuit, neque de nepotis calamitate cuius causa principalis ipsa fuisset, condolere ostendit; id quod demonstrat, quod de coactione nihil erat, quod sibi fuisset succensendum.

Haec de validitate coniugii disserit Defensor vinculi. Subiungit praeterea, quod data adhuc et non concessa hypothesi invaliditatis, matrimonium nihilominus iam revalidatum fuisset ex cohabitatione et copula exinde sequuta. Scitum enim est, et nonnullae ex recentioribus causis in Thesauro relatae id aperte ostendunt, quod adhuc post Conc. Trid. matrimonium nullum ratificatur, si intercesserit habitatio diutina vel copula cum affectu maritali ceu ex *cap.* 21 *de sponsalib. et cap.* 4 *qui matrim. accus. poss.* et si impedimentum fuerit parti reconvalidanti cognitum, aliis autem occultum, ceu docent prae aliis *Gonzalez comment. in cap.* 21 *de sponsalib. n.* 5 *Sanchez de matrim. l.* 4 *disp.* 18 *num.* 12.

De hisce conditionibus nullatenus dubitari posse sustinet vindex vinculi. Quod nempe habitatio diutina intercesserit, patet ex eo quod ultra annum commorati sint coniuges absque ulla interruptione in oppido de Bos-

melet, enarrante Iulia « abbiamo abitato insieme sia a « Bosmelet, sia qualche tempo a Parigi fino al momento « di mettermi in letto verso il mese di Decembre 1863 ». Quod haec cohabitatio fuisset cum affectu maritali, id ostendunt primo dolor quem persensit Petrus in morte filii, obtestante Parocho Home « *allorchè gli manifestai le mie condoglianze l'ho veduto piangere a calde lacrime* »; praeterea hoc demonstrat epistola, quam post separationem mensis Iulii 1864 ipse scripsit uxori ut ipsam ad concordiam revocaret « *vi assicuro dei sentimenti di affezione, che i penosi mesi, che sono trascorsi non hanno per nulla indebolito* ».

Quod nullitas matrimonii seu impedimentum metus fuisset eidem in hac hypothesi percognitum aperte demonstrat Petri confessio in examine iudiciali emissa « *nel giorno del matrimonio non volevo andare nella camera di colei, che non considerava come moglie* ».

Quod denique haec nullitas hypothetica fuerit aliis occulta, ex eo demonstratur, quod notabilis pars testium, quos Petrus induxit autumabat eumdem duxisse Iuliam intuitu conspicuae illius dotis; amici autem familiae suam operam praestiterunt, ut coniuges revocarent ad concordiam; id quod manifeste ostendit, nullam in publico suspicionem adfuisse de invaliditate matrimonii ab iisdem celebrati.

Ex parte mulieris quidam adstitit procurator, qui usque in praesens suam allegationem non exhibuit, quam forte distribuendam perlegere EE. PP. enixe rogantur.

Hisce omnibus perpensis erit sapientiae et doctrinae EE. VV. infrascriptum obsolvere

DUBIUM

An constet de nullitate matrimonii in casu.

Negative.

Sess. 24 cap. 1 De Ref. Matr.

MECHLINIEN. DISPENSATIONIS MATRIMONII. = De parentum et familiarum concordia matrimonium celebrarunt die 8 Iulii 1875 Ferdinandus de Lalieux ex oppido Feluy, et Adriana Van Hoobrouck ex oppido Ixelles, uterque Mechliniensis dioecesis. Duo menses in nuptiali peregrinatione transegerunt, eoque tempore difficultas apparuit maritalis officii perfecte adimplendi, ita ut duodecies circiter coeuntes, semper experti sunt, quod « *l'atto non è stato mai compito* ».

Ex hac causa mulier vehementem irritationem nervorum passa est, quae aliquando dementiae speciem ostendebat. Quatuor aliis mensibus in familia sponsae commorantibus, utcumque iam gravis Adrianae valetudinis conditio sese portendisset, atque ipsa in praesens de coniuge confiteatur « tosto rimarcai, che nel carattere vi erano alcune « qualità, le quali mi ripugnavano », nihilominus vix ullum apparuit dissensionis vestigium. Quum at vero ad maritales lares se transtulissent, mox dissidium et hinc molestia sponsae ita percrebuit, ut in insaniae excessus non raro prorumperet.

Vix tribus exinde mensibus elapsis, sub exitu nempe mensis Martii 1876 parentum studio ad eorumdem habitationem reducta est sponsa, non obsistente, sed protestante Ferdinando. Duplicem posthac actionem instauravit Adriana contra coniugem; alteram apud tribunal civile pro separatione tori; alteram de mense Maii 1877 apud Archiepiscopalem Curiam Mechliniensem ita deprecans « io « supplico la S. Chiesa nostra madre a voler annullare il « matrimonio, se essa lo crede conveniente. Io mi sotto« metto, Monsignore, alla vostra decisione, e domando a « Vostra Eminenza di volere in questa circostanza occu« parvi di questo penoso affare, che rimetto nelle vostre « mani con la più intera fiducia ».

Percensuit Archiepiscopus processum instruere super non consummatione matrimonii; a tribus exinde peritis physicis iudicio post inspectionem in corpore utriusque coniugis (quae ab altero perito omissa est) requisito, testibusque septimae manus ex utraque parte auditis, hanc die 11 Decembris 1878 pronunciavit sententiam « cense« mus et edicimus matrimonium etc. numquam fuisse

« consummatum, et gravissimas adesse rationes ut Sanctitas « Sua in hoc matrimonio rato et non consummato dispen« sationem concedat ».

Quum hanc sententiam et actorum processum ad H. S. O. transmisisset Emus Praesul, ultra institit pro gratia dispensationis, tum quia iam divortium pronunciatum est a civili tribunali, tum quia spes abest reconciliandi coniuges, tum denique, quia mulier, alioquin pia, in periculo versatur in medio saeculi. Rituali mox ordine in S. Congregatione absoluto, ad vestrum sapientissimum iudicium deferre in hodiernis comitiis causam constitui; et nunc pro meo officio rationes tum ab Oratore mulieris, tum a Vindice Sacramenti typis editas in compendium exponam.

Ad dispensationis gratiam in hisce causis obtinendam duo copulative requiri meminit mulieris defensor, scilicet quod constet matrimonium non fuisse consummatum, legitimasque subesse dispensationis causas. Matrimonii inconsummationem totis viribus Orator propugnat ex coniugum et septimae manus iuramento, nec non ex virginitatis experimento; quae omnia simul iuncta manifestam exhibent de inconsummatione probationem ad praescripta *Cap. Proposuisti 4 de Probat.* Iamvero mulier quam testes omnes mendacii insciam enunciant, sub iurisiurandi religione solemne de infecto coniugali opere reddit testimonium dum fidem facit quod omnia ad hoc exercita tentamina in irritum cesserunt: « Per quanto io possa co« noscere, avevo la convinzione ciascuna volta, che abbia« mo tentato, che l'atto non era stato compito; mio ma« rito diceva lo stesso. E così che io non ho sperimen« tato mai altro piacere in quell'atto più o meno come « quello che ho provato nella visita che hanno fatto i me« dici. Mi era stato detto, che si perdeva un poco di « sangue in quell'atto, almeno la prima volta. Il fatto è « che ciò in me non si è verificato ». Exinde enarrat quod hanc ob causam vir in medica arte peritos percontatus est; tuta subinde conscientia in secundo interrogatorio affirmare valuit: « Se l'esistenza della verginità non « potesse essere constatata pienamente è necessario attri« buirlo non alla consumazione dell'atto, ma alle visite « dei medici, od ai toccamenti di mio marito ».

Consona huic depositioni prostat viri depositio, quem

testes pariter proclamant *incapace di mentire*, quique sub iurisiurandi religione examussim rogatus reposuit: « La mia « opinione è che l'atto non è stato compito; i motivi del- « la mia opinione sono che nonostante i miei sforzi, non « sono mai arrivato a penetrare, sono sempre restato al pri- « mo ingresso; essa non ha fatto mai sangue, e qualche « istante dopo l'atto rendeva il seme ».

Iuratae coniugum confessioni accedunt septimae manus testes ab utroque coniuge inducti. Et ex parte Adrianae novem auditi sunt testes, quorum sex de Ferdinandi ineptitudine ad copulam exercendam deponunt; quidam enim aiunt – *non era adatto al matrimonio* – alter autem – *Avrebbe fatto meglio non ammogliarsi:* – alter affirmat de muliere – *l'impossibilità in cui era di compire l'atto coniugale . . . . l'aveva ridotta ad uno stato isterico e di follia;* – alter insuper de matrimonii inconsummatione uti marchionissa Ennetieres deponit: *Dopo la separazione . . . dalle conversazioni che ho avute con essa, ho acquistata la convinzione, che l'atto coniugale non era stato compito*. Quibus addi debet testimonium Doctoris Van Dam qui hac de re percontatus reposuit: « *Si è il marito il quale mi ha dichiarato che mal grado gli sforzi che ha fatto non ha mai potuto consumare l'atto matrimoniale. Dopo la separazione la moglie me lo ha confermato* »; necnon Adrianae parentum, qui de inconsummatione, et viri impotentia testantur « *essi non sono mai riusciti a compir l'atto atteso che il marito non sapeva penetrare* ».

Concinunt testimonia septimae manus ex parte viri, Mater enim testata est. « *Mio figlio mi aveva detto che era impossibile compiere l'atto coniugale* »; et pater « *fin dal principio mio figlio mi disse che esso non giungeva a compire l'atto coniugale* ». Parochus loci Feluy habet: « *Tornando il marito mi ha detto che il matrimonio non era consumato* », et Parochus Decanus: *Ho anche inteso dire che essa diceva che suo marito era impotente*. Viceparochus habet: *Ho egualmente saputo dal Curato, che vi erano persone le quali dicevano che il Signor Fernando era affetto d'impotenza, e che l'atto non era stato consumato*. Levir demum Ferdinandi refert: « *Dopo la loro separazione il mio cognato mi disse varie volte che il matrimonio non era stato consumato* ». Nicolaus Van Dam « *correva voce . . . che il matrimonio non era stato consumato;* et D. Ioannes Maes: *corre voce che il solo motivo della separazione è l'incapacità del*

Giovane Sposo ». Haec igitur omnia si expendantur testimonia, nedum in aprico ponere colligit Orator, matrimonium consummatum haud fuisse, verum etiam inconsummationis causam a viri ineptitudine repetendam esse.

Licet autem haec, quae hucusque deducta sunt, satis viderentur ad matrimonii inconsummationem statuendam ex doctrina *Reiff. in lib. 4 Decret. tit. 15 num. 44, Sanchez. De matrim. lib. 7 disp. 107 n. 4* nihilo tamen minus ad omne super re dubium avertendum prona adstat in actis trina relatio in arte peritorum, qui Adrianam inspexerant, quique de inconsummatione certum reddunt testimonium, dum illam virginem esse renuntiant. Alter enim habet: *La strettezza verginale della Signora Lalieux è un indizio certo della verginità . . . nella consulta dei medici . . . . dopo la separazione dei sposi, ed i quali hanno constatato con me che l'atto coniugale non è stato compito.* Alter Doctor Carême, qui in interrogatoriis hymenis existentiam in Adriana reperiri fassus est, refert: *La strettezza dell'entrata della vagina, che permette appena l'introduzione dell'indice, la mancanza assoluta di effusione di sangue nei tentativi fatti dallo sposo mi danno la convinzione, che l'atto matrimoniale non ha potuto essere consumato.* Alter demum Doctor Hubert muliebrium partium descriptione peracta atque existentia hymenis adnotata concludit: *In riassunto, l'esame al quale ho proceduto con tutta la mia attenzione, mi permette di affermare 1° che la Signora di Lalieux è regolarmente conformata, 2° che essa presenta ancora tutti i segni della verginità.*

Gradum exinde faciens Orator ad causas dispensationis varias enumerat, primamque reponit in gravissimo dubio de impotentia viri saltem relativa antecedenti et perpetua, quae adducta pro motivo gratiosae dispensationis non exigit certam et concludentem probationem, sed satis est quod sit adeo probabilis ut Summus Pontifex illam veram existimare possit uti docet Conscius *De separat. thori lib. 1 cap. 16 num. 197,* ac *lib. 3 cap. 2 num. 386, Pignatel. cons. 148 num. 14 tom. 4, Card. De Luca disc. 7 num. 7 de Matrim.* Ex testimonio autem duorum medicorum, qui uno ore matrimonii vinculum quatenus existat, omnino solvendum esse proclamant, Ferdinandum nunciata impotentia laborare dignoscitur. Doctor sane Van Dam in suis literis Mechliniensi Vicario datis non modo adnotat in Fer-

dinando « *una quasi atrofia degli organi genitali,* » atque « *la sorgente di questa inerzia organica deve rimontare ad un'epoca ben lontana* », verum etiam affirmat « *questi disordini nello stato adinamico sono perpetui ed incurabili* »; unde concludit « *che l'impotenza del marito è sufficientemente dimostrata* ». Atque examussim in interrogatoriis perquisitus, an arte medica tractu temporis vir potens fieri valeat, retulit: *Ho l'intima convinzione che non vi sono rimedi capaci di modificare lo stato di salute del Signor Lalieux e di far sparire le infermità che possiede fin dalla sua infanzia.* Doctor pariter Hubert in sua relatione licet affirmare non valeat Ferdinandum absoluta impotentia laborare, ex facto tamen quod foemineum vas haud potens fuit penetrare, statuit « *vi è stata dunque riguardo ad essa una impotenza relativa* ».

Alias dispensationis causas adinvenit tum ex civilis divortii proclamatione, tum ex discordiis et animorum aversionibus quae locum habuerunt et insanabiles videntur, atque ex physica impossibilitate una cohabitandi, ne ex inutilibus consummationis conatibus periculum Adrianae immineat amittendi corporis sanitatem et ipsum rationis usum ex histerismo, prouti in medica arte periti apertum hac de re perhibent testimonium. Quibus accedit incontinentiae periculum et petentis spiritualis utilitas, quae ex se sola sufficiens rati matrimonii dispensationis causa reputatur ceu docet *Perez de matrim. disp.* 20 *sect.* 7 *n.* 11; et passim legitur in Resolutionum thesauro. Ad rem refert Episcopus « Adriana Van Hoobrouck de Fiennes foemina « pia sed iunior et in medio saeculo versans, eiusmodi « hodie est conditionis ut perquam optandum sit eam ad « alias nuptias transire possit ».

Contendit pro sua vice vinculi Defensor consummatum fuisse matrimonium ob duplicem rationem; primo quia coniugali officio congrua data est opera ad hunc effectum consequendum; secundo quia in illo actu, utut non perfecte expleto signum certum commixtionis carnalis emersit in consequenti delectatione quam persensisse mulier confitetur.

Enarrat uterque coniux operam dedisse consummationi, tametsi actum non complevissent; mulier quidem deponit « *avevo la convinzione, ciascuna volta, che abbiamo tentato, che l'atto non era stato compito – mio marito di-*

ceva lo stesso ». Vir autem ait » *la mia opinione, è che l'atto non è stato mai compito* », ita ut numquam pervenit « *a penetrare* »; affirmat tamen quod mulier « *qualche istante dopo rendeva il seme.* »

Distinguit hic vindex copulae complementum, aliud nempe ad fecundationem, per quod coniuges una caro efficiuntur; aliud ad voluptatem, per quod pars sensibilis plenam recipit satisfactionem. Illud est necessarium ad consummationem; non aeque istud. Primum veruntamen verificatur etiam ex coitu imperfecto, ita ut iuxta doctrinam cultorum medicinae forensis et Canonistarum satis sit liquorem prolificum in vagina mulieris deponere, quin immediate proiiciatur in internam uteri cavitatem, ita *Teichmeyerus institut. medicin. legal. cap.* 15 *quaest.* 5, « quod seminis virilis ad « orificium uterinum internum proiectio et effusio ideo « non sit semper necessaria, Facultas Lipsiensis apud Zit« tmannum cens. 6 cas. 77 inquit – *Congressum incom« pletum* et applicationem quomodocumque mentulae ad « vaginam semine virili aspersam *sufficere frequenter, ut « mulier gravida sit*. Et Valentini in Novell. med. legal. « cas. 3 p. 33 et cas. 60 quaestionem movet an men« tula iusto brevior conceptionem et impraegnationem im« pediat, itidem negative respondet, quoniam ratione viri « ad procreationem sobolis sola seminis prolifici eiacula« tio non in uteri cavitatem internam *sed tantum in vagi« nam sufficiat* ».

Idipsum confirmant recentissimi eiusdem artis scriptores, *Mahonius medicin. legal. vol. 4 tit. impotenza pag.* 51. et *Gasperius manual. prat. di medicin. legal. vol.* 2 *part. spec. sez.* 1 *C.* 3 §. 3 « da nessuno può esser po« sto in dubbio, che la piccolissima quantità di seme vi« rile necessaria a fecondare l'uovo staccato può penetra« re anche per una vagina ristrettissima, e *col mezzo di « un coito anche imperfetto* ».

Inter Canonistas eminent *Schmalzgrueber iur. eccl. tom.* 4 *part.* 3 *tit.* 5 *n.* 37, *Guttierez. de matrim. cap.* 112 *num.* 9, *Sanchez de matrim. lib.* 2 *disp.* 21 *n.* 2 « con« veniunt omnes (matrimonium) consummari, quacumque « arte semen recipiatur intra vas naturale *absque penetra« tione* illius; quia ea copula sufficiens est generationi, per « eamque sponsi una caro efficiuntur »; et *lib. 7 disp.* 92 *num.* 10 « seminis pars intra vas recepta sufficiens est

« ad consummandum matrimonium et efficiendum coniu-
« ges unam carnem. Si foemina recipere posset semen
« intra vas, quamvis semel susceptum retinere nequiret,
« tunc vere consummatur matrimonium ac efficiuntur con-
« iuges una caro ».

Insigne exemplum coitus imperfecti exhibet *Zacchias quaest. medic. legal. l.* 3 *tit.* 1 *qu.* 7 *num.* 24 in foeminis, quae audiunt *atretae* seu imperforatae, in quibus orificium uteri quodam panniculo obstruitur, et nihilominus fecundantur. Id ipse explicat in vim validae attractionis, ob quam semen quodammodo per meatus eiusdem panniculi *transcolatur* in uterum.

Persimili modo rem explicat *Mahonius* dum opinionem aliorum insignium medicae disciplinae Scriptorum exponit, qui admittunt, quod prolificus humor uteri superficiem perfundit ex eaque in internam cavitatem penetrat uti scribit *cit. op. vol.* 1 *tit, impotenza pag.* 53 « a traverso « il tessuto del collo e delle altre parti inferiori della « matrice, che sboccano nella vagina , . . questa insi- « nuazione è un' intima penetrazione consimile a quella « della nutrizione », scilicet foetus in utero existentis. Atque hanc sententiam apprime confirmat peritissimus in obstetricia Antecessor Lovaniensis Dr Hubert in hoc iudicio adhibitus, dum ait « la eiaculazione fatta sopra gli « organi genitali esterni, e senza intromissione del mem- « bro virile può nonostante proiettare il liquore seminale « assai avanti a traverso le lacune naturali dell' imene , « perchè la fecondazione abbia luogo ».

Haec de coitu. Sed sensibilem consummationis effectum designat Adriana, cum dicit, in concubitu « io non « ho sperimentato altro piacere più o meno come quello, « che ho provato nella visita dei medici ». Alter at vero ex peritis, Medicus Carême enarrat audivisse a muliere, quamdam voluptatem eam persensisse tunc cum orificium uteri digito medicus tetigit. Quoniam autem idem medicus affirmat, quod si mulier in congressu huic persimilem sensationem non fuit experta, matrimonialis actus dici non potest consummatus, hinc, argumento ex contrariis deducto, ex quo per confessionem Adrianae eidem medico factum constituitur eiusmodi sensatione fuisse eamdem affectam, eapropter coniugalis actus iudicari debet consummatus.

Hisce ita demonstratis ad trutinam revocat peritias

medicorum in causa adhibitorum. Quoad medicum Hubert, qui etiam ex parte Adrianae maximo in honore tenetur, relevat Vindex Sacramenti, quod in sua expositione, sub duplici sensu consummatione accepta, alia pro physica coniunctione corporum normali et completa, alia pro coniunctionis actu ad commixtionem idoneo, quoad hunc secundum sensum, in quo consummatio matrimonii in sensu canonico consistit, nihil in casu affirmare posse confitetur « se io definisco l'atto un avvicinamento dei sessi, effet« tuato in modo a render possibile l'incontro degli ele« menti maschio e femmina e per conseguenza la fecon« dazione, non posso più affermare niente, ed i segni del« la verginità non hanno più alcun valore ».

Quoad alias autem peritias, accuratae investigationis Professoris Hubert subsidio, nec non ex incidentalibus affirmationibus aliorum peritorum vel ipsorum facile de errore convincuntur relationes eorumdem. In puncto enim disquisitionis, in quo summa causae consistit, idest in *penetratione* seminis virilis in uterum, Dr Van Dam hypothesim contrariam, scilicet quod haec penetratio in casu non fuisset sequuta, non quidem ut certam, sed tantummodo ut probabilem enunciat « *è probabile che questo liquore trovato nelle parti esterne non abbia penetrato assai profondamente* ». Sed si ex artis medicae principiis etiam per transversales vias vel lacunas hymenis humor fecundans insinuatur in internam uteri cavitatem, iam per se patet, quod probabilitas hypothesis contrariae est in casu qualibet ratione destituta.

Relate autem ad peritiam Carême, qui in eodem disquisitionis puncto existimat quod semen permansit in vestibulo vaginae « *senza passare la membrana imene* », ex alia eiusdem periti affirmatione minus probabilem hanc assertionem edicit Defensor vinculi. Refert namque D. Carême quod non integrum, sed ex parte, atque in superiori latere eversum invenit hymenem « per il caso presente « la membrana esiste ma in parte solamente; vi è stato « un rovesciamento dalla parte superiore della membrana ». Quod si ex superius demonstratis adhuc per naturales lacunas hymenis integri trasfunditur in uterum liquor fecundans, multo magis hoc est in casu retinendum dum haec membrana per suam eversionem est amplius dilatata.

Demonstrata ex hisce rationibus commixtione sexuali

ad consummationem matrimonii sufficiente, perfacile intelligitur in hoc sensu impotentia quam D. Hubert *relativam* appellat, et qua affectus est Ferdinandus. Non est nempe impotentia relativa ad uxorem, sed relativa ad certum gradum, nempe perfecti coitus cum uxore. Haec non impedit commixtionem sexuum, idcirco nec etiam impedit consummationem coniugii. Caeterum, retenta etiam peritia Hubert, quem expertissimum in obstetricia ex parte mulieris affirmatur, ex quo ipse in essentiali quaestionis puncto profitetur, nullam dari posse certitudinem inconsummationis, sua sponte emergit, quod nec dispensatio debet concedi, secus enim consummatio pro qua validae subsunt praesumptiones iuris et facti, existimaretur determinate falsa; id quod repugnat praesumptionibus iisdem.

Ita inconsummationis fundamento refutato, edicit insuper Defensor, etiam alias causas extrinsecas dispensationis ex hoc ipso evanescere. Ita namque ratiocinatur. Si ex notissima Sacrorum Canonum praescriptione in causa absolutae impotentiae alterutrius coniugis, ad hoc periculum eliminandum ne perperam separetur id quod Deus coniunxit, concedi solet triennalis cohabitationis experimentum, validiori ratione hoc remedium est adhibendum in causa ubi agitur de impotentia, non absoluta quoad omnes mulieres, nec absolute relativa quoad certam mulierem, sed tantummodo relativa quoad certum gradum, id est ad perfectam copulam. Non ostenditur enim in casu, quod Ferdinandus alicui medicinali curae propriae imperfectionis sese subdiderit. Nihil quidem affirmari potest de exitu huiusce curationis, quum ex tribus peritis in iudicio adhibitis unus D. Van Dam curationem excludit; Dr. econtra Hubert explicite profitetur « *mi è impossibile di dare una risposta categorica su questo oggetto* ». Et si quidem ageretur de reparanda impotentia mulieris mediante aliqua incisione absque periculo vitae, conveniunt Doctores eam sese subiicere debere eiusmodi operationi *Sanchez de matrim. lib. 7 disp. 93 num.* 32, multo magis erit expectandus exitus curationis viri, in quo nec certe nec manifeste incurabilis impotentia demonstratur. Quo quidem salutari effectu, ut speratur, obtento, facillime restaurabitur concordia, ac in sancta ac prospera unione individuam vitae consuetudinem ultro coniuges conservabunt.

Post haec omnia dignentur EE. VV. iuxta exploratam sapientiam ac doctrinam qua praefulgent infrascriptum enodare

DUBIUM

An sit consulendum SSmo pro dispensatione matrimonii rati et non consummati in casu.

Affirmative vetito viro transitu ad alias nuptias inconsulta S. Congregatione.

IANUEN. SUSPENSIONIS. = Sacerdos Angelus Raffo Ianuensis Archidioecesis, qui viginti et ultra fere abhinc annis procurationem universae substantiae familiae Solari gerebat, initio anni 1878 ab Archiepiscopo viva voce monitus fuit, ut ab ea procuratione desisteret. Quod cum ipse peragere renuisset, hinc edito decreto diei 14 Ian. 1878 *ex informata conscientia* ab ordinum exercitio suspensus fuit. Huius decreti rigore Angelus perculsus sub die 12 Febr. mox recitati anni Archiepiscopo literas dedit, quibus exposuit *intendo dichiarare esplicitamente a V. E. R. che sono prontissimo a rinunciare in qualunque convenevole forma alla detta procura Solari con promessa di non ingerirmi negli affari della monaca Solari esprimendo ad un tempo il profondo dolore di essere stato in qualche modo occasione di spiacimento al Superiore che voglio sempre amare, rispettare ed obbedire con la maggiore osservanza.* *Sess. 14 cap: 1 de Reform.*

Renuntiationem porro hisce verbis conceptam Archiepiscopali Curiae minime arrisisse videtur, quandoquidem rata, quod illa verba *intendo dichiarare.....che sono prontissimo a rinunciare* minime renuntiationem proprie dictam secumferrent sed tantum renuntiandi propositum, hinc ad Ordinis exercitium Angelum restituere non posse authumavit. Hoc autem cum Angelo factum fuisset notum, sub die 8 Martii 1878 novam ipse edidit renuntiationem hisce verbis conceptam *nuovamente dichiaro con la presente in modo chiaro positivo ed esplicito, che io intendo e voglio rinunciare alla detta procura dal momento che ciò mi si*

richiede da questa Curia con promessa di non ingerirmi e non volermi più ingerire sulla vertenza della Monaca Solari. Vix autem haec nova renuntiatio emissa fuerat, illico Archiepiscopalis Curia Angelum monere sategit, quod Archiepiscopus suspensionem relaxaret dummodo *la dichiarazione fatta sia effettiva e non solo verbale*, eumdem quapropter requisivit *a dichiarare se, non dovendo più spendere le sue giornate, come fece fin qui, nella questione del Patrimonio Solari si sia ritrovato altra occupazione più conveniente al suo stato; poichè la prefata E. S. nel caso che il R. Raffo non avesse in pronto ove prestare il suo sacerdotale ministero, è disposta assegnargli un conveniente ufficio, ma non può consentire che resti disoccupato presso i Signori Solari.*

Huic paternae monitioni sub die 13 Martii 1878 Angelus Raffo respondit se velle emissam renuntiationem *effettivamente mantenere ed osservare,* ac admonito nunquam integros impendisse dies in patrimonii Solari administratione, dum ipsius occupationes *ebbero sempre di mira in modo speciale l'insegnamento morale ed intellettuale della famiglia,* subdidit semet promptum esse suum prosequi ministerium, ut antea, in Ecclesia Monialium S. Augustini aut alio in loco etiam ab ipsomet Praesule determinando. « Sarei disposto prestar loro (Monialibus Augustinensibus) « il mio servizio ove però piacesse a S. E. Rma. Del resto in « ogni contrario evento, sarà sempre mio impegno e premura « procurarmi altra decorosa occupazione confacente al mio « stato ed alla mia età, conveniente ai miei interessi, compa- » tibile co'miei incommodi e mie accennate occupazioni. Ciò « nondimeno riconoscentissimo sempre a S. E. R. per le pre- « mure esternate a mio riguardo ogniqualvolta per man- « canza di pronto impiego dovessi restar disoccupato, non « posso rattenermi dall'esternarle i più vivi sensi di una infi- « nita gratitudine bramando sinceramente cavar profitto da « tanta bontà e gentilezza del mio Superiore che nuova- « mente prometto voler sempre amare e rispettare col « maggiore ossequio e venerazione ».

Verumtamen cum Sacerdos Raffo accepisset a Praesule suspensionem relaxandam fore quando *conoscerà aver assunto un novello officio conveniente al suo stato sacerdotale giacchè con le RR. Monache nulla ha più che fare*, protinus ad S. V. O. confugit supplici oblato libello diei 30 Aprilis 1878 memorati decreti nullitatem expostulans.

Huiusmodi preces, prout fieri solet, illico pro informatione et voto Archiepiscopo remissae fuerunt. Qui S. V. O. imperata faciens, sub die 29 maii 1878 postquam adnotavit Presbyteros suae Dioecesis minime se ingerere in gerendis familiarum negotiis, ac Sacerdotem Raffo quasdam ipsi dedisse literas praecipue illas diei 21 Ianuarii 1878 (quae deficiunt in actis) contumelias minasque continentes, retulit familiam Solari neque nobilem esse, neque vivere more nobilium : Sacerdotem Raffo *per essere procuratore ed agente di questa famiglia deve ingerirsi necessariamente nei loro negozii. Convivendo con essa, nella retrobottega, e qualche volta nelle ore di meno concorso nella bottega istessa è che passa la sua giornata. Ora i SS. Canoni che vietano ai chierici l'esercizio della mercatura, non sono violati se essa viene esercitata non nel proprio ma nel conto d'altri come fa il R. Raffo?* Post haec enarrat Catharinam Solari, matre licet reluctante, anno 1876 religiosum habitum suscepisse neque subinde a paterna haereditate neque a familia obtinuisse *nè un soldo nè un oggetto del valore di un soldo.*

Imo cum a matre in testamento eidem legitima insufficiens fuerit relicta, cumque res amicabiliter componi fratrem inter et sororem haud valuerit *per colpa del R. Raffo*, res ad tribunal delata venit. Qua in re animadvertit, quod Sacerdos hic non modo *distaccò il Solari già dal patrocinio di due distinti e coscienziosi Avvocati e lo pose in mano di un terzo;* verum etiam Theologorum votum exquirebat ad hoc, ut Henricum suaderet ad praestandum in iudicio iuramentum *di nulla aver ereditato dalla madre, quando ben diverse sono le cose.* Exinde subdit cum Sacerdos hic *con iscandalo generale si mantenga obice perchè fratello e sorella non si possono intendere ed amichevolmente convenire: per questa ragione mi son creduto in diritto e dirò pure in dovere di ordinare al Raffo la rinuncia a gerire gli affari Solari e poichè non mi volle ubbidire ho creduto usare dell'unico mezzo di coazione che rimane al Vescovo, vietando la celebrazione dei divini misteri.* Tandem denegat actorem praeceptoris munere fungi in familia Solari, nonnullaque alia adiicit circa ipsius vitae rationem *che ha lasciato e sempre lascia qualche cosa a desiderare. Nel 1871 ho dovuto togliergli la facoltà di ascoltare le confessioni per il sesso femminile......Anche in questi ultimi anni ebbi ri-*

corsi contro di lui e precisamente contro la sua moralità dal suo Parroco.

Rebus in hoc statu permanentibus Sacerdos Raffo novam S. H. O. obtulit renuntiationem sub die 3 Iulii 1878 in qua declaravit *che rinuncia formalmente alla procura del Signor Enrico Solari per ciò che concerne la di lui gestione negli affari del medesimo.* Qua accepta sub die 6 Iulii 1878 sequens edidi decretum *Archiepiscopo, qui inspecta nova renuntiationis declaratione referat an sublata fuerit suspensionis causa* simulque praeceptum dedi ut transmitteretur ad Archiepiscopum copia renuntiationis. Sub die 25 Iulii retulit Archiepiscopus haud Angelum destitisse a gerenda procuratione familiae Solari *continuando anche oggigiorno a coabitare in casa Solari e gerire i loro affari.* Addit praeterea *che altre cause, oltre l'accennata mi obbligarono a sospenderlo: la condotta da lui tenuta in questi ultimi anni nella parrocchia di S. Rocco ove passava le notti, i modi sprezzanti usati con me ed alla mia presenza, gl'intrighi indegni di notorietà pubblica suggeriti al suo cliente... furono pur causa che mi risolvettero ad emettere il decreto contro il quale reclama.* Verum animadverti debet tum has, tum alias Episcopi litteras brevitatis gratia concinnasse quas integre perlegere rogantur Emi Patres in Summario Defensoris Raffo sub n. 8 et 11. typis impresso una cum allegatione distribuenda, cuius sequens est summa.

Nullitatem decreti Curiae Archiepiscopalis evincere conatur Sacerdotis Angeli defensor duplici argumentorum genere. Aliud nempe ab extrinseco deductum ex defectu nempe canonicae formae, ab intrinseco aliud ex defectu causae proveniens. Et ad defectum quod attinet canonicae formae sustinet quod censura ut valide infligi valeat contumacia clerici requiritur *Rota dec.* 107 *n.* 2. *part.* 19. *tom.* 1. *rec.* Contumacia autem non per unam sed per trinam monitionem inducitur et quidem intervallo adhibito in unaquaque earum novem dierum a citatione ad comparendum. Citatio enim contumacis et quidem in ipsius personam propter gravitatem praeiudicii explenda *Cap. Sacro De sent. excommun.* censurarum irrogationi praemitti debet, ut reus tueri se valeat iuxta *Text. in cap. Ad petitionem § Cum igitur de Accus., Fagnan. in cap. Qualiter et quando* 2. *n.* 49 *et seqq. eod. tit.* Atque adeo, urget, haec forma canonica observanda est, ut si secus

actum fuerit totum pro attentato habendum nullitatisque vitio infectum esse DD. una veluti echo tradunt. Atqui ex factorum serie constat hanc canonicam formam a Curia penitus praetermissam fuisse in edendo controverso suspensionis decreto. Ergo idem nullitatis labe infectum manere concludit. Eo vel magis, quia causa ob quam censura infligebatur in ipso decreto reticita est contra iuris dispositionem in *cap.* 2. *De Excess. Praelat.* et quia neque infra mensem traditum fuerat exemplar scriptum super causis, ob quas censura venit inflicta contra sanctionem *Cap.* 1. *De sent. excomm. in* 6.

Et haec quidem quoad canonicae formae defectum, intrinsecus autem examini subiiciendo decretum, idem ob iustae causae defectum nullum renuntiandum esse urget Orator. Quod ut conficiat recolit in iure iustam causam requiri, ut Clericus ab Ordinum exercitio suspendi possit, quemadmodum post *Cap. Cum non ab homine De Iud.* tradunt *Reiff. Ius. Can. lib.* 5. *tit.* 39. *n.* 8. et S. C. *in Derthonen. Constit. Capit.* 12 *Sept.* 1829 §. *Denique;* causam autem non in quocumque facto utut clericalem dignitatem adversante consistere tenet, sed in iis tantum, quae ordinibus ipsis intrinsecus perpensis inhaereant. Cum enim Honorio III. relatum fuisse nonnullos Clericos potius saecularibus negotiis, quam divinis officiis intendere, hic minime in ipsos animadvertendum esse mandavit suspensionis poena, sed tantum decrevit eosdem clericali privilegio destitui, quoties ab Episcopo ter moniti non resipuerint *cap.* 6 *lib.* 3. *tit.* 1. *cap.* 16. *De vita et honestate cleric.* Ita pariter Bonifacius VIII. *in cap.* 1. *eod. tit. in* 6. statuit ut Clerici histrionum, mimorumque vilissimas artes exercentes *si per annum artem illam ignominiosam exercuerint, ipso iure sint infames. Si autem tempore breviori et tertio moniti non resipuerint, careant omni privilegio clericali.* Iamvero dubitari nequit negotiationem a SS. Canonibus Clericis prohibitam esse, et histrionum mimorumque artem tam odiosissimam ab ipsa lege civili reputari, ut eamdem exercentes nedum infamiae nota plectebantur, sed legitime a patre exhaeredari poterant *Nov.* 118. *Cap.* 3. Attamen iis factis minime obstantibus Summi Pontifices, sicuti ipsa sacris Ordinibus intrinsecus spectatis extranea penitus erant utpote rem spiritualem minime afficientia, ab infligendis censuris sese penitus abstinuere, sed aliis poenis multarunt eosdem.

Et sapienti quidem consilio quia suspensio gravissima censura cum sit, nonnisi quam pro enormi crimine ferenda non est ad ea quae acu tangit *Tamburr. De iure Abb. tom.* 2. *disp.* 15 *quaest.* 15. *n.* 6 et alibi.

Neque regerere fas esse subdit casus ad Honorium et Bonifacium deductos proprie Sacros Ordines afficere cum de Clericis agatur, qui divina posthabuerant officia. Respondet enim quod neque Honorio neque Bonifacio expositum fuit Clericos ob negotiationem vel artis vilissimae exercitium praetermittere officia ecclesiastica, quibus ratione S. Ordinis tenerentur, sed tantum ob huiusmodi causas sacra non ministrare, quae utut non obligatoria ceteroquin in evidentem Christianae Reipublice utilitatem procederent.

Quibus in iure praemissis frustra requiri urget in suo cliente legitimam suspensionis causam sive eam ponas in procuratione peragenda bonorum familiae Solari, sive in tempus terendo in controversia per Catharinam mota quoad paternam maternamque successionem, quam ultimam veram esse dicit suspensionis causam, prout ex ipsiusmet Episcopi literis diei 29 Maii 1878 S. V. O. datis aperte colligitur. De hac ultima prius loquens sequenti utitur dilemmate vel Henricus iuste sese opponit sororis petitioni, et tunc Sacerdos Raffo licet Henrici oppositionem foveret, poena plectendus non est, quia neque in humanam, neque in divinam legem offendit; vel iniuste et tunc eius actio minime imputabilis fieret si bona fide impleretur, sin autem mala locus esse non potest suspensioni a divinis, cum agatur de re mere temporali nexu quolibet soluta cum Ordine Sacro. Nec praeterit observare quod emissa ab Angelo renuntiatione pro gerendis negotiis familiae Solari, alia causa a Curia in medium producta fuit ut suus cliens adhuc a censura innodatus permaneret. Hanc patere subdit ex literis Vicarii Generalis diei 19 Martii 1878 in quibus habet *Sua Ecc. Rma mi impone di rispondere che la riammetterà ai divini ministeri quando conoscerà aver Ella assunto un novello uffizio conveniente al suo stato giacchè colle RR. Monache la S. V. nulla ha più che fare.* Cum enim Angelus tamquam Rector Ecclesiae Monialium vulgo *di S. Ignazio* quas inter Catharina adscripta censetur suum exerceret ministerium, hinc a praedicto officio amotus cum fuerit, quaestio magis implexa facta est pro absolutione eidem conceden-

da. Suspensionis enim causa contra Canonum praescripta immutata, Curia Archiepiscopalis antequam eumdem restitueret ad sacerdotalia fungenda ministeria exegit, ut ipse prius Ecclesiasticum assumeret officium *conveniente al suo stato*, quod unice a Curiae ipsius arbitrio dependet ita ut ad ipsiusmet libitum suspensus maneret.

Quod quidem vel a Curia peractum fuit ut ipse abstineat a se immiscendo in controversia contra Henricum per Catharinam excitata; vel ut ipse ad evitandam censuram Henricum compellat ad concedendum sororis votis. Si primum, cum lis adhuc sub iudice sit, eius opera neque prodesse potest monasterio, cui Catharina nomen dedit. Insuper non semel neque bis se ab hac macula purgatum voluit dum promisit *di non ingerirmi negli affari della monaca Solari*. Si vero secundum ad impossibile damnaretur quoties Henricus in oppositione promota contra sororis libellum perseverare vellet, et in hypothesi qua petitio Catharinae a iustitiae praeceptis devia sit cogeretur contra conscientiam agere, operamque suam navare ad iustitiae praecepta prosternenda.

Ad causam dein descendens ob quam apparet Angelum fuisse suspensione innodatum, gestionem nempe bonorum familiae Solari meminit Orator mercaturam illis vetari Clericis, qui Sacris Ordinibus initiati aliquo beneficio fruuntur, secus si non habent unde vivant iuxta Rotam in *Dec.* 353 *n.* 6 *par.* 19 *tom.* 1 *rec.* imo et ipsis beneficiatis permitti negotiationem, dummodo honesta sit et lucrum vertatur in alterius utilitatem *Rota decis.* 56 *n.* 7, *part.* 14, *decis.* 116 *n.* 4 *part.* 11, *decis.* 173 *n.* 6 *part.* 14, *decis.* 231 *n.* 18 *part.* 10. At Sacerdos Angelus beneficio non pollet. Mercaturae ergo recte intenderet, dummodo quaestus nec sint immodici, nec in ipsius vertant utilitatem. Ast in themate non agitur de commercio, sed de exactione pensionum, quas conductores sponte rependunt domum Henrici petentes bis aut ter in singulis annis, quae nil habet cum mercatura commune. Accedit ipsius Curiae Archiepiscopalis silentium per viginti et ultra annorum lapsum, necnon exemplum plurium procurationum familiarum, quae presbyteris et in hac alma urbe concreditae sunt, quin Ecclesiastica potestas obmussitet; quae omnia revelant huiusmodi officium haud Clericis a SS. Canonibus vetari, nec proinde per censuras ad eadem dimittenda ipsos posse com-

pelli. Decretum ipsum igitur a Curia latum ob causae defectum infirmandum esse colligit. Eo vel magis quia per ipsum inflicta fuit suspensio *ex informata conscientia* quae infligi tantum valet, quando Superiori constet de delicto occulto, vel publico, cuius tamen probationes difficiles evadant, vel in malum exemplum redundare possint, quod exulat in casu.

Licet at vero admitti velit censuram in themate sustineri, tamen, prosequitur Orator, quod decretum ipsum revocandum esset tam quia vetitum est censuras immodice protrahi, ubi de re non adeo gravi agitur, quam quia ipsa non in poenam lata fuit sed ad debitam paritionem obtinendam. Iamvero Angelus non tantum voce sed et scripto tripliciter renuntiationem emisit procurationi familiae Solari, causas e medio sustulit ob quas censura decreta fuerat, suppliciter reintegrationem expostulavit, uno verbo debitam paritionem praestitit, ipsi igitur absolutio deneganda non erat ad tradita per S. H. O. in *Aprutina et Pinnen.* 20 *Decembris* 1823; poenitenti enim et petenti absolutio a censuris deneganda non est.

Quin obiici possit Sacerdotem Angelum posteriori tempore emissam renuntiationem de facto saltem posse infirmare. Praetermisso enim quod si per memoratam causam suspensio decerni valeret eadem facultate in posterum Archiepiscopus uti posset, ex hoc absurdum derivaret perpetuae suspensionis, dum possibilitas peccandi perpetua est, et censurarum effectus eo dirigitur ut quis pareat et satisfaciat ad tradita per Rotam in *decis.* 550 *n.* 3 *part.* 3 *rec. tom.* 4. Neque praesidium captari posse subdit ex cohabitatione Angeli in domo Solari. Nedum enim, ait, arctissimae amicitiae gratia ipse domi Henrici moratur, verum etiam ut praeceptoris munere erga huius liberos satisfaciat. Quod si haec sufficiens non appareat ratio ut cohabitationis ratio cohonestetur, animadvertit iure Canonum non proscribi cohabitationem Clericorum cum mulieribus, dummodo de incontinentia suspectae non sint. At uxor Henrici piissima mulier cum sit, adeo religione et honestate praefulget, ut nedum Curia contra coniuges Solari verbum protulit sed ipsemet Parochus fidem facit eosdem esse *di virtuosi costumi e di irreprensibile condotta.* Minusque tandem relevare pergit quae contra bonos Angeli mores a Curia producta fuerunt, ut latum posset sustineri

decretum. Etenim, animadverso, quod ea suspensionis a divinis causam proprie non tangunt, singula persequi spondet et inter informandum et in responsionis restrictu.

Verum ex adverso haec animadverti posse videntur. Ex Tridentini dispositione in *sess.* 14 *cap.* 1 *de reform.* Episcopi *ex quacumque causa, etiam extraiudicialiter* valent ab ordinibus iam susceptis suspendere. Iamvero vocabulum illud *extraiudicialiter* cuiuslibet formae iudicialis necessitatem excludit. Unde in suspensione lata *ex informata conscientia* non modo monitiones impune sperni ab Episcopo posse communiter sentiunt Barbosa in *Cap. Romana De sent. excomm. in* 6 *n.* 5 *et seqq.* Van Espen *tom.* 10 in *tractat. de recursu cap.* 3 §. 4 *et tom.* 4 *part.* 3 *tit.* 11 *cap.* 11 *de suspens.*, Schalmzgrueber *part.* 4 *tit.* 39 *n.* 30 Reiffenstuel *eod. tit. n.* 28, Monacelli *formul. legal. part.* 3 *tit.* 2 *form.* 8 *num.* 21, Pignatelli *tom.* 10 *consult.* 10 *n.* 3, verum etiam non teneri eumdem *causam suspensionis seu delictum manifestare ipsi reo, sed tantum Sedi Apostolicae, si suspensus ad eam recursum habuerit* totidem verbis docuit S. Congregatio in *Vercellensi die* 21 *Martii* 1643 *lib.* 17 *Decret. pag.* 170 *et seq.* relata a Benedicto XIV de *Syn. Dioec. lib.* 12 *cap.* 8 *num.* 4. Atqui ex ipsis decreti verbis deprehenditur suspensionem inflictam fuisse Sacerdoti Angelo Raffo *ex informata conscientia.* Ex defectu igitur canonicae formae Archiepiscopalis Curiae decretum nullatenus subverti posse videtur.

Hisce praemissis causam intrinsecus perpendendo haud decretum ab Archiepiscopali Curia latum, infirmandum videtur. Ambigendum siquidem haud est posse Episcopum poenas imponere vel augere SS. Canonum violatoribus cum eorumdem custos sit *Cap. Cum quibus, et cap. seq.* 37 *q.* 3, *Germon de sacr. immunit. lib.* 3 *cap.* 8 *num.* 41 eidemque potestas data sit Clericorum crimina coercendi et puniendi *Devoti Instit. Can. tit. De Episc.* §. 15, *Latini Instit. Can. eod. tit. num.* 7, adeo ut in notorios delinquentes suspensionis poena animadvertere valeat, licet nulla monitio praecesserit *Innoc. in Cap.* 1 *De excess. Praelat., Abb. in cap. Reprehensibilis num.* 4, *et ibi Praepos. num.* 2, *Franc. num.* 3, *Pignatell. tom.* 1 *consult.* 162 *num.* 4. Ast neminem fugit Clericis a SS. Canonibus prohibitum esse officium administratorum laicorum. Ad rem *Latini loc. cit. tit. De vita et honestate Cleric.* §. 3. – ibi –

« vetatur Clericis *administratores esse laicorum* eorumque « obsequiis abiectisque servitiis esse addictos. *Cap.* 2 *Ne « Cler. vel Mon., Clem. XIII Encyclic. Cum primam* §. *Et « parem* ».

Potissimum autem quia certe non sine populi admiratione Sacerdos Raffo, quin ecclesiastica officia obiret, et in procuranda animarum salute tempus tereret, quotidie versabatur in officina Solari, in qua etiam ab Archiepiscopali apparitore adinventus fuit, quando eidem indixit decretum S. O. de disceptatione causae in plenario EE. VV. conventu. Imo ut heri sui negotia gereret Sacerdos cum esset potiusquam concordiam et pacem in familia accendere, obstaculum posuit ne lis inter Henricum et Catharinam vitaretur. Eapropter plura et nonnulla haud notoria patravit, de quibus quaeritur Archiepiscopus referens « che non « si può addivenire ad un aggiustamento fra il fratello « e la sorella Solari per colpa del R. Raffo. Egli insultò « il Cav. Risagno con le lettere che non si scrivono alla « persona più abbietta, egli rappresentò il Solari in un « inventario denunciato ai tribunali come doloso, egli di- « staccò il Solari già dal patrocinio di due distinti e co- « scienziosi Avvocati e lo pose in mano d'un terzo: egli « sopra tutto si rivolse a diversi Teologi di questa Città, » perche sciogliessero, come egli voleva un caso di morale « da lui proposto, e diretto a persuadere l'Enrico Solari « che poteva giurare in giudizio di nulla aver ereditato « dalla madre, quando ben diverse sono le cose ».

Nec obstare videtur quod in themate procedi haud poterat ex informata conscientia quia non agebatur de occultis, quemadmodum communiter tenent Barbosa *in Ius Can. lib.* 1 *in cap. Ad aures n.* 4, Pignatel. *tom* 1. *consult.* 161 *n.* 1 Lucidi *De Visit. SS. LL. part.* 1 *ad* §. 3 *Benedict. Instruct. sect.* 8 *n.* 236 aliique, quibus iugiter adhaesit S. C. et recentius in causa *S. Agathae Gothorum* 26 *Februarii* 1853, sed de procuratione rei familiaris, coniugum Solari, quae integrae nota erat civitati. Siquidem isthaec obiectio suam vim exerere forte posset, ubi hanc solam suspensionis causam indigitasset Antistes: verum praeter hanc alias enumerat, quemadmodum ex mox recitatis Archiepiscopi verbis faciliter apparet. Sed et ulterius aliae indigitantur causae, quae indubitanter occultae dici debent. Audiatur sane quid retulerat Praesul in literis diei 25 Iu-

lii 1878 « Altre cause oltre l'accennata, mi obbligárono a « sospenderlo: la condotta da lui tenuta in questi ultimi « anni nella parrocchia di S. Rocco ove passava le notti, « i modi sprezzanti usati con me ed alla mia presenza.... « furono pur cause che mi risolvettero ad emettere il de- « creto contro il quale reclama ». Atqui unum tantum crimen occultum satis est, ut suspensio vel prout poena vel prout censura ex informata conscientia infligi posset. Ad rem Pignatelli *tom.* 9 *consult.* 8 *n.* 5 - ibi - *Quatenus censurae probatae super pluribus delictis non sustinerentur super unoquoque illorum, satis tamen est, quod ex uno tantum comprobarentur, cum unumquodque sufficiens sit ad illas incurrendas.* Concinit S. C. in *Lucionen. Suspensionis et Appellationis* 8 *April.* 1848 §. *Ex quibus, Bosnien. et Sirmien. Appellationis seu Super validitate decreti ex informata conscientia* 20 *Decemb.* 1873 *per Summ. Prec.* §. *Unica, Leopolien. Suspensionis* 27 *Febr.* 1875 §. *Nec.*

Quibus utrinque animadversis placeat EE. VV. sequens enodare

DUBIUM

An decretum Archiepiscopalis Curiae Ianuensis diei 12 Februarii 1878 sit confirmandum vel infirmandum in casu.

Dilata et ad mentem.

CREMONEN. IURIUM PAROCHIALIUM. = Pluribus abhinc saeculis insignis Ecclesia Parochialis Sanctorum Martyrum Firmi et Rustici Oppidi Caravagii Cremonensis dioecesis a quatuor Parochis vulgo *Portionariis* regebatur, qui curam animarum *in solidum* exercebant non tamen sine iurgiis ac litibus, quae saepe saepius in aperta scandala desinebant. In Collegiatam isthac Ecclesia erecta anno 1617 quatuor Parochi *Curati Canonici* nuncupati sunt. Labente vero anno 1750 antiquior Parochus

Sess. 24 cap. 18 de Reform.

Archipresbyteri nomine subscriptus invenitur, quod ad eius successores nemine contradicente migravit: atque ita *Archipresbyter* antiquior Parochus, *Curati Canonici* vero reliqui Parochi appellati sunt.

Anno autem 1804 res immutatae fuerunt ex facto atque opera civilis auctoritatis, quae in vim cuiusdam litterae circularis diei 7 Maii statuit, ut in posterum unus tantum esset Parochus, reliqui vero tres, Parocho, titulo *Vicariorum* assumpto, adiutorio essent. Imo tribus hisce Vicariis paullo post alii duo adiecti fuerunt beneficiati ex cessata Collegiata in eadem Paroeciali Ecclesia erecta superstites, quae pariter ipsamet civili potestate auctorante, suppressa remansit. Etsi plane ignoretur utrum huiusmodi innovationi a Gubernio peractae consensus seu legitima potestatis ecclesiasticae adprobatio postea accesserit; tamen comperti facti esse refert Episcopus, quod « dal 1804 fino al presente « la Parrocchia di Caravaggio di fatto e nella pubblica « opinione ebbe sempre un solo Parroco.... benchè i Vicarî « hanno esercitato ed esercitano ancora in varia misura « alcuni atti che spettano all'autorità parrocchiale ». Utrum vero ex tacito Archipresbyteri consensu an potius ex longi temporis consuetudinis effectu id ipsis obvenerit, dignosci non valet, cum omnia in tenebris delitescant. Illud unum certum est quod Missae pro populo ac praedicationis onus Archiprespbyter et tres Vicarii ut antea ad invicem sustulere; onera atque emolumenta omnia aequali portione diviserunt, atque in vacatione praedictae alicuius Vicariae spiritualis Oeconomus ut in Paroeciis deputari solet.

Res sic se habebant, cum duo ex praefatis Vicariis, occasione arrepta a quadam resolutione ab Archipresbytero edita, qua imminuta eorum potestas magis magisque coercebatur praecipue circa adsistentiam ad matrimonia, sub mense Februario anni 1877 ad Episcopum supplici oblato libello confugerunt, petentes *di essere redintegrati nel pieno possesso della loro dignità e podestà parrocchiale, quale esisteva prima del 1804, perchè l'atto di soppressione non fu che un atto di violenza dell'autorità civile.*

Episcopus ut ea qua par erat prudentia causam dirimeret rationum momenta ab utraque parte prolata librare aggressus est, sed eam gravibus difficultatibus involutam esse ratus, a quovis proferendo iudicio abstinuit et satius duxit quaestionem ad S. V. O. transmittere. Dum autem fa-

tetur actorum argumenta esse - *abbastanza validi* - enixe efflagitat, ut ex eo nihil innovetur quod per tam diuturnum temporis spatium constitutum reperitur, attentis praesertim quod innovationes iurgia et lites provocarent, necnon assiduam parerent confusionem: *Considerate tutte queste cose,* sic epistolium concludit Episcopus, *ed altre, che la Sacra Congregazione comprenderà nella sua sapienza, oso proporre e pregare affinchè usando essa della sua autorità, sani ciò che forse in origine non fu canonico, e dichiari uno solo essere il Parroco, o almeno prescriva che le cose continuino come stanno al presente.*

Hisce habitis precibus die 18 Iunii 1877 ipsimet Episcopo, ceu de more, mandavi ut in scriptis tum Parochum, tum Vicarios audiret. Quod cum actum sit hodie mane causam disceptandam proposui sub dubii formula in calce huius libelli descripta relatis prius rationum monumentis, quae a partibus producta fuerunt.

Deceptum in primis Cremonensem Antistitem, atque ideo nubem pro Iunone captasse Vicarii adfirmant. Non enim, prout ille dixit, a S. Ordine petunt « di essere re« integrati nella potestà parrocchiale quale esisteva pri« ma del 1804 quando quattro parrochi detti porziona« rii reggevano in solidum la parrocchia » quippe qui nunquam ex his iuribus exciderunt; sed quaerunt an in ea potestate et dignitate conservandi sint. Atque adeo Episcopus deceptus est, ut Archipresbytero deinde faveret, nec, post S. Congregationis iussum, Vicariorum rationes audire ullo modo vellet, nisi obtenta prius biscentum libellarum summa quam ille ad expensas sustinendas necessariam omnimodo adfirmabat.

Vicariorum autem ius parochialitatis, sive ex veteribus documentis, sive ex publicis titulis, sive ex parochialibus codicibus, sive ex antiquiorum parochorum testimonio, sive ex ipsius, licet contrariae, Curiae attestationibus patet. Extat enim titulus, vulgo « *cartella del debito pubblico* » quatuor parochis inscriptus, in quo apertissime civilis ipsa auctoritas declaravit « che la rendita appartie« ne alle quattro prebende curaté della Chiesa parrocchia« le di Caravaggio, e che deve riputarsi tra il parroco ed « i tre curati pro tempore ». Extant complures nominationis bullae quae omnes parochialem Vicariorum naturam ac dignitatem ostendunt. Fundationis autem bulla deficit

omnino, neque illa, utcumque diligenter exquisita, inveniri potuit.

Per immemorabilem ac nunquam interceptam consuetudinem suum ius Vicarii patere contendunt, ac prae caeteris, per Curiae attestationes, nec obiici ab adversario posse, mutato nomine, mutatam beneficii curati naturam fuisse. Siquidem primus ille actus, qui parochi nomen uni Archipresbytero tribuit, civilis tantum auctoritatis fuit, nec quoad animarum curam, quidquam mutavit. Compertissimum namque in iure est laicae ac civilis auctoritatis dispositiones nullo modo Ecclesiam adstringere vel obligare. Solo igitur Ecclesiasticae potestatis iussu beneficium suum Vicarii Parochi amittere potuissent. Cum vero hic actus non modo huc usque non interfuerit, sed Cura animarum semper a quatuor Parochis, quin aliquid innovaretur, gesta sit, atque ad praesens etiam geratur, apertissime patere ostendunt Ecclesiasticam auctoritatem nullam, quoad iuris effectus civili legi vim praebere voluisse.

Nec refert quod sic haberetur ius parochialitatis inter plures in solidum. Neque enim in iure novum, neque in praxi insuetum est ius parochialitatis in solidum haberi, praesertim si qua rationabilis et legitima ratio prout in praesentiarum, id expostulet. *Pitonius constitutiones et decisiones* pro parochis N. 1404 et *seqq*. 3 *Iunii* 1678: neque aliter sentit S. H. C. in *Tiburtina* 18 *Iunii et* 9 *Iulii* 1757, atque in *Brixien*. 24 *Iulii* 1875, et in *Aretina* 11 *Decembris eiusdem anni*. Ipsa etiam *Tridentina Synodus* non modo cumulativae curae non adversatur, sed illam admittit ac praesumit, prout videre est in *cap*. 18 *sess*. 24 *de Reform*.

Atque hoc tanto magis admittendum Vicarii tradunt, quando, prout in casu, plures quidem parochi sunt, sed *unam* efficiunt atque induunt *personam*. Tum enim cura animarum, licet *actu* apud singulos sit, *habitu* tamen *apud omnes in solidum* permanet, quia uno in corpore, in collegio, pluralitas existere non potest, prout docet *Lotter. de re benef. lib*. 1 *quaes*. 20 *num*. 116 *seqq. atque in num*. 142 *seqq*., *Rota decis*. 225 *par*. 19 *tom*. 1 *Rec. num*. 2 *seqq*.

Inde fit ut plurima in animarum cura huiusmodi administrationis exempla pateant, prout videre est in paroecia qua-

dam Mediolanensi dioecesi subiecta atque oppido Caravagii pene finitima, quae « *Treviglio* » appellatur.

Cum igitur neque Ecclesiasticae disciplinae, neque iuri aut praxi contraria huiusmodi administratio dici possit, vehementer Vicarii mirantur curam illam tantopere Archipresbyter aggrediatur.

Quod vero ad consuetudinem attinet, plures Vicarii actores nominationum bullas inducunt, ex quibus qualis paroeciae semper administratio fuerit, iuxta ea quae nuper tradita sunt, apertissime patet. In his enim, quoties presbyterum quocumque nomine ad curam animarum in oppido Caravagii nominari contingerit, semper ad « *unam ex quatuor portionibus parochialibus curatis* » exercendam vocari consuevit, neque ulla inter curata beneficia distinctio apparet. Igitur ex diuturna et nunquam intercepta consuetudine curata beneficia demonstrantur. Neque ipsa civilis auctoritas oleum se atque operam perdidisse ignoravit: nam, licet nomen parochis mutari imperaverit, servit tamen atque ostendit pecuniarium titulum in quo confitetur « *che la rendita appartiene alle quattro prebende curate della diocesi di Caravaggio* » ac mox « *che la rendita si pagherà ai quattro parrochi pro tempore* ».

Quid autem, animadvertunt, quod ipsa, Vicariis contraria Cremonensis Curia, licet eorum iura inficiari vellet, quae tamen facti sunt, non modo non inficiatur, sed apertissime admittit ac confitetur? Quid quod quatuor esse Parochos, atque eos unam eamdemque personam gerere atque administrationem exercere declaravit? Quid quod Vicariorum praedecessores semper se eodem modo gessisse, neque ullam inter eos atque Archipresbyterum diversitatem unquam extitisse testantur? Quid demum quod in ipsa pastorali visitatione anno 1599 Cremonensis Episcopus *quatuor esse Parochos* alternis hebdomadis *curam exercentes* declaravit?

Sed maiora etiam praestare se Vicarii tradunt. Parochiales enim codices adducunt, qui veritatem ostendunt, atque ex his non modo quatuor semper Parochos dignitate pares in Ecclesia Caravagii extitisse patet, sed etiam antiquiorem Parochum Bartholomaeum Foresti anno 1750 primum sibi Archipresbyteri nomen assumpsisse, quod posthac in exemplum successoribus usuvenit.

Ac demum supplicem praebent libellum quod an-

no 1751 Episcopo Cremonensi Caravagii Parochi obtulerunt, ut privilegium quoddam obtinerent, atque ubi legere est « tanto più essendovi tra essi curati l'anziano che « secondo le ultime convenzioni da V. S. Illma e Revma « approvate ha il titolo d'Arciprete. » Antistes vero precibus annuit ac privilegium Canonicis Curatis eorumque successoribus concessit, quin de Archipresbytero verbum unum adiiceret.

Mox de Curiae Cremonensis attestationibus loquentes, omnia expendunt quae haec in iis monumentis pro Vicariis tradidit. Illa enim quatuor semper Parochos in Ecclesia Caravagii extitisse testatur: « A chiunque si fa fede: « 1° che la parrocchia di Caravaggio dal 1599 fino al « presente fu sempre retta da quattro Parrochi. » Archipresbyteri nomine antiquiorem Parochum decorari « il « titolo d'Arciprete era assunto da quello dei quattro Par« rochi che risultava il più anziano » Vicariorum appellationem civilis auctoritatis iussu Parochos assumpsisse « il « qual titolo incominciò fino dall'anno 1805 in forza del« la circolare 7 Maggio 1804 anno III del ministero per « il culto » ac eos omnes aequalem partem in emolumentis accipere, in expensis vero solvisse semper ac solvere. Quae omnia tanto maiore in pretio Parochi habenda adfirmant quia Cremonensis Antistes magis Archipresbytero quam Parochis favere visus est.

Tum ab antecessoribus suis haec adfirmari ostendunt, quae demum ab Episcopo Cremonensi in sacra visitatione iam anno 1599 expleta, cognita sunt. Actum igitur visitationis huiusce praebent, quod ait: « *Titulares huius Ecclesiae sunt quatuor . . . qui Curati curam animarum exercent alternis hebdomadibus* ».

Nec praetereundum aiunt quod in Bulla quadam apertissime firmatur. Anno enim 1816 Homobonus Offredi Episcopus Cremonensis, cum impares omnino vidisset ob auctum fidelium numerum quatuor Parochos ad animarum curam, coadiutoralem instituit Vicariam ac novo coadiutori praecepit: « Ita quod in cura animarum ad nutum et in « subsidium R. M. Parochorum dictae Ecclesiae Parochia« lis SS. MM. Firmi et Rustici praedicti oppidi Carava« gii te praestare debeas ». Cum igitur Episcopus ipse prae caeteris Ecclesiae regimen agnovit, nullam inter Parochorum dignitatem praebuerit distinctionem, neque ab Archipresbytero distinguendum adfirmant.

Nullam igitur Archipresbytero iuris rationem favere pergunt, prout ipsa saecularis observantia docet. Cumulative semper Parochi quae muneris sui erant, expleverunt, ac simul pariter emolumenta atque onera, nemine contradicente, diviserunt. Atqui consuetudo plusquam centenaria suapte natura valorem induit veri ac legitimi tituli ac privilegii, eaque praeditus potest allegare titulum de mundo meliorem, *l. in summa ff.* 8 *de aqua et aquae pluviae arcendae, l. hoc iure* 4 *par.*4 *ff. de aqua quotid., G. super quibusdam* 26 *de verbor. sign., Rota Rec. par.* 1 *decis.* 677 *num.* 4 *par.* 3, *decis.* 489 *num.* 2 *par.* 4 *to.* 1. et alibi passim. Quapropter *Deluca lib.* 7 *De alien. disc.* 3 *num.* 6 *ait: sola centenaria* (praescriptio) *sufficit non obstante moderna constitutione Urbani VIII ob facultatem allegandi quemcumque titulum de mundo meliorem.* Cuius rei rationem adducit in *lib.* 15 *disc.* 21 *De iudiciis num.* 50 hisce verbis: *Omnia enim dominia ac bona vel iura quae ab antiquissimo ac immemorabili tempore bene concluso possideantur, aliquod principium absque dubio supponunt.* » Itaque concludendum animadvertunt quod observantia tanti temporis patrocinetur Vicariis ne dum in linea interpretativa et praesumptiva sed et in linea praescriptiva.

Quod si missae pro populo celebrationem adiungas, quam Parochi omnes perficiunt, iura ad decimas, parochialis Archivii administrationem atque usitatam perceptionem in utriusque stolae emolumentis, luce clarius ius suum parochi apparere contendunt, ac vehementer mirantur, quomodo « *sibi tantum exclusive* » animarum curam pertinere Archipresbyter adfirmet, cum haec tantummodo verae et propriae parochialitatis probationem inducant, prout firmavit *Rota in Rec. dec.* 225 *par.* 19 *to.* 1 *num.* 8 *seqq.* Porro animarum curam dubio procul ad Archipresbyterum pertinere fatentur, sed cumulative ac non exclusive.

Mox, cum veram ac propriam parochialem muneris sui naturam ostenderint, ad alteram secundariam quidem sed graviorem quaestionem pergunt, quam praecipuum opus ac laborem Archipresbyteri affirmant. Ille enim non modo solum se Parochum appellat, sed sibi tantum matrimonia servata contendit. Quod neque iure neque factis fretum sibi eum vindicare Vicarii aiunt.

Nam, posita pluralitate Parochorum, atque ideo posita iurisdictionis ac potestatis in omnibus aequalitate, quis

inficiari poterit ius sacramenta omnia (nullo excepto) administrandi, Parochi officio essentiale agnosci? Compertissimum igitur in iure est solum parochum valide ac legitime matrimoniis adsistere, prout firmavit *Tridentina Synodus in cap. 1 sess. 24 de Reform. Matr.* ac *Bouix De parocho par. 4 cap. 7 §. 2 pag.* 473: atque ideo, si plures, dignitate pares, Parochi sint, iis omnibus ius adsistendi spectabit. Aequalitas enim quae ex nominationum bullis apertissime evincitur, eam saltem dependentiam respuit quae sacramenta sine consensu et delegatione Archipresbyteri administrari vetat.

Porro, si de extraneis in casu ageretur, nemo ex Vicariis inficiaretur delegationem ab Archipresbytero esse exquirendam. Sed longe alia res est: Vicarii enim vere et proprie Parochi sunt, neque eam delegationem ab altero exposcere debent quam per se ipsi habent.

Nullum igitur in iure Archipresbytero effugium praesto esse aiunt, qui ab ipsa etiam observantia atque a factorum serie luculenter condemnatur. Nominationis enim bullae extant complures quae alteri ex Vicariis potestatem tribuunt, quin verbum de exceptionibus faciant. Extant bullae Episcopi Offredi quae vicariam *coadiutorialem* instituunt atque hoc presbyteris quibusdam munus conferunt, eisque facultatem ministrandi sacramenta tribuunt, his tamen verbis adiectis: « *et excepto sacramento matrimonii ad cuius adsistentiam debeas specialiter ab altero ex praefatis parochis deputari* (scilicet a parochis vicariis), *iisque pariter exceptis quae matrimonium sive antecedenter, sive subsequenter respiciant, quaeque omnia iisdem RR. Parochis reservata expresse volumus et declaramus* ». Luce igitur clarius eorum ius apparere Parochi aiunt quod ipse Cremonensis Episcopus iam anno 1816 non creavit sed agnovit. Nec in posterum se res aliter gessit. Extant enim posteriores bullae quae coadiutoriales ipsas vicarias conferunt, in quibus exceptio eadem ac necessitas accipiendi ab altero ex Parochis delegationem apertis verbis firmatur. Neque aliud ex ipsis nominationibus quae Vicariorum Parochorum institutionem continent, evinci potest, quippe nullam exceptionem continent, nec uni Archipresbytero matrimonii celebrationem reservant.

Hoc demum, aiunt Vicarii ex ipsis praedecessorum suorum attestationibus probari, qui apertissime declaran-

dum censuere « d'aver sempre ricevute le impromesse « dei matrimonii, ed assistito alla celebrazione dei medesimi senza delegazione di sorta = ac rursus = di avere « assistito alla loro celebrazione senza bisogno d'altrui de- « legazione, trovandosi investito con una bolla canonica « che non portava limitazione di sorta ».

Ita iure matrimoniis adsistendi generaliter probato, de nonnullis sibi exceptionibus disputandum Vicarii putant. Excidit perraro in literis nominationum verbusculum aliquod quod Vicariis adversari videtur, facultatem iis adsistendi tribuens, accepta prius ab Archipresbytero delegatione, prout Vicario Bacchetta contingit, qui inter actores sese in praesenti causa praebuit. Id tamen nullo modo sibi nocere Vicarii tradunt. Nemo enim ius istud abstulit: nemo Parochorum iura minuit: sola enim Ecclesiastica auctoritas quae curata beneficia constituerat, per formale decretum potestatem antea traditam minuere potuisset, quod sibi tamen minime perficiendum censuit. Quomodo se Cremonensis Curia erga Vicarios gerat, ac quomodo pro viribus Archipresbytero faveat, omnibus patet. Nemini igitur mirum esse debet si haec novam consuetudinem inducere quandoque contendat, ac si nemo ex Vicariis contra huiuscemodi clausulas clamaverit, cum se minime ab his adstringi optime nosset. Quamobrem, cum iuris existentia absolutissime demonstretur, nec contrarii quomodocumque actus reperiantur, nullo in pretio exceptiones huiusmodi faciendas Parochi putant.

Nec refert quod in ipsis parochialibus codicibus ad matrimonia spectantibus, in praesens etiam Vicarii parochi obsignationem suam apponant adiectis verbis « *delegato dall'Arciprete.* » Id enim necessitas ac calamitosae temporum vicissitudines expostulant. Neminem profecto latet codices omnes parochiales civilis auctoritatis investigationibus quandocumque obnoxios esse posse, quae Parochorum pluralitati totis viribus adversatur. Prudentis igitur non esset, quomodo se res habeat aperte ostendere, ne molestiae Parochis inferantur, atque ideo delegationis simulacrum confingunt perinde ac si unus Archipresbyter, qui solus civili lege Parochus est, matrimonia celebrandi ius habeat, atque alii omnes accepta ab eo facultate utantur.

Haec demum malam Archipresbyteri fidem magis magisque probare Vicarii aiunt, qui temporum angustiis ac

perversitatibus fretus, ius sibi novum cum aliena iactura vindicare nititur.

Ex altera vero parte rationum momenta a Vicariis adducta parvi facienda esse videntur, quippe quae in Sacrorum Canonum dispositionibus obicem reperiunt, quae Pastorum seu Parochorum pluralitatem utpote monstruosam atque ipsimet rectae rationi contrariam aperte condemnant ac ab Ecclesia prorsus eliminandam esse praecipiunt. Hoc siquidem dubio procul liquet tum ex *text. in cap.* 15 *De praeb. et dignit.* in quo statuitur *quod una Ecclesia unius debeat esse Sacerdotis:* tum etiam *ex Cap.* 8 *eod. tit.* quod de minoribus Ecclesiae beneficiis agit, inter quae certo certius beneficium parochiale adnumerari debet. Quas iuris communis canonicas sanctiones Conc. Tridentinum in vigorem revocavit easque auctoritate sua communivit. Sane Tridentini Patres, ut colluctationibus ac scandalis ex hac pastorum pluralitate profluentibus viam praecluderent, Episcoporum curae et sollicitudini commiserunt in *Sess.* 24 *Cap.* 13 *de Ref.* ut *unicuique* (*Parochiae*) *suum perpetuum, peculiaremque Parochum assignent, qui* eas *cognoscere valeat, et a quo solo licite sacramenta suscipiant.*

Quae cum ita sint, mirum non est si Doctores omnes hanc doctrinam suffragio suo sequuti fuerint, eamque tuendam esse uno ore validisque argumentis tradiderint: inter quos satis sit citare Gonzalez ad *Cap.* 8 *De praeb. et dignit.* Pichler ad *tit. de Paroch.* de Luca *disc.* 8 *ad Conc. Trid. n.* 35 *et seq.* Barbosa in *C.* 1 *De off. et potest. Parochi num.* 14 *et seq.* Et re quidem vera praefata Parochorum pluralitas praeterquamquod auctoritatis conceptui et naturae sese opponat, nonnulla eaque gravia incommoda secumferre nullo modo ambigi posse videtur. Sane ea est fomes et seminarium litium et discordiarum, quas inter plures hosce Parochos cum maximo animarum discrimine oriri iugiter Episcopi lamentantur. Ea insuper in causa est, ut, cum oves pluribus pastoribus obedientiam praestare obstrictae sint, nullius vocem audiant. Quae omnia quanta cura quantaque sollicitudine eliminanda sint, nemo est qui non videat. Qua de re S. H. C. quotiescumque ad huiusmodi quaestiones dirimendas appellata fuit, ad tramitem iuris usque adhuc expositi iugiter sententiam suam protulit, seu plurium iurisdictionem in exercenda cura ita cohibuit, ut ab uno, tamquam a capite dependentiam recognoscerent, nullo habito respectu neque ad Constitutiones Capitulares,

neque ad consuetudinem eamque immemorabilem, neque ad quaevis alia iura, quae in contrarium allegabantur ceu videre est in *Nullius Orbetelli Iurium Paroch.* 14 *Aprilis* 1821. et praesertim in *Brixien. Iurium Parochialium diei* 24 *Iulii* 1875 et *in Aretina Iurium Paroch.* 11 *Decembris* 1875.

Huiusmodi vero doctrinae in themate eo magis inhaerendum esse videtur, tum quia per plus quam septuaginta annos Vicarii curam animarum exercuerunt, reclamatam dependentiam Archipresbytero iugiter exhibentes: tum quia aliter iurgia et contentiones inter Parochos renovarentur, quae saepissime locum habere solebant eo tempore, quo cura animarum a pluribus pastoribus in solidum exercebatur ceu perhibet Episcopus in sua informatione S. H. C. oblata. *È inutile il dire,* sic refert Episcopus, *che tra questi Parrochi erano frequenti i contrasti; che talvolta si trasmutarono in aperti scandali, come consta dai documenti dell'Archivio Parrocchiale.*

Quin regerere valeant immutationem anni 1804 attendendam haud esse utpote ab auctoritate civili, ecclesiastica potestate posthabita, dumtaxat peractam. Archipresbyter enim praeprimis respondet non esse probatam immutationem, anno 1804 a Gubernio inductam, legitima potestatis ecclesiasticae adprobatione atque sanctione fuisse destitutam. Ut autem factum aliquod de nullitate arguatur, probari prius debet, rem reapse accidisse, quemadmodum asseritur. Deficiente vero huiusmodi probatione, inutiliter de nullitate actus impetitur: notum siquidem in iure est, quod facta non praesumuntur, sed probationibus demonstrari necesse est, ut effectum pariant *ad text. in Leg.* 1 *Cod. de Probat. Leg. Asseveratio Cod. de Non Num. Pecun., Rota coram Ianora decis.* 48 *n.* 10 *et coram Card. Marini Decis.* 422 *num.* 1. Urget ulterius Archipresbyter ex omnibus rerum adiunctis praesumi potius debere sanctionem ecclesiasticam in themate non defuisse. Arguit id ex iugi et constanti silentio nedum sacerdotum qui successivo tempore in curae animarum administrationem vicaria potestate vocati et adlecti fuerunt; verum etiam eorum qui nativam Parochorum potestatem in solidum exercendam per Laicae Potestatis imperium imminutam viderunt. Non est revera credibile quod ii huiusmodi civili dispositioni acquieverint, qua eorum iurisdictio adimebatur, quin nec eo temporis, quo talia fiebant, saltem protestationem emiserint nec imposterum primaevam iurisdictionem parochialem unquam reclamaverint.

Arguit ex silentio Episcopi, qui talem iniuriam suae et pontificiae auctoritati facere permisisset; quin adversus Laicae potestatis abusus vocem attolleret. Quae quidem facile praesumi haud possunt, cum Episcopi districte teneantur Ecclesiae iura suae pastorali sollicitudini commissa sarta tecta tueri. Arguit ex publica opinione quam in Dioecesi apud omnes invaluisse refert Episcopus unum tantum ab anno 1804 fuisse Parochum, a quo ceteri operarii Vicariorum nomine dependere debebant. *Dal* 1804 sunt Episcopi verba, *fino al presente la Parrocchia di Caravaggio di fatto e nella pubblica opinione ebbe sempre un solo Parroco che porta il titolo di Arciprete, benchè i Vicarii abbiano esercitato ed esercitino ancora in varia misura alcuni atti, che spettano all'autorità parrocchiale.* Arguit ex facto persimili quod in pluribus Superioris Italiae dioecesibus tunc temporis occurrit. Porro in huiusmodi dioecesibus licet praeveniente vel impellente civili potestate, paroeciae quandoque dismembratae, quandoque vero unitae aut diminutae fuerunt; eas tamen mutationes Superior Ecclesiasticus suffragio suo legitimas reddidit. Et ut caetera praeteream, Novarien. dioecesis exemplum alligare satis sit, in qua propugnata ecclesiasticae potestatis adhaesio huiusmodi mutationibus accessit, ceu videri est in *Novarien. Curae animarum diei 4 Maii* 1878.

Itaque si in pluribus aliis casibus utraque potestas in iis negociis peragendis amico foedere processit, vel Ecclesia civilis potestatis factum deinde sanavit; in praesenti quoque rem non aliter se habuisse censendum est, donec adversarii rationibus positivis et concludentibus contrarium non evincant. Arguit tandem ex tanto temporis spatio quod ab anno 1804 elapsum est. Tralatitii siquidem iuris est 30 annorum decursum tantam vim praeseferre ut ipsum Apostolicum beneplacitum praesumere faciat. Vide S. Rotam in *Dec.* 50 *num.* 12 *part.* 14 *et Dec.* 694 *n.* 5 *part.* 1. Praesertim praesumitur intervenisse ubi dentur actus certi et positive gesti huiusmodi observantiam probantes *Dec.* 44 *num.* 25 *part.* 10. In themate autem cum nedum de 30 sed de 75 annorum decursu agatur, quisque ingenio suo facile percipit nullo modo ambigi posse ecclesiasticae potestatis sanctionem intercessisse. Sin minus concludit Archipresbyter in themate agi de re dubia: in dubio autem praesumitur semper recte factum, quod rite faciendum erat.

Constito vero ex iure tum antiquo, tum novissimo atque ex constanti H. S. C. praxi quod unicus esse debeat in quavis paroecia animarum pastor, quodque reliqui cooperatores, si qui adsunt, dependenter ab eo iurisdictionem parochialem exercere teneantur, quae Vicarii secundo loco congerunt circa nativam et independentem adsistendi matrimoniis potestatem mole sua ruere contendit. Neminem enim fugit ex Tridentini dispositione in *sess.* 24 *cap.* 1 *de reform. matr.* solum Parochum , aut ab ipso specialiter delegatum valide ac legitime matrimonii celebrationi adsistere posse. Unde est quod iure meritoque, ceu ipsi adversarii fatentur, in quibusdam collationis literis aperte perlegitur facultatem tribui Vicariis matrimoniis adsistendi accepta prius ab Archipresbytero delegatione; et hoc factum confirmat, cum in parochialibus codicibus ad matrimonia spectantibus in praesens etiam Vicarii Parochi obsignationem suam apponant hisce verbis conceptam « *delegato dall'Arciprete* ».

Quae cum ita sint, ab EE. VV. humanitate Archipresbyter postulat, ut in suorum iurium suaeque iurisdictionis possessione manuteneatur: hoc siquidem nedum optimum ius, verum etiam pacem et concordiam reclamare autumat, de qua actum esset, si Vicarii ad parochialia munia in solidum exercenda denuo immitterentur. Archipresbyteri vero preces Episcopus voto et suffragio suo hisce verbis commendat atque corroborat. *Considerate tutte queste cose ed altre, che la Sacra Congregazione comprenderà nella sua sapienza oso proporre e pregare affinchè usando essa della sua autorità, sani ciò che forse in origine non fu canonico e dichiari uno solo essere il Parroco, o almeno prescriva che le cose continuino come stanno al presente.*

Videant ergo EE. VV. quonam responso dimittendum sit sequens

DUBIUM

An Archipresbyter et tres Vicarii aequali modo curam et iurisdictionem exercere debeant etiam quoad matrimonia; seu potius Archipresbytero tantum exclusive competant in casu.

Negative in omnibus ad primam partem, affirmative ad secundam; Vicarii autem ius habent et obligationem curam animarum subsidiariam exercendi.

Sess. 24 cap. 12 de Reform.

DREPANEN. SERVITII CHORI. = Extat in Drepanensi civitate Ecclesia sub invocatione S. Laurentii M., nunc cathedralis, olim simpliciter parochialis, quae a duobus rectoribus curam habentibus animarum regebatur. Eximia pietate permotus quidam Petrus Messina de anno 1710 Collegiatam in ea institui mandavit in suo testamento, octo Canonicos a suis haeredibus nominandos de congrua praebenda ex suo asse haereditario providens, ex quibus alter ex Parochis superstitibus eorumque successoribus prima Dignitas esset in capitulo « mi fondo una collegiata di Canonici.... la quale « abbi da costare di numero otto Canonici inclusi li due Par« rochi di detta Parrochiale Basilica di S. Lorenzo.... volen« do e comandando che di detti Canonici vi sia la dignità « il Parroco più antico... ed i detti Rm̃i Canonici, che sem« pre ed in ogni tempo futuro due di detti Canonici ab« biano e debbano da essere li due Parrochi di detta « Ven. Parrocchiale Basilica. » Omnibus autem indiscriminatim Canonicis hanc testator legem imposuit, quae huic quaestioni praebuit originem: « Voglio, che ognuno di detti « Canonici sii tenuto ed obbligato ogni giorno recitare e « cantare il divino officio nel Coro di detta Parrocchiale « Basilica di S. Lorenzo, *confessare*, assistere nelle Messe « cantate quotidiane, e questo a mia intenzione, e per l'a« nima mia e remissione dei miei peccati. »

Apostolicis Bullis diei 1 Martii 1737 erecta fuit Collegiata octo illis Canonicis aliisque duodecim de iure itidem patronatus nominandis constans, inter quos duo Dignitate Cantoris et Decani insigniti sunt, et animarum curae praepositi. Quoad Canonicos vero a Messina institutos haec Sum. Pontifex sancivit: « Et quotiescumque ipsi Can« tor et Decanus in exercitio curae animarum huiusmodi « aut Sacramentorum Ecclesiae administratione, ac sex Ca« nonici sex Canonicatus totidemque prebendas iuxta di« spositionem dicti Petri, per se ut praefertur erigendos et « erigendas pro tempore obtinentes *in Sacramentalium Con« fessionum receptione* in praefata Parochiali Ecclesia San« cti Laurentii in saecularem et insignem Collegiatam quae « et Parochialis ut antea existat Ecclesia per se ut prae« fertur erigenda respective *occupati fuerint, pro praesen« tibus habeantur, dictasque distributiones* pro rata eis et eo-

« rum cuilibet debita respective *lucrari possint et debeant* « *respective percipere, exigere etc.* »

Saeculo iam transacto aliis Bullis Apostolicis diei 31 Maii 1844 praedicta Ecclesia Episcopali Cathedra condecorata est; atque in iisdem Bullis ita onera Canonicorum confirmata: « Declaramus vero ac statuimus, ut praebenda « quae pro Praecentore sive Ciantro adsignata est, primam « post pontificalem, altera autem, quae adsignata est pro « Decano, secundam eius Capituli dignitatem et praeeminen- « tiam secum perpetuo ferat, *utque ipsi eidem praebendae* « *cui antea in statu Collegialitatis, item in posterum inhaereat* « *animarum cura* cum iisdem ut antea iuribus atque oneri- « bus, ab eius pro tempore rectore substinenda atque exer- « cenda. Praeterea concedimus atque indulgemus, ut *ipsae-* « *met viginti canonicales praebendae* absque Bullarum ex- « peditione pro hac vice tantum retineantur ac *possidean-* « *tur* ab hodiernis respective rectoribus *cum iisdem pror-* « *sus oneribus primitus adnexis.* »

Testamentariae dispositioni Petri Messina innixi Canonici ab eodem instituti, quibus nempe iniungitur Poenitentiae Sacramentum administrare, arbitrati sunt vacare posse sacramentalibus confessionibus excipiendis tempore divini officii quin distributionibus privarentur quotidianis; quod forsan alii Canonici gravato animo ferentes querelam Episcopo praebuerunt, ut ad communis legis observantiam illos revocaret. Amicalibus primo ac repetitis monitis duobus abhinc annis adnisus est Antistes Messinenses Canonicos ad choralem disciplinam custodiendam compellere, sed contra promissiones ab iisdem, ut ipse refert, continuo datas, omni spe frustratus, sub die 9 Martii superioris anni 1878 mandatum edidit, ut, excepto Cantore (in quo uno parochialis cura nunc residet) et Poenitentiario, alii Canonici qui tempore divini officii fidelium confessiones audirent, distributiones quotidianas amitterent, atque insuper incurrerent in poenam suspensionis a celebratione Missae pro una die subsequenti violationem mandati.

Ut inflictam suspensionis poenam Episcopus revocaret persuasionibus et ipsi prae primis usi sunt Canonici promissiones persimiles ut antea de praestanda docilitate alternantes. Verum in irritum cessis utriusque studiis, iidem postremo satius duxerunt ad S. H. O. confugere haec qua-

tuor Dubia proponendo: « 1. Dopo che la Collegiata par-
« rocchiale Chiesa di S. Lorenzo di Trapani fu eretta in
« Cattedrale, rimase ai Canonici di Pietro Messina l'onere
« di ascoltare le sacramentali confessioni? ; e nell' affer-
« mativa devono eglino considerarsi come presenti al Coro
« durante l'esercizio di tale ministero, come nello stato di
« collegialità? 2. I Canonici d'altre fondazioni ed i Man-
« sionarii mentre ascoltano le sacramentali confessioni per
« aiuto della cura spirituale delle Parrocchie, devono con-
« siderarsi come presenti al Coro, e lucrare le distribu-
« zioni corali? 3. E nella negativa debbono andare sog-
« getti a due pene, alla perdita cioè delle distribuzioni
« corali, ed alla sospensione insieme? 4. Può sostenersi
« dal Vescovo nella specie la sospensione *ipso facto* dalla
« celebrazione della Messa per l'esercizio di sì utile e ca-
« ritatevole ministero? »

Expetita de more, acceptaque praedicti Episcopi informatione, causam duxi ad EE. VV. deferre assueto rescripto = *ponatur in folio;* = atque exinde deductionibus ex reclamantium parte collatis, prudenti nunc iudicio vestro submitto rationum momenta hinc inde exposita per summa capita recensurus.

Ex quo Canonici suspensionem ab Episcopo comminatam prae caeteris impetunt, hinc ipsa haud substineri contendunt, *primo* quia absentibus a Choro iam praestituta est poena amissionis distributionum a Conc. Trid. *sess.* 24 *de reform. cap.* 12; eamque proinde Episcopus alia poena gravare non potest. *Secundo*, quia animarum curam habitualem habere reputant, actualem autem in defectu Cantoris, seu Parochi; quo in casu eamdem curam exercet iure proprio Canonicus *de turno*.

Hoc autem demonstrant exemplo antecessoris Episcopi Ciccolo, qui vacante an. 1868 parochia, haec scripsit Capitulo: « aspettando alcune risoluzioni governative intorno
« agli economi Curati Ancona, e La Via, non potendo la
« cura spirituale della Cattedrale rimanere senza un sog-
« getto, che ne assuma l'ufficio, perchè giusta la bolla di
« fondazione della Collegiata, omologata da quella della
« Cattedrale, *sottentri chi di diritto nella sullodata cura*
« *spirituale* etc. »; atque illa occasione curam exercuit actualis Canonicus Vicarius Episcopi, prouti ostenditur a fide matrimoniali ab eodem sub die 28 Novembris 1868 emissa,

in qua subscribitur=*Sacerdos Parochus Planeta Turnarius.*= Idipsum praeterea ostenditur ex tabulis nominationis duorum Oeconomorum a praedicto Episcopo elicitae, in quo haec habentur « *sine praeiudicio curae habitualis residentis* « *in corpore Capituli* et iurium Rmi Canonici *Turnarii* « *circa curam actualem*, ut eruitur ex scripturis et instru- « mentis propriis, sive in tua absentia ab officio curae, « sive in concurrentia in eodem die et tempore plurima- « rum parochialium functionum. » *Tertio* quia etiam in Ecclesia Collegiata eiusdem loci Canonici in poenitentiae tribunali sedent tempore divini officii; et nihilominus nullam eisdem suspensionem indixit unquam Episcopus.

Haec de iure; in facto autem alia nonnulla adiiciunt, quibus opportunum et necessarium ostendere conantur ministerium Confessorum tempore divini officii. Praeterquamquod id obtinet ex diuturna observantia, ab erectione nimirum Collegiatae ad diem inflictae suspensionis ea quidem religiosa prudentia, ut numquam in choro media pars Canonicorum deficeret, hoc autem Confessionum exercitium percommodum esse asserunt fidelibus distincti coetus, qui prae coeteris habitant in paroecia, hisce praesertim temporibus, dum non minus quam quinque religiosorum domus intra fines eiusdem paroeciae existentes suppressae sunt, in quibus parochiani assolebant poenitentiae ablui lavacro. Hora autem magis opportuna, maxime hyemali tempore, est *a nona ad meridiem;* quo nempe intervallo officium divinum recitatur; ita ut hoc ultimo temporis lapsu, in quo ob poenam suspensionis ab hoc ministerio sese abstinuerunt Canonici, confessiones evaserunt infrequentes. Adiiciunt praeterea, quod Canonicus Poenitentiarius ultra novem abhinc annis suum nequit officium adimplere, quia praeter aetatem *octuagenariam*, chronica laborat infirmitate.

Ad hanc autem consuetudinem cohonestandam exemplum invocant B. Ioannis Baptistae De-Rossi, qui a Summis Pontificibus Clemente XII et Benedicto XIV, Concanonicis S. Mariae in Cosmedin de Urbe plaudentibus, altissime commendatus fuit dum ab iisdem deprecabatur sibi concedi ut confessionibus excipiendis tempore divini officii vacaret ne, percommoda occasione praeterlapsa, poenitentes sacramentale lavacrum negligerent. Ex hisce omnibus concludunt, « che gli Emi componenti la S. Congregazione

« del Concilio, tenendo presente l'anzidetto si piacciano « decretare nell'alta loro sapienza di annullare la dispo- « sizione del Vescovo almeno in quella parte, che deter- « mina la sospensione *a divinis*, eccettuando non solo il Cian- « tro, come unico Parroco oggi, ed il Canonico Peniten- « ziere *prout de iure*, ma benanco il Canonico Turnario; « e che la inibizione di confessare a tempo della recita « delle ore canoniche sia generale, abbracciando anche la « Chiesa collegiata di S. Pietro, e non per la sola Catte- « drale, a norma del disposto del Concilio di Trento. E « ciò tutte volte che non stimassero opportune le retro- « dette deduzioni ».

Mandatum a se emissum ex sua parte Episcopus propugnans, id omne in sua informatione exponit, quod in diversis colloquiis cum Cantore Parocho Canonicorum partem protuente opposuerat. Ac primo quidem de indocilitate eorumdem Canonicorum queritur, eo quod duos integros annos transegerint exhortationibus illius obsequium promittendo, et numquam praestando. Inaniter autem illos ad evitandam suspensionem invocare inquit conciliarem dispositionem, quae absentes a choro una distributionum privatione mulctat; quoniam poena suspensionis potest ab Ordinario imponi etiam ob culpam levem, hoc nempe adiiciens: « bisogna tener presente fra le generiche distin- « zioni della pena, quella della pena ordinaria ed estraor- « dinaria ossia arbitraria, a mente sempre del diritto. « Che oltre del Principe supremo, anche il giudice infe- « riore può accrescere e diminuire le pene dal diritto « stabilite per i casi particolari, quando occorrono delle « speciali circostanze, che muovono il costui prudente ar- « bitrio a farlo, e fra tante circostanze enumerasi la con- « suetudine a delinquere. Che pel caso nostro, a trala- « sciare altre autorità basta allegare Benedetto XIV nella « sua istituzione 107 §. VI n. 38, ovvero meglio al no- « stro intento il §. VII n. 44 ».

Nec validius subsidium eisdem praestare subdit testamentariam institutoris Messina praescriptionem ab erectionis Collegiatae Bulla obfirmatam qua Canonicis adiungitur onus fidelium confessiones audiendi; quandoquidem testator « disponendo, che – ognuno dei suoi « Canonici – sia obbligato ogni giorno recitare e cantare « il divino officio nel coro – e poi senza almeno aver

« posto in mezzo qualche particella disgiuntiva prose-
« gue a dire – confessare, assistere nelle messe cantate
« quotidiane – è chiaro che dava il peso ai suoi Canonici
« di doversi occupare in tutte cotali parti e però in di-
« verse ore. Riguardo poi alla Bolla del 1. Marzo 1736
« di erezione della Collegiata, quantunque facendomi de-
« ferente al semplice asserto, voglia darmi a credere es-
« ser vero di trovarsi in essa quanto mi viene assicurato,
« tuttavia è giocoforza dire che essa non è più di alcun
« valore, perchè riguarda una collegiata di già soppressa
« ed estinta: doversi piuttosto tener presente quanto si
« dice nella Bolla di erezione della Cattedrale, unico do-
« cumento che adesso ha importanza ».

Minus etiam Canonicorum partem coadiuvari contendit a Bulla erectionis Cathedralis per ea verba « *cum iisdem prorsus oneribus primitus adnexis* » quibus obligatio audiendi fidelium confessiones obfirmatur, ex sequentibus rationibus « giacchè 1. parla delle due Dignità aventi al-
« lora ambidue quella cura di anime che posteriormente
« a dimanda del mio antecessore Monsig. Ciccolo venne
« dalla S. Sede concentrata nella sola prima Dignità. Quan-
« to poi alla seconda parte non so capacitarmi come
« la mente del Sommo Pontefice ad altro non riferivasi
« se non se alla testamentaria disposizione di Pietro Mes-
« sina, e alla Bolla di fondazione della Collegiata; poichè
« è palese che in questa seconda parte del tratto citato non
« parlasi solamente degli otto Canonici fondati da Pietro
« Messina, ma sì bene di tutte le venti canonicali Prebende
« e dei loro venti prebendati – *ipsamet viginti canonica-*
« *les praebendae* – 2. Le parole adunque – *cum iisdem*
« *prorsus oneribus primitus adnexis* – si riferiscono alle
« venti canonicali prebende anzidette, e però doversi in-
« terpretare degli oneri che, oltre della recita dell'officio
« divino in coro, ciascuna prebenda avea avuto annessi
« dal proprio fondatore – 3. Quantunque vogliasi per ipo-
« tesi concedere che questo tratto sia riferibile alle sole
« otto prebende fondate da Pietro Messina, neppure ne
« segue quanto si pretende inferirne, in forza del testa-
« mento di costui, posciachè, avanti ho detto, se da lui
« fu ingiunto ai suoi otto Canonici di dover ogni giorno
« confessare, non lo fu pel tempo del coro, anzi ciò ven-
« ne da lui proibito, perchè inoltre comanda ad essi di

« dover ogni giorno ancora esser presenti in coro sia per
« la recita della salmodia, sia per l'assistenza alle altre
« sacre funzioni; nè in forza della Bolla del 1 Marzo 1737
« di erezione della collegiata che ci figuriamo aver peso
« e dire quanto si asserisce, perchè le parole – *cum iisdem*
« *prorsus oneribus primitus adnexis* – non si confanno a
« quello che a prò dei ripetuti otto Canonici vuolsi so-
« stenere.

« E di vero, l'esenzione dal coro per ascoltare le con-
« fessioni e per qualunque fine, senza venir soggetto
« alla pena ordinaria della fatta, non è certamente un do-
« vere, un peso, un onere, ma piuttosto una grazia, un
« favore, un privilegio – 4. Ma immaginiamo per altro e
« supponiamo che tal favore, tal privilegio sia stato ac-
« cordato dalla ripetuta Bolla di erezione della Collegiata:
« che perciò? Io tengo per fermo che più esso non esista,
« non solo pel fatto di essere stata soppressa tal collegiata
« ed essere risorta con nuova natura di Capitolo della Cat-
« tedrale, non solo perchè di tal privilegio nessuna men-
« zione si fa nella Bolla del 31 Maggio 1844 per cui co-
« stituivasi la Diocesi e formavasi il Capitolo della Cat-
« tedrale, ma ancora perchè in questa Bolla alquanto prima
« delle parole allegate e delle quali faccio disamina, sta
« scritto: – Deinde cum ex causis superius adductis omnino
« praestet memoratam S. Laurentii Ecclesiam Collegiatam
« ad Cathedralis honorem attollere, cumque ad hoc ne-
« cesse sit ut collegialis Titulus antea supprimatur, idcir-
« co eidem Templo S. Laurentii nec non ipsius Capitulo
« collegialem Titulum demimus atque in perpetuum abo-
« lemus cum omnibus siquidem favoribus, gratiis, prae-
« rogativis, privilegiis hucusque impetratis vel legitime
« quaesitis adhibitisque – 5. finalmente: dopo l'infausta
« legge governativa di soppressione delle corporazioni ec-
« clesiastiche essendo stati conservati nelle sole Cattedrali
« appena dodici Canonicati, e fra questo numero nella no-
« stra Cattedrale trovandosi gli otto fondati da Pietro Mes-
« sina, ancorchè costoro avessero avuto il privilegio di po-
« ter confessare nel tempo del coro senza perdere la rata
« delle distribuzioni, si dovrebbe ora togliere dall'Auto-
« rità competente, perchè divisi nei confessionali gli otto
« Canonici suddetti, pel coro non rimarrebbero che sola-
« mente quattro: poi è naturale il supporre l'assenza di

« alcuno di questi quattro per ragione di malattia, o di « vecchiaia, o di affari, o di regolare villeggiatura o per « morte avvenuta, siccome l'esperienza quotidianamente « ci addimostra ; quindi si correrebbe il certo rischio « di trovarsi in coro solamente tre, due, un Canonico come « pur troppo è avvenuto. » Ad illud praeterea quod respicit observantiam, quam a nullo ex antecessoribus Episcopia affirmant contradictam, ita Praesul respondet: « Si dice « in essa supplica che i miei antecessori abbiano opinato « diversamente da me. Ma come mai di ciò nè dal Ciantro nè da altro Canonico a me non si mostrò documento, nè si fece verbo di sorta? Se questo fosse stato vero, « certamente mi si sarebbe significato anzitutto. Conciossiachè è pur risaputo che l'autorità degli Antecessori « viene anzi tratto presentata ai successori Prelati quando « dai Canonici non si vuol smettere qualche pratica per « lo innanzi usata. – Ma poi a che varrebbe l'aver opinato diversamente da me i miei due Predecessori, (il « che non credo), se trattasi di cosa che dal Diritto indubitabilmente vien proibita, nè si addimostra per privilegio concessa? »

Obiectae denique fidelium commoditati occurrens haec refert: « In una Città eminentemente mercantile quale si « è Trapani, epperò ove il traffico, la moltitudine dei forastieri, dei soldati, degl'impiegati tengono dissipati gli « animi a segno che non tutti gli uomini di qualunque « mestiere (e con amarezza dell'animo mio debbo dirlo « della classe agiata e degl'impiegati quasi nessuno) fanno la confessione almeno la sola Pasqua, ove un assai « mediocre numero di donne, massime nella Parrocchia « della Cattedrale, usano di tal Sacramento in qualche festa principale dell'anno, ove sparutissimo si è, massime « in tal Parrocchia, il numero di quelle pie che la frequentano settimanalmente, si osa asserire che bisogna « quotidianamente tralasciarsi il coro fosse da un sol Canonico per ascoltar confessioni, perchè tutto il resto delle « ore del giorno ne sono insufficienti e sino al segno che « molti non si sono confessati con grande scapito di loro coscienza ! – Piaccia al buon Dio mandare tanta copiosa « misericordia quanta se ne vorrebbe far credere ! ma al « presente se non si ha nei paesi delle montagne, molto « meno possiamo ritrovarla in quelli della marina massime quando han porto, e stanno a capo di Provincia. »

Utriusque partis deductionibus sic expressis, praestat modo aliquid adiungere, quod ad rem magis conferre videtur. Utcumque Canonici querelam in invalidatione poenae suspensionis ad minus cohibuerint, cum tamen causa absentiae a Choro pro excipiendis confessionibus, non ex arbitrio sed ex obligatione Canonicis *Messinensibus* a testatore imposita derivetur, hinc potius de bono iure, quam de poena inquirendum esse videtur. Quod obligatio audiendi confessiones imposita sit hisce Canonicis nullatenus videtur posse dubitari, quum manifesta sit voluntas testatoris « voglio che ognuno dei detti Canonici sia tenuto « ed obbligato ogni giorno recitare e cantare il divino of« ficio. . . . *confessare,* assistere alle messe cantate quoti« diane ed alle funzioni ordinarie ». Quod tamen huic obligationi, *confessare,* tempore divini officii satisfaciendum esse intenderit, hoc profecto penitus alienum tum a lege canonica tum ab ipsa testatoris voluntate videtur.

Est enim omnibus explorata Sacrorum Canonum, nec non Tridentini Concilii dispositio, qua Canonici amissione distributionum quotidianarum mulctantur ob absentiam a choro *sess. 24 cap. 12 de reform.* « *distributiones vero qui statis horis interfuerint recipiant; reliqui quavis collusione aut remissione exclusa, his careant* »; adeo ut uni Poenitentiario concessa sit facultas ut ceu praesens in choro retineatur dum in confessionario sedet; *sess. 24 cap. 8 de reform.* « *dum confessiones in Ecclesia audiet, interim praesens in choro censeatur* »; unde facile infertur, quod aliis Canonicis id non permittitur, quemadmodum definivit S. O. in *Romana Servitii Chori* 23 Decembris 1690 in causa Capituli S. Mariae in Cosmedin de Urbe. Leges sunt istiusmodi, quae publicum ac generalem ordinem in disciplina Ecclesiae constitüunt dum naturam et essentiam officii Canonicorum determinant; adeo ut si exceptio dari posset, uti data iam supra enunciatur a Sum. Pontificibus Clemente XII et Benedicto XIV in persona B. Ioannis Baptistae De-Rossi, nonnisi quam specialem individui casum afficeret; numquam vero omnes et singulos Canonicos, seu universum Canonicorum coetum. Quaecumque concipi valeat institutoris voluntas in erectione collegiatae et Canonicorum eiusdem, haud umquam admitti potest, quod fundamentalem hanc legem, nimirum, quod Canonici debeant psallere in Choro, conventualem canere missam, aliisque huiusmodi officiis defungi, subvertere intenderit, quia

legis ipsius, ac propriae creationis et institutionis subverteret obiectum.

Atque hoc examussim in facto accideret, si admitteretur, quod testator Messina Canonicos ab ipso erigendos ad confessiones audiendas etiam tempore divini officii non minus quam ad psallendum in choro indiscriminatim obligare voluisset, quoniam dum unusquisque Canonicus huic obligationi satisfacere percenseret, ac respective facultatem sibi per testatorem concessam exercere arbitraretur, perfacile a Choro unus post alium abiret, ac divina psalmodia, in qua Canonicorum consistit officium, penitus conticesceret, id quod nullatenus admitti posse videtur, cum in arbitrio Canonicorum remitteret institutionem ipsam funditus pessumdare. Hoc igitur ex Messinae fundatione erui posse videtur, quod Canonici debeant facultatem audiendi fidelium confessionem obtinere; eiusmodi autem exercitio perinde incumbere pro necessitate quidem fidelium, sed quatenus verum ac proprium Canonicorum officium divinae psalmodiae vacandi non intermittant.

Nec iisdem Canonicis suffragari videtur observantia seu consuetudo, quam ab erectione viguisse affirmant; praeter enim quam quod ex responsione ab Episcopo huic obiectioni data consuetudo istiusmodi non probatur, neque etiam esset sustinenda, prouti tradit *Passerini ad cap. Consuetudinem De Cleric. non resident.* 6 *reg.* 10 *n.* 163 « praecisa deputatione vel legitimi Superioris licentia con« suetudine introduci non potest, ut Canonici non inter« essentes Choro causa celebrandi Missas privatas, lucren« tur distributiones; nam causa excitandi Canonicos ad « frequentem celebrationem cum praeiudicio obligationis « ad chorum nec est rationabilis, nec nova causa et spe« cialis, sed generalis et praevisa a iure et reprobata ex « eo quod tantum tres aliae fuerunt approbatae; *et idem « dicendum de absentibus causa confessionum audiendarum* » atque huic sententiae adhaerent *Fagnanus in cap. Licet De praebend. num.* 118, *et Bened. XIV Instit.* 107 *n.* 76.

Quo autem planior ex exemplis S. H. O. reddatur controversiae definitio, opportune succurrit iudicium ab eodem S. O. prolatum in *Agrigentina Distributionum diei 1 Aprilis* 1876, in qua ex Episcopi relatione constabat, in Capitulo illius Agrigentinae Ecclesiae consuetudinem

viguisse, ut Canonici post *Capitulum ad Laudes* et *ad Vesperas* confessiones fidelium audirent, quin gravem chorali psalmodiae detrimentum redundaret, quum Canonici et Mansionarii non minus essent sexaginta, et cura habitualis animarum in Capitulo resideret. Propositis in S. Congregatione hisce dubiis: *I. An et quomodo ad effectum lucrandi distributiones sustineatur consuetudo celebrandi Missas tam in Ecclesia quam in Sacello tempore Divinorum Officiorum in casu? II. An et quomodo ad effectum lucrandi distributiones sustineatur consuetudo excipiendi Sacramentales Confessiones tempore Divinorum Officiorum in casu?* isthoc ad utrumque Dubium redditum est responsum: « Ad I « et II *Consuetudinem non sustineri*. Attentis tamen pecu- « liaribus circumstantiis normam ab Episcopo de consensu « Capituli propositam admitti posse, addito de licentia « Praefecti chori; et Episcopus curet, ne ante et post cho- « rum desint Missae ».

In eo veruntamen quod respicit Episcopi mandatum suspensionis contravenientibus inflictae, tametsi ex conspicuae notae DD. retineri possit, etiam ob levem culpam suspensionem esse efficacem, teste *Schmalzgrueb. tom.* 5 *part. II tit.* 39 *n.* 59, nihilominus in praesenti quaestione forsan exorbitans videri potest, ac idcirco temperanda. In duorum quippe annorum effluxu, in quo inter Episcopum et Canonicos pertractatum est de hac disciplina chorali reintegranda, numquam Canonici subiecti sunt punctaturae, atque utcumque Episcopus obligare potuisset punctatores, ut absentes mulctarent ad normam conciliaris decreti « *distributiones vero, qui statis horis interfuerint, recipiant: reliqui, quavis collusione aut remissione exclusa his careant,* » hoc tamen praeterhabito remedio, progressus est ad suspensionem. Magis quidem consentaneum iuri fuisse videtur, quod punctatores huic poenae submitteret ut per mulctam a iure praestitutam ordinarium experiretur remedium, quam illam imponeret Canonicis, qui tum fundatoris dispositioni tum consuetudini, ceu reputant, innixi, in quasi possessione iuris esse arbitrantur, imo etiam propriae obligationi satisfacere autumant confessiones fidelium etiam perdurante divino officio excipiendo. Non enim irrationabilis sub hoc respectu censeri potest Canonicorum querela, quod graviori poena sint ipsi mulctati dum sacro ministerio vacant, prae illis Canonicis

qui a choro abessent, ut in plateis et vicis vagentur. Et siquidem privationem distributionum minus proficere expertus esset, tunc nihil obstitisset, quominus ad graviorem suspensionis poenam procederet.

Hisce perpensis, exploratae sapientiae EE. VV. nunc erit infrascriptum enodare

DUBIUM

An et quomodo sustineatur poena privationis distributionum choralium et suspensionis in casu?

Affirmative quoad privationem distributionum tantum.

MAZARIEN. CONTRIBUTIONIS ONERUM. = Roganti mihi in Congregatione diei 14 Decembris 1878 I. *An et quomodo sit locus contributioni onerum missarum, necnon pensionis uncearum* 50 *et emolumenti Procuratoris ad exigendum in casu;* II. *An et quomodo reddendae sint rationes pro summis inexigibilibus, ita ut sit locus solutioni in casu;* III. *An sit locus contributioni, seu potius restitutioni favore Canonicorum praebendatorum* del 10 *necnon* del 4 per cento *in casu;* EE. VV. respondere censuerunt: *Ad I. Quoad onera Missarum et pensionem negative, quo vero ad emolumentum Procuratoris affirmative. Ad* II. *Provisum per cessionem diei* 10 *Aprilis* 1877. *Ad* III. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, salvo tamen favore Archidiaconi iure ad tramites decreti* Cum nuperrimis *coram quo et quatenus de iure.* *Sess. 24 cap. 12 de Reform.*

Obtento infra iuris terminos novae audientiae beneficio, Procurator Archidiaconi Ingianni aliam exhibuit petitionem, quam in anteacta discussione acriter propugnaverat, idest « affinchè piaccia alla S. Congregazione « decretare, che la pensione » (quae nunc persolvitur octo Canonicis in quantitate 50 uncearum monetae siculae) « sia ridotta alla sua giusta quantità di oncie 40, com'è « stabilito dalla Bolla pontificia », deleto nimirum aug-

mento decem uncearum, quod Episcopus Papè suo marte pensioni eidem superaddidit.

Dum adhuc super hac petitione actus essent complendi, instetit Canonicorum Defensor pro repropositione causae. Ex quo ob novam petitionem haud remorandum videretur iudicium, instantiis Patroni Canonicorum annuere duxi.

Verum quum Ingianni defensor de imminenti discussione fuisset admonitus, Collegam exoravit pro dilatione ut defensionem pararet. Renuente Canonicorum patrono idipsum nunc implorat ab humanitate EE. VV. Atque hoc obsecrat ob duplicem rationem; primo quia quum nova petitio intimam habeat connexionem cum iudicio *contributionis onerum*, praesertim ex discussione *Tertii Dubii*, hinc una sine alia definiri non potest; secundo, quia quum ad curandam filiae valetudinem in balneis Antii commorari coactus sit, pro inexpectata discussione haud valuit se parare.

Defensor vero Capituli Mazarien. pro confirmatione urget trium Rescriptorum cum unico additamento quoad II Dubium circa redditionem rationum summarum inexigibilium. Hoc porro praecipuum fere esse dicit contentionum caput inter Archidiaconum atque Canonicos, cum semper Archidiaconus, ut se liberet a solutione, dicere semper posset non exegisse.

Fortius vero Archidiaconum in redditione rationum summas inexactas repraesentare, cum aliqua saltem cautione, opus habere subdit, quia ex nupero documento Ratiocinatoris Capituli miserrima est Canonicorum actualis conditio. Quandoquidem super annuo redditu efformato a duobus cumulis, legatorum scilicet et distributionum, libero ab omnibus oneribus, in libellis 2431, ipsum Demanio Status adhuc debet libellas 23, 720. 57, pro qua summa iam incoepta sunt acta iudicialia. Quod idem est ac dicere Capitulum per plures annos omni prorsus suo redditu privatum iri.

Cui accedit, quod, duodecim tantum a Gubernio modo agnitis Canonicis, quorum Demanium primo sibi addixit reliquas praebendas et hodie ratas quoque distributionum Choralium, quinque circiter asses in singulos dies eisdem Canonicis modo reliqui sunt, pro interventu ad divinam psalmodiam. In Archidiaconi ergo arbitrio esse non debet, cum quandoque non exigat vel ex oscitantia, vel ex favore erga aliquos debitores, pusillam pecuniam statis temporibus

iis differre, vel quinque etiam asses reducere ad duos vel tres tantum in diem. Debitor enim qui illico non solvit, potest etiam, nisi illico excutiatur, fieri impar praestationibus praeteritis atque praesentibus.

Merito itaque de consensu partium, ne ulla amplius super hoc titulo inter Archidiaconum pro tempore et Capitulum lis esse posset, *genericum* initio causae concinnatum est dubium « *An et quomodo reddendae sint rationes pro summis inexigibilibus, ita ut sit locus solutioni in casu* » cui satisfactum Orator non censet per S. O. Rescriptum: « *Provisum per cessionem diei* 10 *Aprilis* 1877 ». Opus namque non fuerat S. Ordinem decernere esse exequendam cessionem nonnullorum nominum communi placito factam pro hoc quoque titulo sub die 10 Aprilis 1877 inter Archidiaconum atque Capitulum circa summas praeterito tempore ab Archidiacono debitas quae in controversiam nullo modo deducebantur.

Cum itaque certa aliqua norma pro liberatione Archidiaconi ab inexactis constitui in *futurum* modo oporteat, censet Orator, salva alia opportuniori quae S. Ordini videbitur, cautione, posse decerni, quod passim obtinet in iudiciis civilibus relate ad tutores, curatores et omnes in genere Administratores. Hi quippe plene ab inexactis liberantur, si tempore redditionis rationis nedum protulerint sententiae condemnationis contra debitores statis solutionum temporibus, sed *Verbalia,* uti aiunt, « *di carenza* » tentatae incassum per publicum apparitorem solutionis, quia scilicet nil est in mobilibus atque stabilibus debitoris utiliter excutiendum.

Praestare ergo, Orator subdit, si persisti velit in praeterito Rescripto, circa summas decursas, de quibus non est quaestio, « *Provisum per cessionem diei* 10 *Aprilis* 1877 », eidem modo addi: « *in reliquis reddendas esse rationes summarum inexigibilium per mandata iudiciaria, alias Archidiaconum teneri de inexactis, et Amplius* ».

Hinc videant EE. VV. pro assueta sapientia quid sit respondendum ad sequentia

DUBIA

I. *An sit standum vel recedendum a decisis in primo dubio in casu.*

II. *An sit standum vel recedendum a decisis in secundo dubio in casu.*

III. *An sit standum vel recedendum a decisis in tertio dubio in casu.*

Dilata ad primam post aquas.

Sess. 21 cap. 6
Sess. 24 cap. 12
de Reform.

PINNEN. ARCHIPRESBYTERATUS ET CURAE ANIMARUM. = Controversia isthaec primum proposita fuit in generalibus comitiis diei 26 Ianuarii 1878 sub dubiis: « I. *An constet de validitate collationis et possessionis paroeciae S. Angeli favore Sacerdotis Angeli Calvi, ita ut ius habeat standi in iudicio in casu.* – Et quatenus Affirmative: – II. *An sit locus remotioni Sacerdotis Calvi a praedicta paroecia in vim processus summarii a Curia confecti, seu potius sint examinandi testes a Parocho inducti in casu.* – III. *An cura actualis animarum resideat penes omnes Canonicos, vel penes Archipresbyterum tantum in casu.* – IV. *An et a quo cultus expensae sustinendae sint in casu.* »

Verumtamen EE. VV. antequam sapienti oraculo excitatam diluerent quaestionem, tunc mihi mandarunt informationes exquirere ab Archiepiscopo Aquilano edito rescripto; « *Dilata et exquirantur informationes ab Archiepiscopo Aquilano.* » Quibus habitis cum causa sub mox recitatis dubiis iterum proposita fuisset in Congregatione diei 25 Ianuarii labentis anni, sequenti fuit dimissa responso « *Ad I. Affirmative: sed ad cautelam consulendum SSmo pro sanatione ac revalidatione, imposita tamen Sacerdoti Calvi obligatione obtinendi Apostolicas Litteras collationis infra duos menses –. Ad II. Negative in omnibus –. Ad III. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam; Canonicos autem ius habere et obligationem Archipresbyterum coadiuvandi in cura animarum. – Ad IV. Affirmative ab Archipresbytero et Canonicis pro rata et ad mentem. Mens est quod scribatur Episcopo Coadiutori, ut, praeviis exercitiis spiritualibus peragendis ab Archipresbytero et Canonicis, curet eosdem ad reconciliationem et concordiam perducere.* »

Huiusmodi rescriptum aegre tulerunt Canonici, eapropter infra iuris terminos novae audientiae beneficium expostularunt, obtinueruntque de more, quin tamen aliquid novi usque adhuc mihi exhibere curaverint. Quapropter ad instantiam Procuratoris Calvi causa hodie mane iterum disceptanda proponitur; ideoque enixe rogo EE. PP., ut iis omnibus benigne resumptis pro praesenti controversia in memoratis Congregationibus distributis, sequentia dignentur enodare

DUBIA

I. *An sit standum vel recedendum a decisis in primo dubio in casu.*

II. *An sit standum vel recedendum a decisis in secundo dubio in casu.*

III. *An sit standum vel recedendum a decisis in tertio dubio in casu.*

IV. *An sit standum vel recedendum a decisis in quarto dubio in casu.*

Ad I. II. III. et IV. In decisis et amplius.

Die Sabbati 23 Augusti 1879 in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua praeter alia proponentur infrascripta Dubia, iuxta morem eiusdem Sacrae Congregationis de iure resolvenda.

—

BONONIEN. RESTITUTIONIS ECCLESIAE. = Hoc ineunte aevo, non secus ac in praesens, Italae regiones vi aggressae multa et gravia mala expertae fuerunt. Religiosorum familiae oppressae, matris Ecclesiae iura ab ingratis filiis undequaque pessumdata et eversa, ipsius bona publicata templis non exceptis, quae a demanio, ut aiunt, divendita in prophanos usus temerario prorsus ausu commutata fuere. Iniquarum legum vi succubuit et ipsa Ecclesia Ss. Cosmae et Damiano dicata, quae ab octo iam saeculis Bononiae cultui patebat, quaeque anno 1806 in publicam officinam, ut aiunt, *di rigattiere* conversa fuit. *Sess. 21 cap. 7 de Reform.*

Ipsam in posterum anno nempe 1808 a nobili viro Camillo Zambeccario coemptam fuisse constat, utrum autem mediate vel immediate ab ipso demanio, ignoratur. Illud unum certum est, quod, licet in votis tum emptoris tum ipsius progeniei fuerit eamdem rursus divino cultui addicendi, clausa tamen permansit ad annum usque 1828. Quo labente Sodales a suffragio dicti, qui in parva S. Agathae Ecclesia suos lares habebant, Marchionis Iacobi Zambeccari propositum de restituenda Ecclesia divino cultui noscentes, eumdem adiverunt benigne expostulantes pro Sodalitio ipsiusmet usus concessionem, et voti compotes facti fuerunt. Quandoquidem inita inter contrahentes conventione episcopale decretum provocarunt ad hoc ut, appositis conditionibus ab auctoritate ecclesiastica probatis, publicum rogari posset instrumentum « *che formerà base del.... rogito di concessione* ».

Pio huic negocio ultro suum praebuit Praesul assensum, atque sub die 2 Iunii 1828 decretum edidit, in quo statutas inter partes conventiones confirmavit « salvo ta-
« men ac in perpetuum conservato iurepatronatus eius-

« dem Ecclesiae favore . . . Zambeccari eiusque successorum, cui quidem per concessionem dictae Ecclesiae « ad usum praefatae Congregationis nullum praeiudicium « inferri posse edicimus ».

Rogatum subinde fuit instrumentum sub die 8 insequentis Octobris, in quo perlegere datum est: « Il Signor « Marchese Giacomo Zambeccari . . . per se stesso e di « lui successori gratuitamente concede e sotto peraltro l'a« dempimento delle infrascritte condizioni . . . il pieno « uso e libero religioso godimento della summentovata « Chiesa . . . coll'annessa piccola Sacristia: uso che vie« ne così come sopra concesso e rispettivamente accettato « con tutte le necessarie adattabili clausole da aversi qui « per estese a termini di diritto e per la cui concessio« ne appunto si stabiliscono di reciproco consenso le se« guenti condizioni.

« I Signori Congregati provvederanno la detta Chie« sa . . . di tutto l'occorrente, rifacendo gli altari, cor« redandoli di quadri, candelieri, scaffe, tabernacoli, bian« cherie, e quant'altro sarà occorrente al decoro della « Chiesa e della pia Unione. Provvederanno pure la Sa« grestia di Pianete, Camici, Cotte ed altre Biancherie « pel S. Sacrificio della Messa, non che il Calice e la Pis« side . . . forniranno la Sagrestia degli opportuni arma« di . . . la Chiesa di panche e genuflessorî non meno « di quanto altro sarà necessario al servizio e decoro della « Chiesa . . . La pia Unione . . . si obbliga d'insistere « per l'affitto dell'appartamento nel contiguo locale . . . « in cui dovrà abitare un Sacerdote ». Praescriptum deinde fuit quod memorata Ecclesia; « dovrà solamente in« servire alle funzioni da celebrarsi dalla Pia Congrega« zione predetta, esclusa qualunque pia Unione o Congre« gazione: così a tenore egualmente dell'espressa volontà « del medesimo Signor Proprietario e del contenuto nello « stesso superiore decreto rimane inibito in perpetuo alla « suddetta Congregazione dei suffraganti di erigere Cam« panile per la stessa Chiesa, ed anche in altro modo di « collocare campane ».

Item statutum ne eadem Ecclesia in parochialem institui posset nec in Parochialis subsidium converti. Ulterius sodales spoponderunt quotannis in honorem Ss. Martyrum celebrandi *una piccola festa*, atque obligationem

suscepere missam celebrare faciendi in omnibus diebus festis de praecepto, et feria sexta cuiuslibet hebdomadae hora decima cum dimidio ante meridiem. Atque adnotato Marchionis expensis Ecclesiam restauratam fuisse « *per ciò che concerne l'opera muraria, l'imbiancatura, il restauro dei dipinti ed altro* » cautum fuit « che d'ora in poi qualunque opera muraria ed altro che occorresse nella suddetta Chiesa e Sacrestia per la loro decente manutenzione (esclusa soltanto la manutenzione del vôlto e delle pareti) stia a carico della Congregazione, la quale però non potrà mai fare tali opere senza l'espresso assenso del sullodato Signor Marchese Proprietario o dei suoi successori; il quale assenso pure si dovrà ottenere eziandio in rapporto ai dipinti della Chiesa, i quali ancora dovrannosi mantenere dalla Congregazione ».

Quod si pia suffragantium unio a promissis deficeret, vel novitates inducere vellet « contrarie al contenuto nel presente istromento, sia e rimanga in qualunque tempo e in ognuno di tali casi, in piena facoltà del sullodato Signor Marchese o de' di lui successori nella proprietà della Chiesa summentovata, di congedare ed escludere dall'uso della medesima l'unione contravventrice, facendo ancora nuovamente chiudere qualora così gli aggradi la medesima Chiesa; nell'interno della quale, e precisamente sopra la Cantoria in luogo visibile, verrà quanto prima e dovrà poi sempre rimanere impressa a caratteri neri sul muro la seguente iscrizione latina: – *In honorem etc. auctoritate Karoli Opizzoni Card. Archiepiscopi etc. Iacobus Zambeccarius etc. templum ante an. XX temporum acerbitate publicatum, quod pater eius pretio redemerat ex iurepatronatus instauravit ac restituit* ».

Triginta septem annorum spatio usque ad concedentis obitum et aliquando etiam post omnia concorditer acta sunt, cum paullo ante Marchionis fatum sodales commoveri coeperunt eo quia Bononienses decuriones de via amplianda agebant, proptereaque Ss. Cosmae et Damiani Ecclesia in parte evertenda foret. Trepidantes bono animo iussit esse Zambeccarius asserens se aliud templum vetusto splendidius esse aedificaturum. Quam sponsionem, Camillo vita functo, unica superstes et haeres uxor Marchionissa Marianna Politi renovavit, quae in exequenda praedefuncti coniugis voluntate, memoratae Congregationi

lypsanothecam, in qua Ss. Martyrum Cosmae et Damiani reliquiae asservabantur, dono dedit una scribens: « Nulla « ometterò per seguire le traccie di quello che me volle « a rappresentarlo, confidata nella cooperazione della be- « nemerita e zelante Congregazione ». Exinde Sodales grati animi ergo, eamdem tamquam patronam, Congregationis directricem nominarunt.

Interea manum operi admovendam esse ferebatur de Ecclesiae et vicinarum aedium demolitione, unde sodales iura sua deducere Municipio putabant pro refectione expensarum, quas in aedificii instauratione persolverant, quaeque hodie in libellis 1456 aestimantur. Verum Marchionissa spopondens se rursum Ecclesiam aedificaturam sodales, ceu perhibent testes, a suis iuribus abstinere voluit, ac sibi eorum tutelam committere. Convento igitur de re et pretio inter municipalem auctoritatem et Marchionissam, haec per suos operarios Ecclesiae demolitionem incoepit, dum interea sodalitium in parvo Barnabitarum sacello invenerat perfugium.

Paucis post annis perfecta propemodum erat constructio novae Ecclesiae, quae ex parte surgebat super area veteris, cum ex tempore opera interna novae Ecclesiae intermissa sunt, dimissus est Capellanus veteris Ecclesiae, qui morabatur penes Marchionissam ut esset custos novae, et aedes ipsa conversa est in lapidariam officinam. Exinde cum frustra confratres admovissent Marchionissae preces, Archiepiscopum Bononiensem adiverunt qui et inutiliter suas adiecit suasiones. Quandoquidem modo aiebat se de rebus suis arbitram esse, modo se Ecclesiam pio Instituto destinare ad exequendam viri sui voluntatem. Et licet se paratos esse spoponderint sodales pacifice vivere cum praefato Instituto, atque ad hoc ecclesiasticae auctoritatis approbationem reportare, attamen Marchionissa quae aliquando cedere visa est in sua tandem sententia permansit. Quamobrem cum nulla effulgeret compositionis spes Sodales S. V. O. suppliciter adiverunt enixe efflagitantes « qualora..... una « conciliazione non potesse aver luogo supplicano . . . . « a dichiarare se alla Marchesa tocchi l'obbligo di com- « piere quella Chiesa e di cedere l'uso ai suffraganti giu- « sta l'antica convenzione ».

Oblatum hunc libellum die 11 Septembris 1877 Eñio Archiepiscopo Bononiensi remisi pro informatione et voto,

auditis interesse habentibus. Qui S. H. C. imperata faciens postquam votum Consultoris ad hoc elaboratum transmisit, (in quo Marchionissae et ius proprietatis, et patronatus denegatur, eidemque et Ecclesiam perficiendi et sodales reintegrandi onus imponitur) sui animi sensum aperiens ait: « censeo E. V. subdere votum, quod mihi de-
« tulit alter ex Iureconsultis Congregationis Consultoriae
« in hac Archiepiscopali Curia institutae. Cuius demon-
« strationi tametsi non eadem ratione arbitrer assentiri,
« qua conclusionibus (ne invidia impetere videar Nobiliss.
« et Pientissimam Matronam, de qua agitur) ipsae tamen
« conclusiones mihi probandae et omnino confirmandae
« videntur ».

Quibus acceptis atque actis de more completis, concordatisque inter contendentium patronos dubiis, quae in huius libelli calce perleguntur causae discussionem ad hodierna Comitia amandavi; et nunc pro meo officio rationum momenta, quae in exhibitis allegationibus scorsim distribuendis exponuntur, summatim referam.

Contendit in primis Sodalitii defensor quod nec marchionissa ipsa inficiari potest Zambeccariam gentem ex obligatione suscepta usum Ecclesiae Sodalitio tradere ac servare debere. Sed erroneum quod illa usurpat iuris fundamentum ostendit. Ait enim mulier collapsis aedibus usum pariter atque usumfructum evanescere, neque illos, etsi dominus fundum restituat, unquam reviviscere. Sed ei dominium nullo modo spectare defensor affirmat: quod serius demonstrandum sibi ait. Mox dato etiam sed non concesso, dominii iure, quid inde sequatur inquirit.

Ex iure inficiatur in primis quod marchionissa contendit: nam praedio intereunte, ususfructus non interit, si unus tantum lapis ex vetere aedificio supersit: auctoribus « *Iavoleno in fr.* 53 *ff. de usufructu*, ac *Voet ad Pand. lib.* 7 *tit.* 4 *num.* 8. » Ecclesiam autem sanctorum Martyrum nunquam ex integro deiectam affirmat, prout Bononiensis Curia testatur: ac proinde partem Ecclesiae quae integra extitit, totius soli usumfructum retinuisse.

Quin etiam alia de causa aedes restitutas a servitutis onere nullo modo immunes fieri affirmat, ex iure ipso civili cui nobilis mulier innititur. Ubi enim per partes atque intercepta constructione aedificatio facta sit, utcumque demum omnia nova sint, ususfructus non perimitur, prout animadvertunt *Ulpian. in fr.* 10 §. 1 *ff. quib. mod.*

ususfr. Heinec. ad pand. lib. 7 tit. 4 §. 118: *Cuiacius ad African. tract.* 5 *vol.* 4 *edit. Prati col.* 122: quia partibus commutatis eadem res esse non desinit. Ecclesiae autem partem numquam delctam fuisse ait, ac plurium annorum spatio novam constructionem expletam. Rursus ex iure civili, deiectis etiam ac refectis aedibus, usumfructum manere contendit, dummodo praedium veterem formam ac nomen retinuerit, auctore *Vinnio ad instit. lib.* 2 *tit.* 4 §. 3 *num.* 5: atque eam Ecclesiae partem quae post eversionem superfuit, Ecclesiae nomen ac formam semper in casu retinuisse.

Mox marchionissae argumentum inani ac falso supposito laborare ostendit. Is enim rei interitus, ut usumfructum periisse dicatur, esse debet unde et domini pariter et usufructuarii iura deleantur: quod longe abest *a retractu* sive a necessaria venditione publicae utilitatis causa. Res enim per contractum dirimitur, *sed pretium subrogatur* in parte ablata rei. Ususfructus igitur haud perimitur, sed eius aestimatio in pretio continetur, iuxta tradita per civilem edictionem. *Legge sulle espropriazioni per causa d'utilità pubblica* 25 *Giugno* 1865 *num.* 2359 *art.* 27, 52, 56 quae usufructuario iura omnia sarta tecta praeservat, atque ei non modo actiones in rem (si pars aliqua supersit) sed etiam in pretium addicit, quod dominus accepit.

Iura igitur quae praedio adhaerent non pereunt in coacta venditione ad publicam utilitatem, prout civilia tribunalia tradiderunt, iuxta ephemerides *La Legge repertor. di* 14 *anni* 1861-74 *voc. Espropriazione num.* 39.

Hisce positis, cum de civili iure sibi dimicandum affirmet, ut adversariae morem gerat, quaerit Sodalitii defensor quinam pro usufructuario eversionis effectus esse debuisset, quem apertissime occurrere ait, Marchionissa enim eum in gerendo negotio vocare debuisset ut ex integro pretio areae occupatae ac deletae aedis versuram faceret, ac fructum sibi debitum perciperet. Quod *Tiraquellii* auctoritate confirmat *tract. de utroque retractu tit.* 2 §. 1 *glos.* 16 *num.* 29 atque ipsius *Textus* qui in huiusmodi negociis vocandum usumfructuarium omnino requirit. *L. is qui fundum ff. de usu et usufr. leg.*

Mox marchionissae obiectionibus occurrit quae dicet fortasse sodalitio ius in pretium minime vero in aedem competere, iuxta legis civilis praeceptum « *pronunciata*

l'espropriazione, tutti i diritti anzidetti si possono far valere non più sul fondo spropriato, ma sull'indennità che lo rappresenta ». Sed erroneam in casu affirmationem ait. Ex ipsis enim legis verbis « *pronunciata l'espropriazione* » id apparere contendit ut eiusmodi effectus sequi debeat post, ac propter publicationis decretum quod nunquam adfuit in casu. Atque haec ut evidentius ostendat, quomodo se res gesserit, ex Bononiensis Curiae voto, brevi refert. Prodiit Municipii consultum de via amplianda, ita ut domus et Ecclesia ex parte abscinderentur. Tum marchionissa, negocio clanculum cum Municipio composito, *per se* manum operi admovit, et ipsa, pretio accepto, destructionem perfecit. Sed quae civilis ipsa lex expresse requirit ut omnia rite procederent, omnino defuere. Multa haec sunt de expensis, de existimatione, de actis absolvendis, ac prae caeteris expropriationis decretum « *Il Prefetto . . . pronuncia l'espropriazione ed autorizza l'occupazione dei beni* » *l. cit. art.* 31-48. Unde concludit sodalitium, non servatis ex lege servandis, ac « *non pronunciata l'espropriazione* », iure suo super Ecclesia non decidisse. Neque mirandum ait si hoc a quolibet actu abstinuit, ac iura sua non deduxit: quia marchionissa retinuit, iterata promissione Ecclesiae instaurandae ac tradendae.

Imo ex hac promissione et factis inde sequutis, contractum *do ut facias* cum sodalitio eam inivisse affirmat, quia illa se aedificaturam spopondit: sodalitium vero suis iuribus cessit. Huic igitur actionem *praescriptis verbis* ex iure oriri. Neque poenitentiae vel recessui locum fieri, quod in huiusmodi contractibus, *rebus integris*, conceditur. Altera enim pars quod suum erat fideliter implevit, ut res non amplius integrae dici possunt, prout tradit *Voet ad pand. lib.* 19 *tit.* 5 *num.* 2.

Duo igitur ex gesta inter partes conventione dimanare ait. Primum est quod sodalitium exprobrari non possit, si iura sua in aedificio experiri omiserit: hodie vero rite ac merito experiri, neque deleta fundi parte, usumfructum evanuisse. Alterum vero gravius est, quod, cum pacta servanda sint, ususfructus, licet etiam interiisset, ex pacto tamen de Ecclesia instauranda ac reddenda, dubio procul revixisset.

Neque praetereundam ait adversae intentionis iniquitatem. Marchionissa enim quem oneroso titulo usumfructum sodalitio dederat, usurpat: pretium rei alienae sibi

vindicat: sodales continet oblata redintegrandi promissione, et mox Ecclesiam in lapidariorum officinam convertit, neque adprecanti sodalitio quidquam se concessuram adfirmat.

Sed extra causam huc usque se disseruisse contendit, ut marchionissae argumenta expenderet; ab altioribus vero disciplinis iudicium esse repetendum. Siquidem superbum atque insanum figmentum de meo ac tuo in domo Dei admitti non potest iuxta traditum per *Anonym. apud Ursayam in disc. eccl. to.* 3 *par.* 2 *disc.* 25 *num.* 9 neque privatis unquam dominii ius in Ecclesiam competit, prout Rota definivit in *decis.* 257 *num.* 5 *par.* 14 *Rec.* atque in *decis.* 694 *num.* 8 *par.* 2 *Rec.* Unum igitur ab Episcopis ecclesiarum usum ac iuspatronatum concedi posse ait: dominium vero penes Ecclesiam universalem manere, auctore *S. H. O. apud Richter Canon. et decr. Conc. Trid. Sess.* 21 *de Ref. cap.* 7 *num.* 10.

Vel ipsa civilis auctoritas quae nunc Dei iura contemnit, eiusque templa deiicit, multa tamen de sacris aedibus constituit quae in nullius bonis esse possunt: Quod *Gaii* auctoritate confirmat qui in *fr.* 6 §. 3 *ff. de rer. divis.* haec habet; *Sacrae res et religiosae et sanctae in nullius bonis sunt:* nec non *Papiniani in fr.* 73 *ff. de contr. empt. Pauli in fr.* 43 *ff. de rei vind.* ac *Iustiniani in Instit. lib.* 2 *tit.* 1 §. 7 – ibi – « Nullius autem sunt res sacrae « et religiosae et sanctae: quod enim divini iuris est, id « nullius in bonis est. Sacrae res sunt quae rite per Pon« tifices Deo consecratae sunt, veluti aedes sacrae etc. »

Atqui solo emptionis titulo Ecclesiae dominium sibi marchionissam vindicare ait, iuxta ea quae ab illius auctore Iacobo Zambeccario tradita sunt iis verbis *parieti* inscriptis *templum . . . . temporum acerbitate publicatum quod pater eius pretio redemerat* etc. Sed res nullius neque emi neque vendi posse compertissimum esse tradit.

Nec obiiciendum quod Lotterius vel Deluca de alicuius privati sacelli alienatione mentionem fecerint. Eos enim de concessione per ecclesiasticam auctoritatem factam agere ait, atque ita de alienatione locutos esse, non ut verum ac proprium dominium in adquirentem migraret, sed sola utilitas ad certos usus ac praesertim sepulcri.

Caeterum ne patronatum quidem, licet ius honorificum onerosum atque utile sit, in ecclesias vendi posse nisi per universitatem bonorum: ac fundatorem atque aedifi-

catorem Ecclesiae non dominium sed ius patronatus tantum sibi comparare; dominium enim per Episcopum Ecclesiae universali adquiritur, teste inter multos *Pignatell. consult. canon. to.* 2 *cons.* 30 *num.* 14. Absonum propterea atque absurdum contendit plus iuris emptioni, (etsi licita dici possit), quam fundationi tribuere.

Tametsi, non agi de sacello ait: non de sepulcro vel usu, non de redemptione ecclesiastica auctoritate peracta ad patronatum quaerendum vel usum. Agitur de Ecclesia per licitationem vendita inter laicos, ac de dominio exinde comparato. Atqui semper ab ineunte saeculo ad hanc usque diem quoties de huiusmodi alienationibus disputatum est, toties ecclesiasticam auctoritatem sive in Sacro hoc Ordine, sive in aliis, semper dominii figmentum profligasse adfirmat iuxta tradita in *Spoletana Ecclesiarum* 12 *Septembris* 1829 - *Acta S. Sedis etc. vol.* 5 *pag.* 165 atque ex *Collectanea Emi Card. Bizzarri pag.* 497, *in Romana Alienationis Ecclesiae* 13 *Martii* 1840. Sacra enim Congregatio EE. et RR. licet emptor Ecclesiae semper eam divino cultui addixisset, nihilominus cum dominium testamento legasset, irritum legatum renuntiavit.

Tum aliud exemplum praebet in decisione eiusdem S. Congregationis in causa *Firmana Restitutionis Ecclesiae* 25 *Sept.* 1840, quae in cit. *collectan. pag.* 498 legitur. Emptor enim Ecclesiam in profanos usus destinaverat, quamvis monasterio adnexa esset et pontifex monasterii dominium permisisset; sed Sacra Congregatio publico Dei cultui restitui iussit.

Nec praetereundum ait quod eadem S. Congregatio in simili casu, atque in terminis longe durioribus pronuntiavit. Coenobium cum continenti aedicula sacra, ecclesiastica auctoritate venditum fuerat ea lege ne in sacello divinus cultus intermitteretur. Emptoris successor usum aediculae contulerat in pium sodalitium, sed alter demum singularis successor, iure dominii vel saltem patronatus, coepit sodalitii usum perturbare, atque alienationem licitam sibi propugnare. At Sacra Congregatio illius exceptiones reiecit ac ne ius quidem patronatus ad eum pertinere decrevit. -*Ephemerides* - *Acta S. Sedis* etc. *vol.* 5 *pag.* 161 *seqq.*

Mox quae a marchionissa obiici solent, sibi examinanda proponit. Ait illa primo quod in suo auctore dominium sodalitium agnovit anno 1828 in publicis tabulis de

usus concessione. Secundo quod Bononiensis Archiepiscopi auctoritas accessit qui dominii agnitionem probavit. Archiepiscopum quod attinet, etsi illius auctoritas interfuisset, contendit sodalitii defensor non potuisse eum dominium illud transferre quo ipse non pollebat, cum Ordinarii administratores sint, non domini, nec, absque Pontificis venia, Ecclesiae bona alienare possint, prout aperte traditur in notissima extrav. *Ambitiosae.* Sed Archiepiscopum dominii ius nullo modo agnovisse ait. Conventionem quidem illius decretum sancivit, sed unum patronatus ius integrum manere admisit, prout verba docent « *salvo tamen . . . iure patronatus eiusdem ecclesiae favore praelaudati D. Commendatoris Zambeccari, eiusque successorum* ».

Quod vero ad primam obiectionem, de agnitione ex parte eiusdem Sodalitii, veritati non inniti ait: ipse enim Zambeccarius ius suum in Ecclesia inscribi postulavit « *ex iure patronatus* ». Quidquid vero de agnitione sit, nullius facto vel testimonio adquiri posse, quae in privatorum dominio esse nequeunt.

Nullum igitur dominii ius Zambeccariae genti admittendum adfirmat. Immo vel ipsum ius patronatus oppugnari posse censet. Aedem enim a se recuperatam marchio in inscriptione ait: sed exinde ius patronatus non quaeritur, prout tradit *Gagliardi de iurepatr. to. I cap.* 5 *num.* 48: immo ne sumptus quidem ad instaurationem prodesset, cum ipsa aedificatio ad patronatum quaerendum non valeat sine dotatione. Eum propterea in benefactoribus potius quam in fundatoribus esse recensendum, prout admonet idem *Gagliardi in op. cit. n.* 18 *et* 40.

Attamen ius patronatus a Sodalitio si marchionissae placeat, non invideri ait. Patronus vero Ecclesiae usum Sodalitio concessit: atque ut legitime concederet, Archiepiscopi auctoritatem imploravit. Quaerens propterea quid ageretur in conventione anni 1828, ait ius Sodalitii non tam a patrono quam ab Ordinario emanavisse atque alteri usumfructum, alteri vero ius patronatus adscribi.

Tum animadvertit marchionissam frustra gloriari quod, Ecclesiae parte deleta, Ecclesiam ipsam instauravit, ac frustra pariter aequitatem invocare ne alios sumptus perferre cogatur. Mittit quidem Sodalitii defensor eam pretio per Municipium accepto, atque ideo aere alieno, quod ad usufructuarium pertinebat, aedificasse. Unum respondet quod patronus ad Ecclesiam instaurandam vel restituen-

dam ipso iure adstringitur, vel ad patronatum abdicandum, si recuset, ex *Gagliardi De iure patr. to. 1 ca. 2 num.* 11 ac *Benedicti XIV Inst.* 100.

Eligendum itaque marchionissae inter utrumque proponit. Aut aedificationem undique absolvat, aut iure suo in Ecclesiam decedat, et quidquid Sodalitio debitum sibi addixit in pretio quod percepit, illi rependat. Si abdicandum putet, negotium de Ecclesiae usu inter Emum Archiepiscopum et sodalitium componendum ait. Si vero iura sua conservare velit, instaurationis opus perficiat, quod declinare nequit, teste *Gagliardi op. cit. cap. 2 num.* 11, quod vel luculentius locum sibi vindicare animadvertit Orator, quia Episcopi assensus ad eamdem instaurationem accesserat. Restituta igitur Ecclesia plane sequi in usum ei debitum Sodalitium esse redintegrandum.

Marchionissam denique monet ne in iure civili praesidium quaerat ut ususfructus peremptionem confingat, quae nec saeculari lege nec ratione nec aequitate sustineri valet atque illud Papiniani refert « *summam esse rationem quae pro religione facit (fr. 43 D. 11. 7 de religiosis).* »

Aliter omnino disserit Marchionissae defensor, qui totus in eo est, ut propugnet ad perficiendam Ecclesiae constructionem eamdem nulla obligatione devinci, neque subinde illius usum concedere teneri Piae Congregationi suffragantium. Memoratam siquidem obligationem scatere posse subdit sive ex lege, sive ex pacto, sive ex usus concessione. Iamvero lex sive civilis sive ecclesiastica actorum praetensiones repellere tenet. Lex quidem civilis, quia aedificium illud antequam in Ecclesiam converteretur de anno 1828 iure proprietatis ad Zambeccariam pertinebat gentem, exinde quidquid pretio aestimabile erat in Ecclesia, civilis legis vigore, tamquam res propria praefatae familiae censeri debet. Unde ait quod perbelle huiusmodi quaestionem adversarii caverunt ad civilia tribunalia deferre ob certam instantiae reiectionem. Nec secus dicendum de ecclesiastica lege. Cum enim, ait, ex maioris vis impetu Ecclesia solo aequata fuerit sine ulla Marchionissae culpa, nulla obligatione ipsa adstringi valet ad eiusdem reaedificationem.

Inutiliter autem affirmari posse prosequitur suam clientem teneri ad opus illud ex pacto perficiendum. Siquidem nulla inter Zambeccariam gentem, et pium Sodali-

tium intercessit hac super re conventio, nulla pactio, prouti aperte perhibere tenet concessionis usus instrumentum, et Archiepiscopale decretum, ex quibus de hac pactione neque datur reperire verbum neque volam.

Sed et neque ad usus concessionem recurrendum esse prosequitur Orator, cum ius proprietatis super Ecclesia ad Marchionissam pertineat, et ius utendi, re destructa, cesset. Primum autem ut ostendat, meminit Ecclesiam de anno 1806 redactam iam fuisse « *al misero stato di bottega ad uso rigattiere* », atque a patre Iacobi Zambeccari coemptam de anno 1808. In vim igitur praefati contractus ac subsequutae sanationis a Pontifice Pio VII editae Marchio Zambeccarius memorati fundi dominium acquisivit. Quod adeo verum esse subdit ut, nedum pacifice in eiusdem possessione permanserit ad annum usque 1828, verum etiam eiusdem proprietatis ius et Bononiensis Archiepiscopus recognoverit, quod nec ipsi Sodales diffitentur in pluribus instantiis eidem uti *proprietario* datis. Quod si proprio aere ad priorem formam reduxit Ecclesiam, salvum tamen esse voluit ius proprietatis, ceu aperte perhibet ipsius instrumenti litera cum consodalibus rogati, in quo nedum sibi manere voluit onus quoad « *la manutenzione del volto e delle pareti* », adeo ut ipsi nihil pro Ecclesiae et sacrarii manutentione peragere possent « senza l'espres-
« so assenso del suddetto signor Marchese proprietario o
« de' suoi successori; – verum etiam voluit – che sempre
« ed in qualunque tempo, punto non ostante la presente
« concessione di uso ed anche il più lungo esercizio del
« medesimo nel tempo avvenire, mai s'intende in alcun
« modo pregiudicato dell'anzidetta Chiesa e suoi successori
« l'assoluto diritto di proprietà competentegli; dichiarazio-
« ne e protesta che viene pure rispettivamente ammessa
« ed accettata dagli anzidetti Signori Deputati in nome
« della loro Congregazione ed anche pei successori della
« medesima ».

Modo dicta confirmat innixus decreto ab Archiepiscopo Bononiensi edito anno 1828, quo approbata novae Ecclesiae erectione et gratuita concessione usus piae Confraternitati, conservat *in perpetuum iuspatronatus* favore Commendatoris Zambeccari *eiusque successorum, cui nullum praeiudicium* inferri posset per gratiosam concessionem. Et iure merito, cum ius patronatus super Ecclesia acquirit de iure, sive qui aedificat cum consensu Ordinarii *Cap. Nobis* 25

De iurepatr., sive qui collapsam suis sumptibus restituit teste *Glossa in Cap. Quoniam* 3 *De iurepatr.* Cum igitur de iurepatronatus Zambeccariae gentis super praefata Ecclesia quam suis expensis et in proprio solo aedificaverat, necnon de iure proprietatis (quod integrum suo decreto servavit Antistes) ambigi haud posse propugnat Orator, colligit quod ea omnia, quae dicto fundo competere possunt ratione rerum materialium pretio aestimabilium ad Marchionissam pertinere, prouti a re propria et haereditaria provenientium.

Notum siquidem in iure esse tuetur quod templa materialiter sumpta quoad materiam, locum et ornamenta, quibus componuntur cum rebus prophanis conveniunt, ideoque possunt esse in hominum commercio. Ipsa enim dicuntur esse in haereditate prophana et cadunt sub creditorum concursu, vendique possunt *pro pretio ipsius materiis proportionato*. Hoc firmat auctoritate *De Luca De iurepatr. disc.* 53 *num.* 3, *et de praeem. disc.* 40 *num.* 9, *Lotter. De re benefic. lib.* 2 *quaest.* 4 *num.* 14, *Fargna de Iurepatr. p.* 2 *can.* 14 *cas.* 13 *num.* 31. *Rota in Romana Fideicommissi* 22 *Februarii* 1717 *coram Cerro*.

Ut alterum vero quod sibi demonstrandum assumpserat ostendat, ius nempe utendi re destructa cessare, recolit usum pariter ac usumfructum nil aliud esse quam *ius in corpore, quo sublato, et ipsum tolli necesse est*. Subindeque per totius fundi interitum qui independenter omnino a concedentis voluntate evenit, adeo ipsum usumfructum extingui tradunt leges ut ne in area quidem duret. Ita in *L. Quoties* 34 *ff.* §. 2 *De usufruct.* « *Si aedes incensae fuerint ususfructus specialiter aedium legatus peti non potest*, » et in §. *Finali autem* 3 *Inst. De usuf.* Iustinianus ait: « *Eo amplius constat, si aedes incendio consumptae fuerint; vel etiam terraemotu, vel vitio suo corruerint extingui usumfructum et ne areae quidem usumfructum deberi* ». Concinit *L. Repeti potest* 5 §. 2 *ff. Quibus modis ususf. amit.* Sed in facto esse ait Ecclesiam SS. Cosmae et Damiani destructam fuisse publicae utilitatis causa in vim regii decreti, cui Marchionissa minime resistere valebat. Cum itaque rei interitu usus favore Confraternitatis cessus manserit extinctus, nulla pretiosa ratio suppetere posse colligit, quominus Marchionissa obstringatur ad Ecclesiae reaedificationem, ut pium Sodalitium concessum et iam extinctum usum prosequi valeat.

Idipsum evinci subdit sive spectetur Gregorianus Codex, sive Ecclesiasticum ius, sive demum vigentes leges attendantur. Gregorianus quidem Codex, qui cum nullam peculiarem dispositionem de usu et usufructu decernat, ad ius commune Romanorum hac in parte appellandum esse praecipit iuxta dispositionem §. 1 *tit.* 1. « *Le leggi del diritto comune, moderate secondo il diritto canonico e le Costituzioni Apostoliche continueranno ad essere la norma dei giudizii civili in tuttociò che non viene altrimenti disposto in questo regolamento.* » Quod et de ipso iure canonico tenendum esse urget, quia, cum et ipsum nil hac super re constituat, iuris communis dispositioni adhaeret ex recepta in utroque foro regula, qua cavetur ut dispositio civilis legis, deficiente dispositione canonica, in utroque foro observetur *Auth. Quas actiones et Auth. Ingressi Cod. de Sacros. Eccles.* Ius tandem civile vigens quod in omnibus et ipsum Romanorum iuri concordat, dum in §. 529 statuit: « *I diritti di uso e di abitazione si perdono nella stessa maniera che l'usufrutto,* » quemque desinere firmat « *Col totale perimento della cosa sulla quale fu stabilito* §. 515 », et clarius in §. 662. « *Le servitù,* » quas inter usus recensetur, « *cessano quando le cose si trovano in tale stato che non se ne possa più far uso* ».

Post haec disserit secundo quod, rite constructa Ecclesia, minime obligari Marchionissa posset ad ipsius usum Sodalitati concedendum. Misso enim quod in nova area ipsa constructa fuit, quemadmodum ex graphica areae descriptione seorsim distribuenda ictu oculi clarescere ait; misso quod si aliqua pars antiquae Ecclesiae permaneret et ius utendi Confraternitati concessum cessasset, cum indecens evasisset pro SS. functionum exercitio, quem ad finem fuit a concedente Ecclesia determinata; sustinet ex hac nova constructione ius utendi minime reviviscere. In iure enim cautum esse propugnat ut, si res fructuario concessae omnimodam formae mutationem passae sint; perinde haberi debeant ac si illae periissent ita ut usufructuarii ius minime reviviscat ex *L. Repeti* 5 §. *Rei mutatione ff. Quibus modis ususfruct. etc., Voet in Comment. ad Pand. lib.* 7 *tit.* 4 *num.* 9 *seq., Surdi cons.* 155 *num.* 6 – ibi – « *Verum est perire usumfructum mutata rei forma ut non reviviscat si alia domus in eodem loco construatur* ». Praeterquamquod suffragaret canonica aequitas, quae haud sineret, ut cogeretur ad Ecclesiam perficiendam ipsiusque usum Sodalitati

concedendum pia mulier, quae ex nulla obligatione, sed mera liberalitate permota, susceptum opus perficeret quod alioquin etiam nunc in prophanum usum converti posset.

Minusque praesidium captari posse sustinet ab exemplo deducto a servitutibus praedialibus, in quibus restituto fundo servienti qui perierat ipsa servitus renovatur. Exemplum enim isthoc minime applicari posse tuetur in themate de quo agitur, cum servitutes praediales ratione publicae utilitatis perpetuae sunt *L. Servitutes* 20 §. *Si sublatum* 2 *ff. de serv. praed. urban.* non vero personales, quas inter usus et ususfructus aedis recensetur, quique semel extinctus, exustis vel collapsis aedibus, haud reviviscit ex *L.* 20 §. 2 *de servit. praed. urban.*

Huc re perducta inutiliter disquirendum esse subdit de secundo proposito dubio, quod Marchionissam minime afficere contendit; cum enim ipsa ex dictis neque ad constructionem Ecclesiae perficiendam teneri affirmat, neque ad ipsius usum Sodalitati concedendum, inutiliter disquiri posset de praefixione termini pro incoepta Ecclesiae constructione perficienda, veluti in secundo dubio proponitur.

Hisce aequa lance libratis EE. VV. pro assueta doctrina rogantur enodare

DUBIA

I. *An teneatur Marchionissa Politi Zambeccari perficere Ecclesiae constructionem, ac illius usum concedere piae Congregationi suffragantium in casu.*

Et quatenus affirmative

II. *An sit locus praefixioni termini in casu.*

Dilata.

Sess. 21 cap. 2 de Reform.

CAESENATEN. PATRIMONII SACRI = In vim publici instrumenti ab Antonio Casadei Guillelmus Colli anno 1855 sacrum patrimonium nanciscebatur. Quan-doquidem dictus Antonius Clerico Colli a die qua ad Subdiaconatus Ordinem conscendere debebat, usuras crediti frugiferi scutorum 720, conflantes summam scutorum 36, sacri patrimonii titulo se fore cessurum spondebat, donec provideretur. Praestat hac super re instrumenti verba in medium proferre: « il Signor Antonio del fu Pier Maria Ca- « sadei costituisce ed assegna al Signor Guglielmo del fu « Giuseppe Colli Chierico Accolito dell'età di anni venti- « due compiti a me pur noto e qui presente che accetta « e stipula a titolo di Patrimonio Sacro affinchè esso Chie- « rico possa essere promosso al Sacro Ordine del Suddia- « conato, e quindi a suo tempo agli altri Ordini maggio- « ri, l'usufrutto della rata parte di scudi 720 del capi- « tale credito di scudi 900 fruttifero del cinque per cen- « to ed anno contro i Signori Dr. Giovanni e Pietro Tur- « chi di Longiano per residuo di prezzo dei stabili dai Si- « gnori Raffaele e Laudadio Bolaffi ai detti Signori Turchi « venduti a termine dell'istromento delli 6 Decembre 1827 « a rogito di Giuseppe Bratti Notaro di Cesena; il qual « capitale credito residuo di maggior somma fu dai Si- « gnori Fratelli Turchi riconosciuto e fu al Signor Casa- « dei ceduto dai Signori Fratelli Bolaffi . . . Il quale usu- « frutto della rata parte di scudi 720 di detto Capitale « credito il Signor Casadei ha assegnato e costituito, as- « segna e costituisce al Chierico Colli accettante e stipo- « lante per detto titolo di Patrimonio Sacro colla cessio- « ne amplissima di tutte e singole azioni e ragioni, e spe- « cialmente di esigere e conseguire dai debitori Signori « Turchi i frutti alla detta ragione del 5 per cento liberi « da rata comodi e così annui *scudi trentasei* mediante « tutte le clausule più opportune ed efficaci da stendersi « e da aversi qui per estese a termini di ragione, pro- « mettendone esso Signor Casadei, e garantendone la ve- « rità e realtà, non che l'esigibilità ai termini di ragione.

« E ciò ha fatto e fa il Signor Casadei e si è accet- « tato e si accetta dal Chierico Colli sotto condizione che « debba cominciare ad avere effetto col giorno in cui esso

« Chierico sarà promosso al S. Ordine del Suddiaconato, e « debba cessare d'averlo tostochè sarà provvisto di bene- « ficio, prebenda ed altro titolo che sufficiente sia ricono- « sciuto dall'Ordinario secondo le leggi nostre Sinodali.

« Affermano poi i suddetti Signori Casadei, e Colli « di non avere fatto fra loro in questo, nè in altra cosa « alcun patto simoniaco sotto la fede del loro rispettivo « giuramento che prestano a mia delazione toccate le scrit- « ture presenti.... Per l'osservanza delle premesse cose il « Sig. Antonio Casadei ha obbligato ed obbliga la propria « persona eredi e beni presenti e futuri nella miglior for- « ma di ragione sotto la pena dell'emenda de' danni in- « teressi e spese anche irrepetibili ed estragiudiziali.... »

Verum inter haec Franciscus Merloni Guillelmi avunculus per apocham privatam eiusdem diei pollicebatur « di « rimborsare e pagare al suddetto Sig. Antonio Casadei « accettante e stipulante per se e suoi, i frutti della rata « parte di scudi 720 del suddetto credito ogni qualvolta « che verranno esatti dal suddetto Chierico Colli e di ri- « levarlo e indennizzarlo sempre da ogni danno e spesa, « rimossa ogni eccezione in contradizione. »

Nullam ex eo die fructuum portionem percepit Guillelmus; qua de re, Antonio viam universae carnis ingresso anno 1862, ab Exequutore testamentario fructus decursos a die constituti patrimonii postulavit. Id aegro animo perferens Parochus Scotti haereditatis Casadei repraesentans adhuc diutius Guillelmo instante, supplici libello Amplissimum Vestrum Ordinem adivit enixis precibus postulans ut dignaretur declarare « nulla quella costituzione di « Patrimonio sacro fatta al Signor D. Colli dal Casadei « unicamente per fargli apparire un titolo per potersi or- « dinare, ovvero d'imporre al Signor Colli di sciogliere « da qualunque vincolo il Patrimonio Casadei, sia perchè « provvisto ora in altro modo, cioè 1° con una pensione « vitalizia di annui scudi 24 che ebbe fin dal 1872 sulla « Prebenda Parrocchiale di S. Maria Nuova della Diocesi « di Cesena: 2° colla Rettoria di S. Maria in piazza del- « le Coppelle in Roma, sia per non recare un danno ai « suoi propri parenti, contro i quali dovrebbe rivolgersi « con atti di pubblicità il Patrimonio Casadei se venis- « se in qualunque modo molestato dal ripetuto Signor « D. Colli. »

Precibus acceptis rescriptum edidi die 8 Aprilis 1878:

= *Episcopo pro informatione et voto, qui auditis interesse habentibus, referat de legitima petitionis causa.* = Mandatis H. S. O. morem gerens Episcopus die 6 Iunii nunciati mox anni relata factorum historia haec subdit : « è falso « che il titolo sia solo apparente. Imperciocchè il Casa- « dei per mezzo di regolare istrumento cedè al Colli i ti- « toli di una rendita assicurata sopra un fondo senza fare « alcuna riserva, ed obbliga se stesso e suoi eredi a man- « tenere il Colli nel possesso della medesima, ed obbliga « anche i suoi beni presenti e futuri a garanzia della fatta « cessione. Che se non è stata presa ipoteca ciò deve es- « sere avvenuto per trascuranza o per altre cause, ma « non certamente perchè l'obbligazione assunta dal Casa- « dei non fosse valida. Che se il Casadei ha in seguito alie- « nato la detta rendita, non ha per questo distrutto il « vincolo assunto verso il D. Colli, e può questo agire nelle « vie legali contro gli eredi Casadei per assicurare il suo « titolo d'ordinazione. Se poi il Colli abbia promesso le- « galmente al Casadei di non mai molestarlo, nè pei frutti « nè per la sorte, io l'ignoro , e asserisco solo che *ex* « *datis et probatis* apparisce il contrario, giacchè ambedue « giurarono, che fra loro non era intervenuto alcun patto « simoniaco.

« Nè osta a mio credere la privata scrittura, fatta, « come pare contemporaneamente fra il Casadei, e lo Zio « del Colli in cui si obbliga verso il Casadei per inden- « nizzarlo. Imperciocchè questo secondo atto non distrug- « ge l'obbligazione assunta dal Casadei nell'istrumento, « ma contiene una nuova obbligazione del Merloni verso « il Casadei, ed è anzi una conferma di quella.

« Si oppone che essendo il Merloni affine del Colli, « è da ritenere che vi sia stato accordo fra loro due e « che il Merloni abbia fatto quella dichiarazione invece « del Colli e dietro fede datagli da questo di non mai esig- « gere la corrisposta annua del Patrimonio constituitogli « dal Casadei, e che quindi si verifica il caso di una « condizione che vizia l'atto, per cui la Costituzione del « Patrimonio è nulla. Questa difficoltà mi sembra di qual- « che peso, molto più che la moglie del Merloni ancor « superstite al marito già morto da vari anni asserisce che « realmente il D. Colli fece al Merloni la suddetta assi- « curazione di non mai esiggere l'annua corrisposta del « Patrimonio costituitogli dal Casadei. Ma oltrecchè non

« sembra da attendersi la testimonianza di questa donna « per esser essa l'erede del Merloni, e quindi in causa « resterebbe sempre a vedersi se tale condizione sia stata « apposta *inscio vel sciente Episcopo*. Ora nel caso nostro « si dee ritenere che ciò avvenisse *inscio Episcopo*, perchè « la detta condizione risulta da una scrittura privata co- « nosciutasi soltanto dopo la morte del Casadei.

Expletis omnibus in hodierno conventu causam disceptandam proposui sub dubiorum formula in calce exscripta; hinc operae pretium duxi summatim referre quae a partibus producta fuere.

Haereditatis Casadei defensor pro aris focisque tuetur sacri Patrimonii constitutionem fictitiam fuisse, ideoque nullam renunciandam esse. Quod nititur ostendere ex facto quo res sese habuerunt in tali negocio. Audiatur sane: « Fu premesso all'istrumento un patto che paralizza l'effi- « cacia del medesimo, patto che venne affidato ad una scrit- « tura legale sottoscritta dalle parti contemporaneamente « nel medesimo luogo, collo stesso inchiostro, ed alla pre- « senza dei testimoni medesimi; patto stipulato in oppo- » sizione apertissima alle leggi Canoniche e dalle medesi- « me condannato colla pena di nullità dello stesso atto, « che costituisce il Patrimonio. »

Nec satis: prosequitur enim: « non un mese, ma soli « tre giorni prima della S. Ordinazione fu costituito il « Patrimonio, e precisamente il giorno successivo a S. Giu- « seppe in modo, che dal dì in cui fu rogato l'atto a « quello dell'Ordinazione non restavano che tre giorni fe- « riali, in cui certamente non potevansi fare le prescritte « pubblicazioni *inter missarum solemnia*. Non fu punto « denunciata la libertà e sicurezza del Capitale, che altro « non era se non un credito del Casadei, senza alcuna « ipoteca contro i Turchi di Longiano. Non fu mai poscia « assunta ipoteca dal Colli come era obbligato per legge « sinodale entro cinque giorni, non pensò mai a ritirare « almeno i titoli dal Casadei su quel credito, che veniva « a lui assegnato; in una parola non compì alcuna di « quelle formalità e disposizioni di legge che sono indi- « rizzate a scoprire le frodi e gl'inganni che fossero in- « tervenuti; cose tutte che per legge sinodale dovea com- « piere il Colli medesimo ».

Si porro haec omnia insimul ponderentur cum facto Guillelmi, qui nonnisi post fatum constituentis fructus repe-

tere curavit a die constituti patrimonii, simulque attendatur quod in inventario haereditatis Casadei de anno 1862 *non risulta la inserzione di alcun credito favorevole a D. Guglielmo Colli*, uti refert Praeturae Cancellarius, vehementissimae habentur coniecturae, quae omnino suadent patrimonii sacri constitutionem fictitiam fuisse. Ad declarandum enim contractum simulatum non requiritur tam exacta probatio sed sufficiunt coniecturae, indicia et praesumptiones *L. Non omnes* § *A barbaris ff. de re milit. Bald in consil.* 311 *prope fin. col.* 5, *Covarr. in lib.* 3 *var. resol. cap.* 7., *Marta vot.* 54 *n.* 9 *seqq.* quia simulationes fiunt occulte, et alter de altero confidit.

Ideo dicit *Salyc.* in *L. Empt. col. final. Cod. plus valere etc.* quod duo testes sufficiunt ad probandam simulationem; et *Afflictus* teste Marta *loc. cit. n.* 13 simulationem contractus probari posse docet per testem singularem. Iamvero non duo sed tres exhibentur in actis testes, quos inter Francisci Merloni vidua recensenda est, qui monent a memorato Francisco audivisse « che il... Casadei avea fatto « il Patrimonio al Chierico Guglielmo Colli solo per fargli » una carità, e perchè avesse potuto dir Messa, ma senza « che fosse corso fra di loro alcun interesse di frutti. » Quod magis magisque obfirmatur ex ipsa apocha quae inter Franciscum Merloni et Antonium Casadei intercessit, in qua perlegitur « a ciò fare il Signor Casadei si è indotto « perchè il Signor Francesco Merloni Zio del suddetto Chie- « rico ha promesso e si è obbligato di rimborsare e pa- « gare al Signor Casadei i frutti che in sequela dell'as- « segnazione di detta rata di credito il Chierico Colli an- « drà ad esigere ». Omnibus igitur, attente ponderatis de simulata fictitiaque patrimonii constitutione ambigendum haud esse concludit.

Nec iuvat oggerere, eum qui donat simulatum patrimonium, teneri Clerico fructus conventos solvere. Subdit enim Exequutor testamentarius: « La dottrina dei sacri canoni « è applicabile al caso in cui la frode si verifichi nel co- « stituente il patrimonio, il quale coi maneggi ed intri- « ghi suoi avesse tratto in errore ed inganno per l'una « parte il Vescovo Ordinante, e per l'altra il Chierico or- « dinando rappresentando come vero, legittimo e valido « un patrimonio nullo e fittizio. Ma quando la frode e « il dolo è opera dell'ordinato medesimo il quale trasse « in errore non pure il Vescovo, ma lo stesso costituen-

« te, che senza gl'intrighi e le arti fraudolenti di lui « mai si sarebbe indotto a quell'atto, non ha nè può aver « luogo a carico del costituente l'applicazione della san- « zione canonica, la quale appunto perchè ha ragione di « pena presuppone sempre la colpa ». Quod autem Antonius Casadei immunis sit ab omni labe hac super re evincit ex trium testium depositione fidem perhibentium eumdem fuisse *persona religiosa ed onesta e che sebbene non fosse istruito nelle leggi canoniche era impossibile che avesse fatto un'azione, solo che avesse saputo che era dalla Chiesa proibita.*

Verumtamen in damnata hypothesi, quod patrimonii constitutio suis adhuc viribus consistat, tamen eiusdem resolutioni modo locum esse propugnat. Sane ex facti enarratione compertum fit, religiosissimum virum Casadei Clerico Colli scuta 36 in titulum sacri patrimonii assignasse, donec provideretur. Iamvero tralatitium in iure est, verbum *donec* conditionem facere, *Leg. qui Concubinam* §. *Uxori ff. de Legat.* 3; hinc huiusce patrimonii constitutionem conditionalem fuisse ambigi haud posse videtur. Quocirca cum in confesso sit Collium obtinuisse pensionem scutorum 24 super Paroecia S. Mariae Novae, et Romae scutata 12 quotannis exigere, nequit proinde dubitari, quin purificata conditione sub qua assignatio facta fuit, patrimonium ad haeredes concedentis pertineat. Idque eo vel fortius retinendum, quia patrimonii assignatio locum habuit, Clerici Colli paupertate urgente. Promissio vero ob causam paupertatis elicita, cessat, cessante paupertate, *L. cura* §. *Deficientium ff. de muner. et honorib. et L. Ab his oneribus* §. *auctis ff. de vocat. et excusat. muner.* Aliter sequeretur, quod creditum a munificentia Antonii Casadei constitutum inopiae sublevandae gratia, qua premebatur Clericus Colli ad Sacros Ordines promovendus, in eiusdem locupletationem converteretur. Quod ferri non debet ex *Rota decis.* 89 *num.* 10 *et* 11 *coram Buratt. et in Spoletana Bonorum* 1 *Februarii* 1683 §. *Tum quia coram Ursino.*

Hisce tamen minime obstantibus nedum videtur illud patrimonium fuisse valide constitutum, imo vero in sua virtute adhuc consistere evincitur. Profecto sacri patrimonii constitutionem realem fuisse tum praesumptiones, tum acta docent. Praesumi namque non debet, religiosos probosque viros, quemadmodum contrahentes fuisse perhibent acta, fraudem hanc moliri voluisse eam-

demque impune contra ecclesiasticas leges perpetrari. Praesumi pariter non debet Guillelmum moribus et religione praestantem, ceu adductis ostenditur documentis, conficto titulo ordinantem decipere voluisse, ut in poenas a iure canonico comminatas incideret. Praesumi demum non debet eumdem tam bardum esse, ut, si tutus in sua conscientia non esset, pro causae propositione insisteret, dum in ea conditione modo versatur, ut ex bonis propriis valeret sibi requisitum a Synodalibus legibus patrimonium constituere.

Omnis autem hac super re arcetur amaritudo si parumper constitutionis patrimonii sacri instrumentum perpendatur. Quandoquidem non modo Antonius Casadei ipsum constituere voluit in enunciato credito frugifero *con ragione amplissima di tutte e singole azioni e ragioni e specialmente di esigere e conseguire dai debitori i frutti alla detta ragione.... promettendone e garantendone la verità e realtà non che l'esigibilità...* sed etiam *per l'osservanza delle premesse cose il Sig. Antonio Casadei ha obbligato ed obbliga la propria persona eredi e beni presenti e futuri nella miglior forma di ragione sotto la pena dell'emenda de' danni interessi e spese anche irrepetibili ed estragiudiziali.* Cum igitur ex instrumenti fide scateat omnia in constituentis praeiudicium redundare, non potest colligi aliqua fraus, quam nullus praesumitur committere sine commodo et utilitate multo minus cum eius damno ceu optime ponderat *Gratian. in discept. for.* 278 *n.* 25.

Quod magis magisque evincit agendi ratio pandita a Parocho Scotti, Guillelmo adnotante: « il Sig. Parroco Scotti « Esecutore Testamentario e rappresentante l'Erede Casadei, era tanto persuaso che il patrimonio Casadei era « gravato del peso della costituzione del mio Patrimonio « sacro, che lo denunciò al Registro, onde regolare il pagamento della tassa di successione »; alio in loco subdit: « È poi falso che non sia presa ipoteca sui beni dell'eredità Casadei, altrimenti lo stesso Sig. Parroco Scotti « nella lettera scrittami in Agosto 1877 non avrebbe detto « che io facessi un mandato di procura a persona di mia « fiducia; perchè questa potesse a nome mio far cancellare l'ipoteca presa sull'eredità Casadei a mio favore ». Hisce porro dictis plenam fidem adhibendam esse suadent ipsius actoris preces S. O. oblatae ita sonantes *d'imporre al Signor Colli di sciogliere da qualunque vincolo il patrimonio Casadei.*

Neque turbat quod in apocha privata legatur: « Il « Signor Francesco Merloni promette e si obbliga di rim- « borsare e pagare al suddetto Signor Antonio Casadei i « frutti della rata parte di scudi 720 del suddetto credi- « to ogni qualvolta che verranno esatti dal Chierico Col- « li ». Tralatitium enim in iure est quod res inter alios acta, tertium non afficiat, *L. De unoquoque ff. De reiudicat. Rota in Fulginaten. Damnorum* 3 *Iulii* 1815 *coram Caesarei de Leonibus.* Quin imo ex recitatis verbis sacri Patrimonii constitutio firmamentum accipit. Exploratum siquidem est recitata verba relevationem sonare. Atqui principalis obligatio sit oportet, cui relevatio addatur; neque enim sine principali suo accessorium esse potest, neque sine eo, quod firmetur concipitur firmamentum. Cum igitur Antonius Casadei acceptam habuerit relevationem a Merloni promissam pro fructibus a Collio exigendis, iam in propatulo est patrimonii constitutionem omnibus numeris absolutam fuisse.

Inani rursus labore contenditur patrimonii constitutionem nullam esse existimandam ob solemnitatum defectum quae ad tramites legum synodalium intercedere debebant. Primo enim hanc nullitatem non cuilibet ex contrahentibus obiicere licet, sed ille dumtaxat cuius favore solemnitates inductae fuerunt, de earumdem defectu, et de nullitate contractus excipere valet, *Tenzon. ad Stat. Urb. cap.* 15 *num.* 51, *Rota in Recent. decis.* 595 *num.* 9 *part.* 13. Cum igitur solemnitates inductae haud fuerint Casadei favore consequitur quod ob illarum omissionem excipere haud valet defensor haereditatis de nullitate patrimonii. Deinceps etiam quia, auctorante Emo Ordinario Orfei, a solemniis recessum fuit, affirmante Guillelmo: « Quegli, il quale fece l'istrumento fu il Sig. Luigi Ferri No- « taro e Cancelliere della Curia Vescovile di Cesena, e « venne a quest'atto per espresso mandato del Vescovo Ce- « senate Card. Orfei, il quale col fatto dispensava dalle « formalità volute dal Sinodo, e trovava tutto in re- « gola a mio riguardo ammettendomi alla sacra ordina- « zione ».

Nec validius dolum atque fraudem in constitutione patrimonii arguit adversarius Scotti ex eo quod Guillelmus a petenda pecunia sese abstinuerit. Creditor enim ius suum salvum esse sciens, silendo aut non petendo nullum sibi praeiudicium infert, *Rota in Albanen. Dotis et fructuum*

23 *Februarii 1752* §. 12 *cor. Elephantutio:* eo vel magis quia Guillelmus autumabat « di non poter domandare i « frutti per delicatezza, perchè il Casadei mi faceva ogni « anno diversi regali, mi faceva applicare diverse Messe « con pingue elemosina, e perchè mi aveva promesso di « pensare a me nel suo testamento. Ma vedendomi poi « deluso, domandai allora diverse volte i frutti del co- « stituitomi Patrimonio sacro, ben persuaso del mio di- « ritto. »

Statuta validitate constitutionis patrimonii sacri luce meridiana claret eiusdem resolutioni in tali rerum statu locum esse non posse. Quandoquidem conditio purificata non est, uti ipse notat Antistes, dum Guillelmus *sufficienter provisus* dici non potest ex perpetua pensione annua 24 scutorum quam ab anno 1872 obtinuit super Paroecia S. Mariae Novae, *quando la quota stabilita dalla legge Diocesana per gli Ordinarii è di sc.* 36. Quae summa minime valet compleri ex alia quam percipit pro officio Rectoris quod Romae obtinet in nunciata Ecclesia SSmae Virgini dicata. Hoc enim officium ad nutum amovibile satis non est ad Ordinationis titulum efformandum, quod in re certa et stabili consistere debet, quemadmodum pluribus recitatis S. H. O. resolutionibus ostenditur in causa *De Chiapas Circa titulos Sacrae Ordinationis* diei 21 Iunii nuper *effluxi* § *Concilium et seq.*

Hisce igitur utrinque animadversis erit EE. VV. sapientiae et prudentiae decernere quonam responso dimittenda sint

DUBIA

I. *An constet de nullitate constitutionis patrimonii sacri in casu.*

Et quatenus negative

II. *An eiusdem resolutioni locus sit in casu.*

Ad I. et II. Subrogandam esse pensionem scutatorum vigintiquatuor cum dispensatione super integritate taxae: facto verbo cum SSmo.

ANDRIEN. DISTRIBUTIONUM ET PROVENTUUM.= Capitulum Cathedralis Ecclesiae Andriensis usque a primis temporibus cura habituali atque actuali super universa civitate potiebatur, subindeque Capitulares animarum curam exercentes nedum a punctaturis extorres erant, verum etiam distributionibus tam ordinariis, quam extraordinariis fruebantur. *Sess.* 24 *cap.* 12 *de Reform.*

Volvente atvero anno 1857 atque Andriensem sedem Episcopo Longobardi regente, per Apostolicum Rescriptum, cui nomen Brevis inditum est, cautum fuit, ut, sex praebendis canonicalibus suppressis pro congrua parochorum alimonia, sex pariter in tota civitate novae et distinctae crearentur Paroeciae, quas inter et una in Cathedrali existeret ab Archipresbytero, secunda dignitate, regenda. Ex hoc factum fuit, ut haec secunda dignitas uberes fructus perciperet. Quandoquidem nedum ipsa, ut caeteri Canonici, potiebatur praebenda, sed et sexta parte praebendarum, quae ex Bullae dispositione suppressae fuerant; adeo ut fructus Praebendae Archipresbyteralis summam libellarum 3301; 52 in praesentiarum conflent. Id aegre ferens Capitulum, per suum Praesidem sub die 16 Septembris 1878 supplicem Augustissimo Vestro Ordini libellum porrexit ut haec dubia dirimere dignaretur:

1. « Potrebbe l' Arciprete considerarsi presente in « Coro mentre sta occupato negli officii Parrocchiali, e quin- « di lucrare le fallenze, ed altre distribuzioni quotidiane « come in antico, quando niente di più si percepiva dai « Capitolari impiegati nell' esercizio della Cura, quando « questa era presso il Capitolo?

2. « Nella ipotesi di doversi considerare, anche così « largamente retribuito, come presente in Coro, mentre « è impegnato nella Cura, potrebbe oltre alle Fallenze « partecipare eziandio agli avventizii, alle associazioni ed « esequie dei Morti, ed ogni altra distribuzione *inter prae-* « *sentes,* quantunque non personalmente intervenga?

3. « Essendosi in perpetuo addetta alla puntatura « la terza parte della Massa Corale per decreto sinodale « del Prelodato Defonto Monsignor Longobardi del 10 Feb- « braio 1858: – *videlicet, Tertiam Massae Choralis fructuum* « *partem deductis prius oneribus legitime impositis quibus-*

« *cumque, Chori punctaturae esse perpetuo addicendam* – per
« poter essere considerato presente alle distribuzioni in
« Coro l'Arciprete debba, o no assoggettare la sua terza
« parte della Massa Canonicale alla puntatura, egualmen-
« te come ogni Canonico, essendo ora estranea al Capi-
« tolo la Cura e largamente retribuita dallo stralcio dei
« Beni-Fondi? »

Accepto libello statim rescribere curavi – *Episcopo pro informatione et voto, audito Capitulo, ac seorsim Archipresbytero in scriptis.* – Hisce mandatis morem gerens Sacer Antistes informationem transmisit die 30 Aprilis 1879 haec adnotans: « apro il mio animo sulla vertenza e rifletto
« 1, che il Capitolo a mio parere mal si appone nel
« chiamare su una questione di diritto o non diritto del-
« l'Arciprete, intorno all'esser considerato come presente
« al coro, l'idea della pingue porzione spettante ad esso
« Parroco; anche perchè si sa bene quale uso debba fa-
« re il beneficiario del superfluo al suo onesto manteni-
« mento, come ben si conosce che la Parrocchia della Cat-
« tedrale ha una grande ed impicciosa figliania: 2, che
« la porzione canonicale spettante all'Arciprete medesimo
« essendo fusa nell'identico beneficio Parrocchiale, la cui
« congrua costa di più elementi, non si sa perchè dovesse
« essere considerata in modo diverso da quello che si
« usa in altri Capitoli pel Canonico Parroco: 3, che do-
« vendosi da essa porzione Canonicale spettante all'Arci-
« prete, la quale il Capitolo asserisce ammontare a Li-
« re 1225, 64, prelevare una quota per far parte di
« quello, che è assegnato per le distribuzioni corali, ove
« l'Arciprete perchè impegnato negli atti della cura delle
« anime fosse tenuto come presente al servizio corale non
« seguirebbe scapito considerevole per gli altri Capitolari;
« ciò poi massime se della porzione canonicale spettante
« all'Arciprete in Lire come dicesi 1225, 64 si ritenga che
« il terzo debba mettersi nella massa per le distribuzioni
« giornaliere *inter praesentes*, perciocchè gli altri Canoni-
« ci verrebbero a mettere in detta massa un terzo della
« loro porzione che essi dicono essere stata ridotta a
« Lire 672, 80, lo che importerebbe un vantaggio al ce-
« spite divisibile *inter praesentes* proveniente dalla posizione
« dell'Arciprete: ma in tale ipotesi sarebbe strano quello
« di volersi vantaggiar della quota spettante all'Arcipre-

« te ed intanto non voler che costui godesse dei privi-
« legii che gode un Canonico Parroco, quanto all'esser te-
« nuto presente al Coro secondo il diritto comune. »

Hisce absolutis atque mandato ut causa de more poneretur in folio, statutaque praesenti die, omnibus actis completis, pro eiusdem discussione mei muneris ratio postulat ut antequam ad dubia enucleanda descendam, summatim referam quae a contendentibus prolata fuere nonnullis interdum ex officio adnotatis.

Distributionibus ab absente lucrandis obicem parare videtur prae primis *caput unic. De Cler. non resid. in* 6. Siquidem in hoc celeberrimo Bonifacii VIII decreto haec leguntur: = *Statuimus ut distributiones ipsae quotidianae, in quibuscumque rebus consistant, Canonicis ac aliis Beneficiatis et Clericis Ecclesiarum ipsarum, qui eisdem officiis adfuerint tribuantur*... Quod Bonifacii VIII decretum in usum revocatum a Concilio Tridentino in notissimo *Capite* 12 *sess.* 24 *de Reform.* non obstantibus quibuscumque statutis, et consuetudinibus indubiam atque indeclinabilem legem firmavit in distributionibus percipiendis « *Distributiones vero,* ita Tridentini Patres, *qui statutis horis interfuerint, recipiant, reliqui quavis collusione, aut remissione exclusa, his careant* ». Et iure optimo. Distributiones enim Clericis debentur ratione servitii personalis, non autem respectu tituli, nec dantur tamquam Canonico sed tamquam inservienti divinis.

Quod si haec S. C. quotidianas distributiones iis aliquando attribuit, qui a choro abessent propter animarum curae exercitium, perpendendum sedulo est de illis tantum loqui, quorum canonicatui curae animarum onus esset adnexum uti docent *Barbosa de Can. et Dignit. cap.* 24. *n.* 11., *Moneta de Distrib. quot. part.* 2. *quaest.* 11. *n.* 69, tenuitque S. Congregatio in *Montis Regalis Distributionum* 6 *Dec.* 1732 *Perusina* 25 *Iunii* 1765. In themate autem id dici non posse videtur. Quandoquidem ex causa penes S. V. O. agitata sub die 6 *Iunii* 1874 cui titulus *Andrien. Congruae Parochialis* (quae concinne resumpta habetur in foliis pro Congregatione *diei* 26 *Aprilis* 1879 distributis) patet Capitulum tum habituali, tum actuali animarum cura ex Pontificia dispositione orbatum fuisse: insuper sex praebendas canonicales extinctas esse pro efformanda sex Parochorum congrua. Cum igitur extincta fuerit habitualis et actualis cura animarum in Capitulo dici non posset quod ipsa archipres-

byterali praebendae adnexa sit, sed potius portioni suppressarum praebendarum, quae Archipresbytero adiudicata fuit pro gerenda animarum cura; subindeque neque ius, neque recta ratio pateretur, ut ipse aliis laboribus distentus pro quibus mercedem et non levem percipit, etiam omnibus potiri debeat privilegiis, quibus ii fruuntur Parochi, quorum dignitati, vel canonicatui adnexum est onus curae animarum.

Optimo proinde iure concludit Capitulum, oneris Parochialis gratia cessisse « un particolare e ben pingue « stipendio, che prima non si godeva da chi esercitava « la cura delle anime. E di fatto egli il Signor Arciprete « oggi percepisce la vistosa somma netta da qualunque « peso e tasse governative, ordinarie e straordinarie, di « Lire tremila seicento ottantuno e centesimi cinquantatre « diviso nel modo seguente, cioè come Canonico Li- « re 1225,64; come Sacerdote Lire 841,13; per quota « parrochiale che gli riviene per sesta parte di sette ca- « nonicati soppressi Lire 1189,76; e finalmente dal le- « gato Ponza Lire 425,00... mentre il semplice Canonico « ed anche le quattro Dignità del Capitolo, cioè Arcidia- « cono, Cantore, Primicerio e Priore non ricevono per « Massa che Lire 672,80; per Messe Lire 730,41 giusta « la liquida stabilita dal Governo, e che in uno formano « Lire 1403,21. »

Idem consectarium potiori ratione tenendum videtur etiam in distributionibus quae audiunt inter praesentes. Maxime quia ad hasce lucrandas satis non est ficta, sed realis et physica praesentia beneficiati requiritur quemadmodum passim docet S. C. praecipue vero in *Praenestina Fallentiarum* 29 *Iulii* 1837 §. *In tertio Dubio, Terracinen. Privernen. Emolumentorum* 23 *Dec.* 1826 §. *Dein, Savonen. Distributionis* 15 *Decemb.* 1746, *Calaritana Onerum* 17 *Sept.* 1731 §. *Quoad reliquum, Reatina Iubilationis* 28 *Aprilis* 1770 §. *Contra* ubi traditur quod tribui debent « Emolu- « menta Anniversariorum, Processionum aliorumque si- « milium quae ex praesumpta testatorum voluntate relin- « quuntur Capitularibus actu interessentibus, qui pro ani- « mabus Benefactorum preces fuderint ».

Quod vero spectat ad fallentias animadvertendum occurrit ex iuris dispositione accrescere debere tantummodo interessentibus, qui ob aliorum absentiam maiorem subeunt in choro laborem. Ipsae enim tamquam premium interessentibus dantur, et in poenam absentibus auferuntur. Hinc

docet *Barbosa de Canonicis et Dignitatibus cap.* 22 *n.* 18 – ibi – « Utrum autem distributiones absentium debeantur actu « interessentibus, verum etiam aliis, qui iuris fictione cen« sentur interessentes, ut quia absunt ex causa infirmitatis « vel in Ecclesiae suae utilitatem... solum deberi actu inte« ressentibus constat ex *cap. unic. vers. Statuimus De Cleric.* « *non resid.* » Concinunt *Bona. De distrib. Disp.* 2 *quaest. ult. punct.* 1 *n.* 6., *Garc. de Benef. p.* 3 *cap.* 2 *n.* 465. Hi enim DD. moventur ad hanc tuendam sententiam ex eo quod absens ob legitimam causam reputatur praesens in choro ad lucrandas suas distributiones ex *Conc. Trid. sess.* 24 *cap.* 12; non vero a negligentibus amissas; quia congruum est ut hae illis accrescant, qui stante aliorum absentia maiori labore gravantur. Hisce igitur omnibus attentis prono veluti alveo fluit Archipresbyterum Memeo ad lucrandas distributiones inter praesentes nec non fallentias a negligentibus amissas bono iure destitutum fore.

Altera sed vero ex parte scitissimi iuris est Parochum animarum curae incumbentem ita praesentem in choro reputari ac si divinis intersit, *Trident. Synodus sess.* 22 *cap.* 3. Quare non modo de distributionibus ordinariis participem fieri debere, verum etiam de extraordinariis docet *Scarfant. lib.* 2 *tit.* 10 *n.* 9 *et seq.* – ibi – « Et « eo magis certa Capituli persona, cui dumtaxat immineat « cura animarum, cumulanda est distributionibus, si divi« norum tempore parochialia munia exerceat...Accipe de « quibuscumque Distributionibus tam ordinariis, quam « extraordinariis ita contra *Bonac. de distrib. d.* 2 *quaest.* 5 « §. 7 *in fine* absolute tenet *Trullen. in Decal. lib.* 1 *cap.* 8 « *dec.* 2 *num.* 7., et declaravit Sacra Congregatio teste « Nicolio in *Flos. V. Distributiones num.* 13. » Et merito; si enim indultum iubilationis suffragatur pro participatione omnium fructuum et distributionum etiam extraordinariarum ut declaravit *H. S. C. in Burgi S. Domnini* 19 *Aprilis* 1704; imo si suffragatur ad percipienda praeter distributiones ordinarias quaecumque alia emolumenta, ut in *Aquipendien.* 27 *Sept.* 1659 *ad dub. II.*, *Perusina* 17 *Iulii* 1668, *Romana* 29 *Ianuarii et* 5 *Martii* 1678, nulla pretiosa ratio suppetere videtur ad id denegandum Archipresbytero Parocho, qui dum animarum curae incumbit inhaerenti suae dignitati, non minus quam Canonicus iubilatus pro praesente et interessente habendus est; *Garcias de benef. p.* 3 *cap.* 2 *n.* 334.

Neque ad denegandas extraordinarios proventus facessit *Bituntina Anniversariorum* 1 *Iulii* 1679 Canonicos iubilatos respiciens. Ipsa enim intelligenda videtur non de anniversariis fixis, sed de illis, in quibus cautum a testatoribus fuit, ut interessentes tantum participare debeant ceu videre est in *Novarien. Iubilat.* 2 *Octob.* 1677, in qua proposito dubio « *An duo Canonici iubilati S. Gaudentii frui deberent emolumentis anniversariorum quae fiunt intra annum, licet non assisterent,* responsum fuit *affirmative*. Causa tamen iterum proposita *die* 29 *Ian.* 1681 rescriptum fuit « *In decisis quoad anniversaria fixa, et in quibus non cautum est a testatoribus ut interessentes tantum participare debeant,* ut habetur in *lib.* 42 *decret. fol.* 44.

Nec minus parochum officii causa et propter exercitium curae animarum absentem a choro negligentium fallentias constat lucrari. Neminem enim latet praesenti in choro iuris fictione haec emolumenta tribui. Ipsa enim dantur et Canonicis indulto donatis infirmitatis causa uti videre est in *Romana* 5 *Maii* 1703 *ad II Dubium,* in quo quaerebatur; *An eidem Canonico* (absenti a choro et aliis divinis officiis ex indulto propter infirmitatem) *competat pro sua rata parte etiam ius accrescendi earum distributionum et communium quae ob absentiam vel vacationem Canonicorum interessentibus accrescunt, et a qua die supradicta omnia debeantur in casu.* – Responsum prodiit – *Affirmative a die praesentationis indulti.* – Item dantur et iubilatis uti videre est in *Aquipendii* 2 *Martii* 1697 *ad III Dub., dummodo non obstent constitutiones particulares, et consuetudo Ecclesiae.* Unde Scarfantonius loquens de Canonicis absentibus a publica psalmodia ob rationabilem causam, facto sibi dubio, utrum istis debeantur distributiones, quas alii Canonici absque rationabili causa absentes a Choro tunc temporis amittunt, profitetur se pro affirmativa stare sententia contra Bonacinam aliosque – ibi – « Si est verum « quod refert Barbosa in Collectanea V. Canonici, videli« cet Sacram Congregationem Concilii sub die 20 Novem« bris 1600 declarasse Canonicos ob legitimum impedi« mentum Choro non interessentes, non solum lucrari suas « distributiones sed reputari praesentes quoad acquiren« dam portionem earum quae ab aliis absque iusta causa « a Choro absentibus fuerunt amissae ». Atque hanc opinionem etiam probabilem dicunt *Castr. Pal. tom.* 2 *et Trullen. in decis. cap.* 8 *num.* 7; et *Benedictus XIV In-*

stit. 107 *n.* 46 refert S. H. C. sub die 15 *Aprilis* 1511 relatam in *L. XI Decr. p.* 98 censuisse: « Eos qui absunt « a servitio Chori ob infirmitatem, vel aliam causam « percipere debere distributiones quotidianas sui Canonicatus « perinde ac si statis horis interessent: percipere etiam « augmentum distributionum quas amittunt illi, qui divinis « non interfuerint. » Ex quibus colligitur fallentias absentium a Parocho Memeo actu, quo abest a Choro ob exercitium curae animarum percipiendas fore, cum eum abesse ex legitima causa in dubium revocari non possit.

Omnem praeterea amaritudinem hac super re tollit observantia. Observantia est enim fida interpres dispositionum humanarum et maximum valorem habet in distributionum materia. Porro compertum est duce observantia Capitulares munere Parochiali fungentes pro praesentibus in Choro habitos fuisse, consequenter distributiones ordinarias et alios proventus nactos esse. Ergo eodem iure pollere Archipresbyterum actualem praedicandum est, cum sit subrogatus Capitularibus animarum curam gerentibus; atque hoc eo vel maxime quia ab anno 1857 in quo Curam obtinuit, in pacifica adest possessione.

Haud meliori defensione Capitulum ad sidera extollit reditus Archipresbyteri ad effectum illum privandi distributionibus atque fallentiis. Nam Archipresbyter subdit; « questo fatto su cui il Capitolo si appoggia, dapprima è « mal fermo; dal che nella sua rimostranza il medesimo « Capitolo ritenne competere all'Arcipretura la rendita « netta di Lire 3,671 e Cent. 53; posteriormente una tale « cifra, la volle ridotta ed è presso di me il conteggio « dei Razionali ; infine ha ridotta una seconda volta la « cifra con l'aggiunta di dover subire modifiche secondo « il numero dei Partecipanti nell'avvenire, ed il quantita« tivo degli esiti annuali per lo culto della Chiesa. La « mia risposta ai Signori Canonici è stata sempre quella: « assegnatemi la quota giusta i criterii del diritto e sotto « l'osservazione ed il giudizio dei Superiori. Ella ricorda, « Monsig. Illmo, che da tre anni il Capitolo è stato sem« pre restio di stabilire nei debiti modi l'assegno all'Ar« ciprete anche dopo presi gli appunti tra la deputazione « Capitolare e l'Eccellenza Vostra. In secondo luogo il « fatto di cui è parola, è mal definito dal Capitolo istan« te, cioè non è messo sotto il giudizio della S. Congre« gazione con le sue proprie circostanze. Nell' altra alle-

« gazione io eccepiva che i redditi del Parroco della Cat-
« tedrale non sono mica netti, quali si predicano, ma
« lordi di molteplici spese, che ora non è d'uopo enu-
« merare la seconda fiata. Debbo intanto aggiungere le
« seguenti osservazioni: 1° che dal 5 Agosto 1873, epoca
« del mio riconoscimento governativo, come Parroco mi
« ebbi dal Capitolo soltanto Lire 38 al mese, e *pro bono*
« *pacis* me ne contentai sobbarcandomi con la rata del
« Legato Ponza in Lire 360:00 annue al totale peso de-
« gli esiti della Parrocchia: 2° per le cause sostenute dal
« Capitolo contro il Demanio e l'Economato la mia par-
« tecipazione si trova al presente aggravata della rata di
« spese e di tasse, cui debbo subire sino al 1878 come
« Canonico: 3° che per provvedere ai poveri il Parroco
« è obbligato di allargare la mano in ogni ora nella Sa-
« grestia e per dovunque passa e specialmente nelle case
« degli Infermi, essendochè questa Città mancante d'Isti-
« tuti di opere pie ed avente un' Ospedale con solo quin-
« dici piazze, avvezza ad essere soccorsa dai tanti Frati e
« tanti Beneficiati di una volta, nei tempi presenti non
« ha ricorso se non al Vescovo ed ai Parrochi: 4° infine
« l'Arciprete comunque eserciti la Cura nella Cattedrale
« egli sopporta ancora le spese per le ostie, per l'incen-
« so, per l'olio delle lampadi del SSmo, per i sacri arre-
« di occorrenti per l'amministrazione de' Sacramenti ».

Nunc ad alterum dubium in quo quaeritur an Archipresbytero onus sit conferendi tertiam partem fructuum Praebendae distributionum quotidianarum gratia. Sententiae affirmativae subscribendum videtur. Scitissimum enim, in iure est, quod qui commodum persentit, onus subire teneatur *Reg.* 55 *de Reg. iuris in* 6°. Ratio autem huius principii fundatur in aequitate naturali, quam adeo agnovit etiam Imperator, ut illum nec ferendum, nec tolerandum existimaret, qui lucrum et commoda amplectitur, et annexa incommoda sufferre non vult, *L. un.* §. *4 ad fin. C. de Caducis tollend.* – ibi – *Neque enim ferendus est is, qui lucrum quidem amplectitur, onus autem ei annexum contemnit* –. Cum itaque Archipresbyter Memeo aliarum praebendarum utilitatem in tertia parte persentiat, quae pro quotidianis distributionibus assignata est, consequitur subinde ipsum teneri conferre etiam pro distributionibus tertiam suae praebendae partem. Quod et decrevit Tri-

dentinum in *sess.* 21 *cap.* 3 *et* 22 *eod. cap. de Reform.* docuitque S. C. in *Bosanen.* 15 *Aprilis* 1592 *ad* 2 *dub., Terracinen.* 13 *Ianuarii* 1624 *ad dub.* 1, *Nicien.* 18 *Novembris* 1628 *ad* 2 *dub.* Neque relevat quod hodie aliae canonicales praebendae diminutae sunt. Nam id contra Canonicorum voluntatem evenit, et quod servavit Archipresbyter ad Capitulum pertinebat, cum ex decreto Synodali de anno 1828 tertia totius Massae Choralis pars in distributiones quotidianas perpetuo assignata fuit.

Nihilo tamen secius non in tertia parte fructuum totius praebendae ipse obstringendus videtur, sed in contributione qua quilibet Canonicus infandis nostris temporibus iuxta reditus Ecclesiae devictus manet. Alias enim Canonici lucrum captarent cum damno Archipresbyteri; quod quantum nefas sit, nemo est, qui non videat.

His itaque expositis videant EE. VV. quonam responso dimittenda sint

DUBIA

I. *An Archipresbytero ob curae animarum exercitium absenti a Choro debeatur participatio in distributionibus quotidianis necnon in emolumentis extraordinariis et adventitiis in casu.*

II. *An eidem Archipresbytero absenti ut supra debeantur fallentiae Canonicorum absentium in casu.*

Et quatenus affirmative ad utrumque.

III. *An et in qua quantitate fructuum suae praebendae Archipresbyter concurrere debeat pro distributionibus quotidianis in casu.*

Ad I. Affirmative dummodo non obstet voluntas testatoris vel dantis

Ad II. Affirmative.

Ad III. Affirmative pro tertia parte praebendae canonicalis tantum.

Sess. 21 cap. 4 de Reform.

IPPOREGIEN. DISMEMBRATIONIS. = Parochialis Ecclesia loci *Scarmagno* Dioecesis Ipporegiensis duos inter suos fines complectitur pagos Scarmagni Communitatem efformantes ferme aeque inter se ac a parochiali Ecclesia distantes, quorum alteri 223 capitibus frequenti nomen *Bessolo*, alteri *Masero* 140 habitatoribus constanti inditum est. In horum primo extat satis ampla, sacrisque supellectilibus provisa Ecclesia S. Ioanni dicata, in qua fundatum est beneficium pluribus stabilibus conflatum de iurepatronatus nobilis familiae Perrone Saladino. Labente anno 1878 plures incolae Bessoli et Maseri Ipporegiensem adiverunt Antistitem enixe flagitantes ut Ecclesia S. Ioannis Baptistae in novam erigeretur Paroeciam, idque propter distantiam utriusque loci a Parochiali Ecclesia S. Michaelis loci Scarmagni, viarumque asperitatem hiberno praesertim tempore.

Ut autem Parochi congruae alimoniae prospici posset, nobilis comes Perrone Saladino ultro suum praebuit assensum ut beneficium de suo iurepatronatus in memorata Ecclesia existens ad parochiale evehi posset. Neque ad hoc deesset ipsius Gubernii assensus, quod, dum exquirit pro Parocho congruam in annuis libellis 800, instat ut bona praefati beneficii convertantur in schedulis vulgo *Cartelle di Consolidato*. Quamvis autem exceptio producta fuerit ad ostendendum dotem memorati beneficii dictam summam constituere, fuit attamen reiecta, quia in assignatione taxae vulgo *di manomorta* declaratum fuerat eamdem minime sexcentum libellarum summam excedere. Ad hanc igitur avertendam exceptionem occurreret nobilis et pia mulier Clotildes vidua Revelli, quae prompta esset dictos beneficii coemere fundos, excepta domo urbana et rustica una cum adnexo viridario, quae Parocho remanerent, atque pro iis syngrapham traderet Consolidatus annui fructus libellarum 800, a taxa, quam dicunt *di ricchezza mobile*, prorsus immunis. Cui propositioni nedum consensit patronus, sed et ipsum gubernium, atque actualis beneficii rector, quem et zelo salutis animarum et doctrinae merito plurimum commendat Antistes. Imo praefata mulier, ut animarum saluti, novae paroeciae erectione quamprimum prospici posset, oraliter spopondit expensas omnes tam

pro erectione, quam bonorum cessione soluturam esse, atque congruam ad annuas mille et centum libellas augere, dummodo tesserarum consolidatus valor non excresceret.

Haec omnia S. Congregationi Episcoporum et Regularium negotiis praepositae Ipporegiensis Antistes exponere duxit totum negocium insimul commendans eo quia « il bisogno, il vantaggio della chiesta erezione di Parroc- « chia nella Borgata di *Bessolo* Comune di Scarmagnò « sono incontestabili – addens – supposto eziandio che « occorresse di dare qualche somma al Parroco di Scar- « magno la Fabbriceria della Chiesa del Bessolo può pre- « starvisi ». Cum autem a memorata Congregatione ad S. V. O. preces huiusmodi fuerint remissae, nedum mandavi, ut Parochus audiretur in scriptis, verum etiam, cum sedes Ipporegiensis de novo fuisset provisa Pastore, eumdem audiri praecepi ad hoc etiam ut referret, an patronus assensum praeberet pro se suisque successoribus, ut in futurum eligi possit ac praesentari unus inter approbatos in formali concursu.

Quibus obtemperans praeceptis memoratus Antistes sub die 13 Decembris 1878 retulit quod patronus « *desiderando mantenere intatti tutti i .... diritti di patronatò come vennero stabiliti nell' istromento* 1860 » enixe rogat « *affinchè nessuna modificazione sia introdotta riguardo alla nomina del Parroco in caso di vacanza* ». Iuxta autem memoratum instrumentum statuitur ut, in beneficii vacatione, « fosse lecito ai Priori *pro tempore* della Cappella del Bes- « solo di formare una terna di Sacerdoti Confessori, li « quali dai Signori Vescovi *pro tempore* fossero ricono- « sciuti e con loro attestato dichiarati idonei a tale Bene- « ficio, riservato solo al Patrono la scelta fra i tre Sacer- « doti suddetti con che i Particolari del Bessolo venivano « posti in grado di eleggere per loro Cappellano *uomini* « *di conosciuta probità e sane dottrine che li assistessero* « *con tutta carità e zelo* ».

Deinde monet tali iurispatronatus exercitio prospici optime posse electione digni Pastoris « *perchè è sempre il Vescovo che deve riconoscere e dichiarare gl'idonei al beneficio* » maxime quia in Sacerdotum penuria « *potrebbe facilmente accadere che, pel concorso della nuova parrocchia erigenda la quale ha bensì una sufficiente ma non pingue*

prebenda, un solo ed anche niun concorrente si presentasse, e nascessero perciò dubbiezze e ritardi nella nomina del nuovo Parroco ». Hinc preces fundit « *a volere aderire al desiderió così dei Priori della Cappella di S. Giovanni Battista del Bessolo che dell'Illmo e benemerito Patrono Conte Roberto Perrone di conservare intatti i loro diritti suaccennati nella nomina del Parroco della erigenda Parrocchiale; e per secondare le mire di una proprietaria del Bessolo, la quale fece e fa sacrifizi per ottenere l'erezione della Parrocchia in vista del molto bene spirituale che ne ridonda a quella popolazione, la quale per ogni ritardo nell'erezione di essa Parrocchia ne avrebbe, come già ne ebbe, a soffrire non lievi danni per incagli frapposti dall'autorità civile e potrebbe forse per tali danni ritirare le generose sue offerte, e rendere così impossibile la bramata erezione della nuova Parrocchia* ».

Itaque acceptis Parochi deductionibus, quibus pro aris et focis novae Parochiae erectioni obsistit, atque actis de more completis causam iussi ponere in folio, praesentemque diem pro ipsius discussione statui nonnullis prius, uti fieri solet, tum in iure tum in facto adnotatis.

Neminem latet quantopere SS. Canones a beneficiorum maxime parochialium dismembratione abhorreant, utpote quae alienationis speciem praesefert, atque ideo odiosissima in iure reputatur *Abb. in cap.* 3 *Ad Audient. De Eccles. aedif., Reiffenst. lib.* 3 *Decret. tit.* 48 §. 2, *Amostaz De caus. piis lib.* 5 *cap.* 3. Nullatenus igitur ad hoc dismembrationis remedium deveniri debet, quoties exulat canonica causa, quae in actis per legitimas probationes constare debet, ita ut sola Episcopi assertio non sufficiat *Card. De Luca De benef. disc.* 45 *num.* 6, et *disc.* 35 *de Paroch. num.* 6, *Rota coram Othobon. decis.* 6. Causae autem canonicae pro dismembratione Paroeciarum decernenda in necessitate vel evidenti Ecclesiae utilitate consistunt, veluti fluit ex Tridentini dispositione in *sess.* 21 *cap.* 4 *De Reform.* docentque *Rebuff.* in sua *praxi tit. De revoc. union. num.* 6, *Reclusius De re paroc. part.* 1 *tit.* 12 *num.* 63, *Rota part.* 4 *decis.* 68 *num.* 15, *et part.* 10 *decis.* 224 *num.* 4 *recent.*

Sed in themate neutra verificari videtur. Abest sane necessitas sive a magna distantia, sive a viarum emanans asperitate. Locus namque *Bessolo* aeque ac alter *Masero*

vix uno distat lapide a Parochiali Ecclesia. Talem vero distantiam satis non esse ad inducendam novae parochiae necessitatem docet Fagnanus in *cap. Ad audientiam De eccl. aedif. n.* 23, centiesque retinuit S. O. V., quemadmodum caeteris missis videre est in *Lancianen.* 18 *Novembris* 1747, et in *Novarien. Dismembrat.* 12 *Augusti* 1747 *conf.* 18 *Novembris eiusdem anni*. In quarum postrema reiecit preces pro paroeciae dismembratione oblatas, licet ageretur de trium milliarium distantia iuncta cum nulla securitate viarum.

Neque secus dicendum de viarum asperitate; quandoquidem via, quae ad parochialem ducit Ecclesiam omnibus numeris absoluta manet pro facili ad eamdem accessu. Ipsa enim non difficilis, non ardua vel torrente aut flumine interiecta extat ita, ut nec Parochianos impediat hyemali praesertim tempore Ecclesiam petere sine evidentissimo vitae discrimine, nec Parochum illuc contendere pro Sacramentorum administratione occasione infirmitatis, quod alteram necessitatis peragendae dismembrationis causam suppeditaret, ex Tridentino *sess.* 21 *cap.* 4 *de reform., Rota decis.* 484 *num.* 3 *part.* 10, *decis.* 224 *num.* 6 *et* 8 *part.* 17 *rec.* S. Congr. in *Ianuen.* 6 *Ianuarii* 1694 *lib.* 44 *Decret. pag.* 5, *Puteolana Erectionis Paroeciae* 18 *Ianuarii* 1701 *lib.* 51 *Decret. pag.* 340, *Novarien. Divis. seu Dismembr.* 20 *Septembris* 1760.

Audiatur sane Parochus hucusque dicta confirmans: « Questa borgata dista dalla Chiesa matrice un miglio e « non circa tre chilometri; come fu riferito da non pe- « riti. La via di comunicazione tra il Paese ed il Bessolo « è ampla, sana, non traversata da fiumi o torrenti, senza « pericoli in ogni stagione, sempre tenuta in ottimo stato « a spese del Comune, talchè i Borghigiani di colà pos- « sono facilmente e sempre accedere alla loro Chiesa ma- « trice.... La gerenza mia della Parrocchia di Scarma- « gno dura da ventinove anni a questa parte, pare perciò « che tale mia esperienza possa meritar fede. Il Masero « altra Borgata di Scarmagno dal centro del Paese egual- « mente che il Bessolo dista un miglio, la via che pone « questa borgata in comunicazione col suo centro è pari- « menti ampla, sana, non traversata da torrenti ecc. te- « nuta in ottimo stato a spese del Comune, onde gli abi- « tanti di colà a loro talento possono intervenire, come « sempre intervengono alle sacre funzioni parrocchiali ».

Quare unica ratio dismembrationis ad solam utilitatem reduceretur, quae praecisa evidens atque absoluta esse deberet iuxta *cap.* 1 *De Rebus Eccles. non alien. in* 6 et *Loth. De Re benef. l.* 1 *cap.* 28 *n.* 30. Ast, si unam excipias in casu viciniorem Parochi praesentiam, nulla alia utilitas Oratoribus incolis obvenire potest. Nunc temporis enim nihil ipsis in spiritualibus deest, nusquam queruntur aliquem absque sacramentis decessisse. In loco *Bessolo* adest Ecclesia cum beneficiato qui Missam celebrat diebus festis, atque fidelium Confessiones audit. In altero *Masero* pariter beneficiatus residet, qui ex fundatione tenetur et Missam in Sacello D. Eusebio dicato diebus festis celebrare et catechesim pueris tradere. Qui porro beneficiati etiam in casu urgentis necessitatis valerent Parochi munia obire, quin necesse sit ad odiosum dismembrationis remedium deveniendi. Quapropter cum utilitatis ratio neque evidens, neque praecisa, neque absoluta esse videatur Oratorum preces in totum reiiciendae viderentur, cum ipsae ambitiosam pietatem praeseferre videantur ad hoc, ut matrem deserant Ecclesiam.

Quam ambitiosam pietatem eo vel fortius coercendam putarem, quia, experientia ipsa teste, dismembrationum petitiones continuo pullulant cum detrimento ac dedecore matricis Ecclesiae; subinde aemulationes, invidia et populorum mutuum odium ac bellum ortum habent; quae omnia minime fovenda, ast essent indubie coercenda. In themate autem dismembrationem in matricis Ecclesiae detrimentum et dedecus redundare patet ex eis quae Parochus exponit: « I Signori Cappellani delle mie Borgate *Bessolo* e *Masero* « sono tenuti ad assistere alle sacre funzioni che il Par- « roco *pro tempore* di Scarmagno deve disimpegnare tratto « tratto nelle solennità occorrenti in ogni anno, altrimenti « in loro difetto, sarebbe necessario al Parroco *toties quo-* « *ties* (ipsiusmet sumptibus) ricorrere ai paesi circonvicini... « erigendo una nuova Parrocchia nel Bessolo, la Chiesa « antica Parrocchiale sarebbe per sempre privata di tale « servizio e di tale comodità. Quindi... la Parrocchia prin- « cipale perderebbe del suo antico splendore e decoro « che le compete come Chiesa matrice. »

Sed et ulterius non minora urgent. Siquidem, dismembrata Paroecia, damnum et forte irreparabile, obveniret Parochi congruae quae hodie, Oratoribus fatentibus, *consi-*

stit in *ettari* 30 *di terreno*. Imminet enim propositio legis, quae congruam pro paroeciis mille incolarum numerum haudquaquam excedentibus ad libellas 800 coarctaret, qua lege Parochialis in themate perculsa maneret. Audiatur sane Parochus: « Veggo che tratto tratto l'Incamera-
« mento de' beni Parrocchiali fa capolino.... Il progetto,
« come è, accorda la pensione di Lire 1500 alli Parro-
« chi che hanno una popolazione superiore al N. di 1000
« anime; alle Parrocchie inferiori al N. di 1000 accorda
« solo una pensione annua e perpetua di Lire 800 . . .
« Erigendo una nuova Parrocchia nel Bessolo . . . . la
« mia popolazione centrale si riduce al numero inferiore
« di mille anime. Eccoti di un colpo diminuita la pensio-
« ne di Lire 700 annue e perpetue ».

Neque praeteriri debet quod municipii rectores loci Scarmagni totis viribus Paroeciae divisioni obstant nedum ad simultates, lites et iurgia inter populum et populum vitanda, verum etiam ad novas expensas citra vires arcendas. Audiatur Parochus, qui hac in re eosdem sciscitatus est: « Il municipio di Scarmagno con sua deliberazione
« in seduta straordinaria diede un voto negativo all'ere-
« zione di una nuova Parrocchia al Bessolo . . . Il suo
« bilancio a oltranza gravato d'imposte non potrebbe reg-
« gere aggravi ulteriori . . . insopportabili alle forze del
« paese nel presente, e nell'avvenire, trattandosi massi-
« me di spese di culto, che certo riescirebbero indispen-
« sabili in avvenire ora per l'olio della lampada in Chie-
« sa dinanzi al SSmo, ora per cera, ora per l'brologio e
« campane, ora per il pulpito che ci manca, ora per il
« dilatamento della Chiesa stessa ed accessori, ora per il
« Cimitero che non ci è. »

Verumtamen dato, at numquam concesso, quod sit in casu deveniendum ad dismembrationem, tamen numquam permitti posse videtur ut locus *Masero* seiunctus ab Ecclesia matre uniatur novae erigendae Paroeciae. Quod et ius, et congruentiae ratio suadet. Ius quidem, monendo dismembrationem odiosissimam esse, exigit ut minus quam fieri potest dismembrandae Ecclesiae praeiudicium afferatur. Congruentia vero, quia ipsa non patitur ut incolae *Masero* Bessolum petant pro explendis religiosis actis, et dein Scarmagnum contendant pro actorum civilium implemento. Hinc est quod ipsi hac de re querantur habi-

tatores, suasque preces tum Ordinario Ipporegiensi, tum civili gubernio obtulere, ne a Paroecia Scarmagni separentur; ita adnotante Parocho: « La borgata Masero. . . .
« un anno fa ha sporto... un suo memoriale anzi due me-
« moriali sottoscritti dai capi di famiglia e da altri suoi
« abitanti maggiorenni . . uno all'Ordinario della Dioce-
« si, e l'altro al Ministero di Grazia e Giustizia e Culti
« con cui . . . . protestò di non volere essere segregata
« dalla Chiesa Parrocchiale Matrice e di non volere per
« niun conto far parte della nuova Parrocchia erigenda
« del Bessolo come si tentava di fare.

« Nel Decembre 1877 . . . ripetè la medesima pro-
« testa al detto Ministero dicendo – Ove noi ci aggregassi-
« mo alla nuova Parrocchia nel Bessolo non avremo nes-
« sun vantaggio. Difatti per recarci colà dobbiamo vali-
« care una collina, e per sentieri lastricati di ghiaccio nel
« verno con grave pericolo di cadere . . . . Più se colà
« portiamo i Bambini al Battesimo, se andiamo per cele-
« brare il matrimonio se portiamo colà i morti . . . con
« doppio nostro incomodo dobbiamo ancora fare un viag-
« gio a Scarmagno per il voluto atto civile . . . Andan-
« do a Scarmagno per i nostri affari abbiamo molti van-
« taggi, strada migliore, soda, sana, senza pericoli di sorta
« e colà d'un colpo solo ci sbrighiamo di tutto: ove fos-
« simo al Bessolo sarebbe tutto all'opposto – ».

Sed contra perpendendum occurrit quod in iure quanta esse debeat conciliaris distantia pro dismembratione peragenda definitum adhuc non est; ideoque iudicis arbitrio relinquendum docet *Fagnan. loc. cit. num.* 18 *in fine;* maxime vero deferendum hac in re Episcopi prudentiae tradit *Rebuff. in praxi benef. part. c.* 1 *de erect. in Cur. et Paroch.* cui profecto locorum indoles et sibi commissi gregis necessitas atque utilitas magis quam alteri cuilibet notissima merito censentur. Graviter subinde erraret qui, nisus quibusdam S. Congregationis declarationibus, vel Rotae decisionibus, vel quorumdam doctorum sententiis, in sola litera procederet pro nova Paroeciae erectione statuenda vel deneganda, veluti optime perpendit *De Luca Adnot. ad Conc. Trid. discept.* 16 *n.* 2 *et Lauren. for. benef. tom.* 1 *quaest.* 154 *num.* 4. Cum enim quaestio haec nudi facti sit, ex individuis circumstantiis singulorumque casuum particulari qualitate decidenda est. Notum namque est san-

ctam matrem Ecclesiam optime tenentem salutem animarum pro suprema lege, Parochumque populo, non populum Parocho dari disciplinares suas ordinationes ad varias etiam temporum vices attemperasse, ut inquit *Thomass. de nov. et vet. discipl. part.* 1 *lib.* 1 *cap.* 48 *num.* 17, *lib.* 3 *cap.* 56 *num.* 19, *et part.* 2 *lib.* 1 *cap.* 45 *num.* 13 *et* 14. Unde fit, quod etiam pro maiori populi commoditate dismembrationes concessit, ceu legitur in *Laquedonien. Dismembrationis Paroeciae* 16 *Dec.* 1876 §. *Addit.*

Hisce in iure praemissis, in facto considerari debet praefatos vicos uno milliario cum dimidio a propria Paroecia distare, veluti S. Congr. referunt Oratores, via quae ad ipsam ducit collis radices lambit ita ut, eveniente nivium dissolutione, aut imbre furente, sit prorsus difficilis. Quod res ita se habeant, probant ipsius gubernii exemplo, quod, hisce de causis, distantia nempe locorum et viarum asperitate preces incolarum benigne excepit, mandavitque Scarmagni Communitati ut, et expensis totius Communitatis in adolescentium instructionem Bessoli aperiretur schola, atque assensum praebuit ut ibi officina aperiretur vulgo *di sale e tabacco*. Qua posita distantiae ratione, viarumque asperitate hiberno praesertim tempore neminem latere potest iustam necessitatis causam peragendae dismembrationis reperiri. Quandoquidem, ut quis posset suum convenire Pastorem, inter gelidas nives, vel sub ardenti canicula solis eundo et redeundo tria passuum millia percurrere deberet, quod fortem fastidiret virum, ac difficile pericolosumque esset pueris, debilibus foeminis et senibus, qui numquam pastoris vocem audirent. Quare et ipse praedefunctus Antistes exponebat: « *il bisogno* il vantaggio della chiesta erezione di Parrocchia nella Borgata del *Bessolo* Comune di Scarmagno sono *incontestabili* ».

At si parumper placeat nostrae aetatis ingenium spectare, quando incautae iuventutis depravati sunt mores, atque permulti furunt lupi gregem devorare pertentantes, ni absolutam necessitatem, evidentem utilitatem saltem invenies multiplicandi Pastores. Quod autem et in themate hac de re non levia lamentantur mala praestat ex Oratorum deprehendere verbis: « I pochi, che si recano a Scarmagno per non fare e rifare quattro volte la lunga e cattiva strada, dopo le funzioni del mattino fermansi a Scarma-

« gno, e troppo spesso passano il tempo a giuocare e « sbevazzare nelle osterie. I padri e le madri non poten« do sempre accompagnare i figli, e soprattutto le figlie, nel « lungo tragitto, queste particolarmente corrono rischi non « pochi, i quali divengono ogni dì più gravi per la ogno« ra crescente corruttela dei costumi ». Mala autem quae ab incolis praevidentur, de facto evenire testatur Capitularis Vicarius, qui, sede vacante, datis literis diei 23 Iulii 1878 retulit: « Più d'una volta mi accadde d'imbat« termi in crocchi più o meno numerosi di giovanetti e « zitelle che usciti dalle funzioni Parrocchiali restituivan« si alle Cascine più o meno lontane di loro abitazione, « e vedere ad un tempo infiltrarsi fra di loro giovinastri av« vinazzati e scostumati prorompere in discorsi e tratti in« decentissimi, che mi obbligavano ad esclamare: felici le « popolazioni che hanno la Parrocchia nel concentrico di « loro abitazione! »

Praeteriri ulterius non debet quod, nova erecta paroecia, nonnulla stabilia beneficii S. Ioannis intacta remanerent adnexa nempe domus cum viridario, quae tractu temporis et ipsa in perditionem abirent. Imo et caetera beneficii bona servarentur. Recognita enim a gubernio nova Paroecia, etiam congrua pro Parocho sufficiens sarta tectaque maneret, quae ex liberalitate viduae Revelli constitueretur in annuis libellis 800, et etiam mille, si tesserarum Consolidatus valor non excrescat. Verum est quod ipsa pro hoc annuo reditu omnia ferme beneficii stabilia acquireret, sed dum ex una parte venditio vitari non potest, id exquirente gubernio, ex alia Ecclesiae utilis est, dum neque ad hoc patronus, neque beneficiatus, neque Episcopus obstaculum ponat, imo tam hic, quam ipsius praedecessor, enunciando hanc mulierem tamquam insignem benefactricem, ostendunt venditionem maxime utilem esse, et stante evidenti utilitate Ecclesiae bona ad ipsam spectantia alienari posse docet Petra in *Comment. ad Constit.* 1 *Leonis Magni sect. 4 num.* 110 111 121 et 147.

Neque turbat obiectio a Parocho producta circa suae congruae diminutionem, quatenus lex, quam imminere dicit, edatur. Siquidem Vicarius Generalis Episcopi nomine huic difficultati occurrit observans « esser dubbio assai « che la progettata legge sia per essere approvata nella « forma proposta già dall'antico Ministero nella tornata

« 27 Marzo 1877. Inoltre è da osservare che in detta « legge... l'assegno della Congrua Parrocchiale non si fa « per nulla dipendere dalla popolazione maggiore o mi- « nore, ma bensì unicamente dal maggiore o minore « prezzo ricavato dalla vendita dei beni Parrocchiali di- « stinguendo le Parrocchie in tre categorie – Cat. 1. Par- « rocchie aventi una rendita inferiore alle L. 800 – « Categ. 2. aventi una rendita superiore a Lire 800, ma « inferiore a Lire 2000 – Categ. 3 aventi una rendita « superiore a Lire 2000 –.

« La Parrocchia di Scarmagno, che ha una congrua « di oltre novanta giornate, dovrebbe appartenere alla « terza categoria, ma sul riflesso che tali giornate, per la « massima imperizia del Parroco delle regole di buona « amministrazione, trovandosi in cattivo stato non sarà stata « consegnata dai Parroco nella consegna per la tassa di « manomorta che per una rendita di fr. 1200 a 1500 al « più, in questo caso da informazioni prese mi venne « a risultare che il prezzo di detti beni non potrà a me- « no di superare i franchi cinquanta o sessanta mila, ep- « però tale capitale ridotto a rendita assicurerebbe al Par- « roco di Scarmagno dapprima la rendita intiera da lui « consegnata; ed il soprappiù della rendita, sarebbe divisa « in due parti eguali, una delle quali sarebbe assegnata « in aumento della congrua Parrocchiale sino alla concor- « renza di franchi 2000 e non più, l'altra metà sarebbe « assegnata al comune. È adunque infondato il timore « espresso dal Parroco di Scarmagno ».

Post haec nil dicendum puto de Municipii Scarmagni contradictione. Ipsa enim eatenus subsistere videtur, quatenus municipium novas non valeret expensas perferre. At de hoc neque incolae loquuntur, qui e contra referunt ipsosmet creasse « *un'annua rendita per dote della Chiesa e Sagrestia* » neque Episcopus obmussitat, qui imo ait: « *La Chiesa è libera, ampia, decorosa fornita di supellettili ed ornati abbondantemente con redditi sufficienti di Fabbriceria secondo l'uso della Diocesi* » ita ut asserere potuerit « *supposto eziandio che occorresse di dare qualche somma al Parroco di Scarmagno, la fabbriceria della Chiesa del Bessolo può prestarvisi* ».

Minusque officere videtur quod refert Parochus novae paroeciae haud locum *Masero* adiudicandum esse. Dum

enim ex una parte incolae illius loci percupiunt novae adiungi paroeciae, uti factum probat, nos edocens Episcopum una cum incolis *Bessolo* ad hoc contendisse, ex altera asseritur, at contradictio non probatur. Praeter enim vividam hypotyposim de eorum reluctantia a Parocho peractum, nihil aliud in actis invenitur, neque a longe ipsam indigitat Episcopus, penes quem incolas institisse ad hoc asserit Parochus. Et certe inveniri nequit, cum locus iste ipsis commodior est. Ad rem Capitularis Vicarius in superius recitatis literis: « Quanto « afferma il Signor Prevosto relativamente alla Borgata « Masero è contraddetto dai seguenti fatti durati costanti « da dieci e più anni: 1° La Borgata Masero non va a « Scarmagno, ma al Bessolo per la provvista di sale e « tabacco di cui abbisogna: 2° Manda alla scuola del Bes- « solo e non di Scarmagno i figli e le figlie: 3° Non a « Scarmagno, ma al Cappellano del Bessolo chiede i con- « forti religiosi nelle gravi infermità » qui, ut exponunt incolae Oratores, « *comecchè non obbligato rende loro volentieri tali spirituali servigi* ».

Hisce expositis, videant EE. VV. ea qua praestant iuris sapientia et religione quonam responso sequens dimittendum sit

DUBIUM

An et quomodo sit locus dismembrationi veteris et erectioni novae Paroeciae in casu.

Dilata ad proximam.

Sess. 22 cap. 9 de Reformat.

ACHERUNTINA PRAECEDENTIAE. = In terra Antii Acheruntinae Archidioecesis duae extant canonice erectae Confraternitates laicales, quarum altera a Sanctissimo Sacramento, altera vero a S. Maria Dolorosa nuncupatur. Controversia de praecedentia in funeribus et processionibus inter easdem paucis abhinc annis exorta, ad parandam causae discussionem Archiepiscopalis Curia delegavit Archipresbyterum illius loci = *a prendere cognizione della*

questione =. In contumacia Sodalitii SSmi Sacramenti Archipresbyter sub die 5 Septembris 1876 pro Confraternitate SSmae Dolorosae instante pronunciavit. Mox tamen ad recursum Sodalitii succumbentis, atque hoc exhibente in originali decretum suae erectionis antiquius datum praeseferens diei 8 Augusti 1777, (dum ipsum documentum in copia ab adversariis exhibitum datum ferebat 7 Ianuarii 1778) revocato primo decreto, sub die 11 Iunii 1877 pronunciavit pro Sodalitio reclamante. Re iterum ad eamdem Curiam a Confratribus SSmae Addoloratae deducta, exhibito ab illis eorumdem erectionis originali anteriori decreto (in quo tamen nonnullae apparent in datis arabicis abrasiones), Vicarius Generalis sub die 27 Februarii 1878 definitivam sententiam Confraternitati SS. Sacramenti inimicam pronunciavit tenoris sequentis: « Pronunciamus . . . . . Confraternitati S. Mariae Addoloratae deberi praecedentiam in processionibus quae fiunt sive causa funerum, sive aliarum solemnitatum super Confraternitate SS. Sacramenti, salvo iure isti debito ex Regio Decreto sive rescripto diei vigesimi tertii Augusti anni 1843 in processionibus Corporis Christi.... »

Ab hac sententia Sodales huius Confraternitatis ad S. V. O. appellarunt. Quapropter die 11 Maii 1878 de more rescripsi: « *Archiepiscopo pro informatione et voto* ». Rmus Praesul ea qua par erat sollicitudine acta processus ac informationem transmisit, in qua totus in eo est, ut sententiam Vicarii Generalis utpote iniustam refutet. Audiatur sane: « Sull'esposto poi della Confraternita del SSmo Sacramento nell'acclusa, che mi pregio restituirle, sottometto alla sapienza degli Emi PP. il mio avviso, che la precedenza è dovuta a detta Congrega, non già a quella dell'Addolorata, come opinava il già mio Vicario Generale Monsig. Barretta.

« Difatti la Confraternita dell'Addolorata in Anzi (la quale si è spinta tant'oltre fino ad usurpare il titolo di Archiconfraternita senza alcun valevole appoggio) esibendo il suo titolo di fondazione in carta pergamena, in cui riscontrasi in tutte lettere la seguente data – Datum Neapoli die septima mensis Ianuari Millesimo septingentesimo septuagesimo septimo – (mentre le cifre numeriche, che seguono sono viziate) si fece a pretendere dopo un secolo la precedenza sull'altra Confraternita eretta pari-

« menti in Anzi in data del dì 8 Agosto 1877 sotto il ti-
« tolo del SSmo Sacramento.

« A sì nuova protesa, dovette a buon dritto preoc-
« cuparsi quest'ultima Confraternita, la quale affrettossi a
« domandare dal Grande Archivio di Napoli un estratto
« legale del titolo di fondazione rilasciato a favore della
« Confraternita dell'Addolorata, per esibirlo, come fece,
« a questa Curia Archidiocesana. – Fu allora che la ri-
« petuta Confraternita dell'Addolorata dovette non più in
« copia, ma in originale esibire eziandio il suo diploma
« in carta pergamena, tutto viziato ed in diverse guise
« alterato.

« Dal confronto istituito tra la detta pergamena e
« la copia di essa rilasciata dal grande Archivio di Napoli,
« è dato apprendere quanto appresso:

« 1° I mentovati due documenti, relativi entrambi
« alla Confraternita dell'Addolorata, sono concordi nello
« stabilire, che nel giorno 4 dell'anno 1778 il Cappella-
« no Maggiore emetteva la sua relazione, senza di cui,
» giusta la pratica allora in vigore, la Real Camera di
« S. Chiara non avrebbe dato i suoi provvedimenti sulla
« istanza di quel nascente Sodalizio.

« 2° Entrambi son pure concordi nel rifermare una
« seconda data, quella cioè del 7 Gennaro 1778, quando
« la R. Camera di S. Chiara ordinò che si fosse rilasciato
« il privilegio di Regio Assenso.

« 3° Discordi son poi i due ripetuti documenti nel
« fissare l'ultima data che precede la firma reale. – In
« effetto nell'estratto dal Grande Archivio va detto – die se-
« ptima mensis Ianuarii 1778 – e nel diploma in carta
« pergamena leggonsi per esteso le seguenti parole: – Da-
« tum Neapoli die septima mensis Ianuarii Millesimo se-
« ptingentesimo septuagesimo septimo. – L'istesso millesimo
« va ripetuto immediatamente in cifre arabe, ma esse sono
« viziate. – Ed è intanto degno di nota il seguente fatto.

« Quando nel 1868 questa Curia si fece a richiedere
« dalla Confraternita dell'Addolorata da poco ripristinata
« una copia del suo titolo di fondazione, gli attuali Con-
« fratelli non tardarono a presentarla, ed in essa dopo
« la data in tutte lettere innanzi trascritta, segnarono que-
« ste cifre 1778. – Ciò prova che in allora viziato non
« aveano il diploma in pergamena, appunto perchè dieci

« anni innanzi non per anco si era suscitato in essi il « maligno spirito di dissenzioni e controversie.

« Dietro gli esposti fatti trovandosi cioè concordi due « documenti nel fissar nettamente due date, cioè quella « 3 Gennaro 1778 apposta alla Relazione del Cappellano « Maggiore, e quella del 7 Gennaro 1778 apposta all'*ex-* « *pediatur* del Sacro Regio Consiglio di S. Chiara, pare che « niun dubbio resti per ammettere che soltanto nel 1778 « al Sodalizio dell'Addolorata fu attribuita la propria en- « tità giuridica, e non già un anno innanzi, cioè nel 1777 « come dal medesimo si pretende. – Nè debbasi trasan- « dare un'altra osservazione. – Dall'estratto del Grande « Archivio scorgesi nettamente che in data del 18 Novem- « bre 1777 la R. Camera di S. Chiara trasmetteva alla « Curia del Cappellano Maggiore le Regole del Sodalizio « dell'Addolorata con l'incarico di rivederle e riferire. – « E quest'ultimo infatti emetteva la sua relazione nel se- « guente Gennaro 1878. – Ebbene l'or segnata epoca del « 18 Novembre 1777, che nella specie sarebbe come « punto di partenza per determinare lo sviluppo e la se- « quela de' posteriori fatti di procedura fissati con le pram- « matiche del tempo, nel diploma in pergamena è inin- « telligibile, perchè viziata.

« Se a tutte queste considerazioni si fosse attenta- « mente portata la mente del giudicante, forse il suo ani- « mo sarebbesi piegato a diverso opinare: ma se per « mala ventura detta ingiustizia (non mai per errore di vo- « lontà ma errore d'intelletto) siasi commessa, a tanto danno « saprà provvedere la illuminata saviezza del Tribunale « superiore ».

Hisce in facto ab Episcopo constitutis pro sententiae infirmatione perpendi debet in iure, quemadmodum in themate verificatur, quod in materia de praecedentia dignitas in primis attendenda est, ita ut semper illa dignioribus prae minus dignis danda sit; *Barbosa in Summ. Apostol. dec. verb. Praecedentia n.* 2 cum communi canonistarum *S. Rituum Cong. in una S. Severinae* 1 *Septembr*. 1607. Hoc in genere; in specie autem quoad Confraternitates laicorum respectu processionum tam publicarum quam privatarum per specialem Constit. Gregorii XIII, quae incipit *Exposcit*, sancitum est, ut praecedentia tribui debeat iis qui in quasi possessione praecedentiae ac iuris prae-

cedendi reperiuntur iuxta vulgatam regulam: *Qui prior est tempore, potior est iure.* Consonat resolutio *S. Rit. Congr. in Nepesina 10 Maii 1608, et in Thelesina 19 Martii 1611.* Quod si constare non possit cuinam quasi possessio assistat, tunc ii praecedere debeant, qui prius saccis usi sunt. *Cit. Constit. et S. Rit. Congr. in Thelesina 24 Iulii 1638,* et in *Ravennaten. 21 Iulii 1661 Rota decis. 779 num. 1 coram Merl. et Panimoll. decis. 1 num. 2.* Concordant *Constit. 139. Urbani VIII et Instit. Eccles. 105 Benedicti XIV.*

Neque subsidium captare valent Confratres S. Mariae ex eo quod in diplomate papiraceo reperiatur adscripta dies 7 Ianuarii 1877 quo eorum Sodalitas erecta praetenditur; datum enim huiusmodi, sicuti et coetera data in eodem diplomate contenta in cifris arabis corrupta, abrasa omnino inveniuntur, ut notat Antistes; quin imo eamet longe diverso atramento confecta sunt, quemadmodum cuique conspicienti primo apparet obtutu. Quin imo si quis attente in dato arabico in calce posito oculos defigat, difficile haud erit vestigia cifrae 8 abrasae reperire, cui cifra 7 posteriori tempore et diverso atramento substituta est. Quae omnia de falsitate et corruptione arguunt documentum ipsum, quod proinde nullam prorsus fidem promereri videtur, cum fraudis vehementem praesumptionem inducat contra interesse habentes; et solemne in iure est, quod nemini sua fraus patrocinari debet. *Rota dec. 12 num. 4 de censib. coram Falconerio per text. in l. Si itaque 12 ff. de furtis et in l. 13 ff. de dolo.*

In perdita tamen hypothesi, quae allatum documentum authenticum esse demonstraret, adhuc sodalitatis SS. Sacramenti ius imperturbatum remaneret circa ius praecedendi. Ex nuperrimo enim documento ad acta exhibito constat eamdem iam ab anno 1539 extitisse, dum eo tempore Paulus PP. III suo Brevi gratias et indulgentias memoratae sodalitatis confratribus largitus est. Ac per hoc cum ipsa ab auctoritate civili forte fuerit suppressa, quemadmodum et adversarii de ipsismet contendunt, dicendum haud est propria iura amisisse, sed eadem potius recuperasse iure postliminii ex *L 19 ff. De captiv. et Postlim. rever.* Sodalitas enim, quae Ecclesiae auctoritate, personam et iura accepit, quidquid saecularis potestas aut externa vis quaelibet moliatur, numquam iuribus aut persona pri-

vari potest absque legitima Ecclesiae definitione, ceu de collegiis agens docet *Piton. Discept. Eccles.* 8 *n.* 17.

Omnis autem arcetur difficultas, si observantiam attendas, quae totum facit in praecedentiae materia, ceu notat *Rota in recent. part.* 18 *decis.* 781 *num.* 5, *et decis.* 232 *num.* 2 *coram Olivatio*, quaeque proinde non de facili est alteranda, cum novitates nonnisi cum scandalo inducantur ob elegantem rationem *D. Augustini in epistola* 118 *cap.* 5 *ad Inquisit. Ianuar.*, nimirum quod *ipsa mutatio consuetudinis quae adiuvat utilitate, novitate perturbat. Rota in Hispalen. Processionis super* 2 *dubio* 28 *Iunii* 1700 §. *Et sane et seqq. coram Ansaldo.* Cum itaque in themate, teste Episcopo in informatione ad S. V. O. data observantia stet favore Confratrum SS. Sacramenti, ambigendum non videtur, quod ipsi in huius iuris quasi possessione sint manutenendi. Maxime quia observantia in casu est centenaria; ait enim Rmus Praesul: « La « Confraternita dell'Addolorata si fece a pretendere dopo « un secolo la precedenza sull'altra Confraternita eretta « parimente in Anzi in data del dì 8 Agosto 1777 sotto « il titolo del SS. Sacramento ». Iamvero centenaria possessio imperturbabilis est, titulum enim legitimum suppeditat, ac, ut aiunt, meliorem de mundo, et omnem penitus dubitandi causam removet. *Rota in recent. decis.* 678 §. 12 *coram Odescalchi; decis.* 715 *coram Martinez.*

Ex altera vero parte qui iura tuetur Confraternitatis S. Mariae a Doloribus, ex triplici ratione contendit huic Confraternitati adiudicandam esse praecedentiam, nimirum: 1° ex anterioritate canonicae erectionis; 2° ex anterioritate restitutionis; 3° ex eo quod obtinuerit et iuridice possederit privilegium tituli Archiconfraternitatis. Ad primum quod attinet, patronus affirmat Confraternitatem S. Mariae iam ab anno 1586 canonice erectam fuisse, et vitam iuridicam habuisse usque ad annum 1770, per centum nempe et octoginta quatuor annos, quo tempore a gubernio suppressa fuit. Ex quo infert bis centenariam possedisse canonicam erectionem, quae melior titulus de mundo dici debet, aequalem habens auctoritatem ac ipsa lex vel Apostolicum privilegium. *Rota in decis.* 1352 *num.* 6 *coram Lancetta; Card. De Luca de benef. tom.* 12 *disc.* 32 *num.* 2 *et* 4; *Schmalzgrueber tom.* 1 *part.* 1 *tit.* 4 *num.* 31; S. H. C. in sexcentis resolutioni-

bus ac praesertim in *Nullius Sublacen. Iurium Parochialium* 29 *Ianuarii* 1825 §. *Rationabilis.*

Quin relevet per legem *ammortizzationis* a gubernio latam anno 1770 suppressam fuisse; suppressio enim huiusmodi nihili facienda est, utpote quae a non habente competentem auctoritatem processit, ideoque iuridica existentia Confraternitatis S. Mariae nullimode interrupta dicenda videtur, quamvis per praefatam laicam legem coacta fuerit regium assensum exposcere, et illum non obtinuerit nisi die 7 Ianuarii 1777.

Ast dato et nunquam concesso, quod rite et recte suppressa fuerit, causa et conditio Confraternitatis SS. Sacramenti nullum persentiret levamen, cum eiusdem erectio obvenerit tantum die 8 Augusti anni 1777, scilicet post varios menses a restitutione illius Beatae Virginis Addoloratae, quae iterum excitata fuit Reali decreto die 17 Novembris 1776 edito, etsi publicato die 7 Ianuarii 1777. cum in decreto fuerit provisum ut ipsa iuridicam existentiam habere deberet a die emanationis realis assensus. Iamvero canonistae omnes unanimi ferme consensione tenent praecedentiam deberi cui maior praeeminentia dignitatis vel gradus competit; deberi ei cui favet prioritas temporis inter aequali dignitate vel gradu condecoratos. Cum igitur Confraternitas S. Mariae habeat anterioritatem temporis sive quoad erectionem sive quoad repristinationem, eidem omnino competit praecedentia super Confraternitate SS. Sacramenti. Eo vel magis quia eamet suppressa mansit de anno 1846 et non per legem generalem, sed per indebitam pecuniae appropriationem, fuitque solummodo in pristinum restituta anno 1854.

Quidquid autem hac de re sit, quidquid de rasuris, quae in diplomate restitutionis Confraternitatis S. Mariae inveniuntur: illud unum certum esse dicit, quod hae rasurae minime in parte dispositiva diplomatis, sed in accidentali inveniuntur; ex quo fit ut ipsum diploma falsitatis nota argui nequeat. Pars autem substantialis est postremum datum diplomatis, quod quidem prae coeteris attendendum est; ibi enim extensis et nitidis litteris legitur « *Datum Neapoli in Regio Palatio die supradicta septima Mensis Ianuarii Millesimo septingentesimo septuagesimo septimo* ». Ex quo concludit orator nihili faciendum esse datum diei septimae Ianuarii anni millesimi septingentesimi septuagesi-

mi octavi quod in alia parte diplomatis habetur, ac spernendas esse rasuras omnes quae inibi passim inveniuntur.

Postremo loco contendit orator praecedentiam deberi digniori prae minus dignis; in themate autem digniorem habendam esse Confraternitatem S. Mariae utpote Archiconfraternitatis titulo decoratam. Hoc autem ut probet, in defectu rescripti originalis quo privilegium huiusmodi a Rege concessum fuit in vim concordati, copiam affert eiusdem, quae apud publicum Notarium asservatur, quaeque datum habet diei 7 Iunii 1777, ac insuper auctoritatem invocat Archiepiscopi Zunica qui in rescripto confirmationis privilegii Sodalitium appellat Archiconfraternitatem.

Quaquaversus igitur, concludit Orator, res spectetur, luce meridiana clarius apparet, sive prioritate temporis, sive praeeminentia gradus et dignitatis inspecta, praecedentiam in funeribus et processionibus spectare ad Confraternitatem S. Mariae a Doloribus prae Confraternitate SS. Sacramenti.

Hisce utrinque perpensis, videant EE. VV. quonam responso dimittendum sit

DUBIUM

An sententia Curiae Acheruntinae diei 27 Februarii 1878 sit confirmanda vel infirmanda in casu.

Negative ad primam partem, affirmative ad secundam et amplius.

BARBASTREN. SUPER CONCURSU AD PRAEBENDAS MAGISTRALEM ET DOCTORALEM. = In Bulla erectionis Cathedralis Ecclesiae Barbastrensis a S. Pio V edita aperte praescribitur ut assumendus ad Magistralem praebendam, cui, ex ipsius Bullae dispositione, duo adnexa sunt officia Poenitentiarii et Lectoris, in Theologia Magister foret, atque ad aliam Doctoralem Doctor esset in Decretis. Hac tamen minime praescriptione obstante necnon exemplis de anno 1805 ac 1814, in quibus Licentiati, exercitationis tantum gratia ad concursum pro alterutra vacante praebenda admissi fuerunt, statuta specialia pro hisce cano-

Sess. 24 cap. 8 et 12 de Reform.

nicatibus edita sunt de anno 1853 atque Episcopi auctoritate confirmata. In hisce porro perlegere datum est. « Il « Canonico Magistrale deve essere Dottore o Licenziato « in S. Teologia . . . – Il Canonico Dottorale che sarà li« cenziato o Dottore in diritto Canonico o civile ». Ex hac discrepantia ancipites subinde haeserunt Capitulares, qui ut certam regulam obtinere possent ad S. V. O. confugerunt enixe declarari expostulantes num licentiati ad concursum admitti possint pro assequendis in futurum vacantibus memoratis praebendis: « Il Capitolo de« sidera sapere, se, conforme i citati Statuti, può ammet« tere al Concorso per i Canonicati Magistrale e Dottorale « quelli che solo abbiano il grado di Licenziato » seu potius « se trovasi nel caso di esigere il grado di Dottore precisa« mente per provvista di alcuno dei due Canonici sopra« mentovati ».

Acceptas hasce preces perillustri meo Praedecessori Apostolico Nuntio remisi pro informatione et voto, qui S. H. O. iussa protinus exequens sub die 13 Augusti 1877 retulit: « In seguito ad informazioni che ho attinte specialmente « dall'Emõ Sig. Card. Arcivescovo di Saragozza sono in « grado di riferire a Vostra Eminenza che sebbene il *di« ritto scritto di Spagna* prescriva per le riferite Preben« de il grado di Dottore, pure i Vescovi hanno sempre « ammesso ed ammettono al concorso indistintamente Dot« tori e Licenziati. Ed è da notarsi che sifatta pratica ha « avuto luogo non solo nell'epoca precedente al Concor« dato del 1851, in cui il grado di Licenza differen« ziava da quello di Dottore in quanto alla solennità estrin« seca e non agli studî fatti; ma ancora nel tempo suc« cessivo, in che il nuovo sistema de' studî richiede un « corso più lungo pel Dottorato che per il Licenziato.

« Tuttavia l'anzidetta osservanza non essendo diffor« me dal diritto comune, mio subordinato parere sareb« be, che il Capitolo ricorrente uniformandosi a questa « non debba escludere i Licenziati ».

Hisce in facto adnotatis in iure animadvertere nunc praestat ex una parte quod licentiatus satis ad memoratas praebendas per concursum optandas sufficiens esse videtur. Quandoquidem licentiatos venire nomine magistrorum et doctorum docet *Ferraris verb. Magister num.* 22 qui ulterius cum Alciato et Leandro tenet licentiatos iisdem,

quibus Doctores, frui privilegiis. Audiatur sane « Nomine « Magistrorum et Doctorum veniunt etiam Licentiati unde « et isti gaudent dictis privilegiis *Alciatus in L. Cui prae-* « *cipua De V. S.*, *Leander De privil. Doctorum part.* 4 *n.* 11 « et alii. Et ratio est quia Licentiati habent etiam illam « excellentem et legitime approbatam scientiam et doctri- « nam, bono communi servientem, propter quam prin- « cipaliter sunt concessa dicta et alia privilegia Magistris « et Doctoribus; ipsi enim Licentiati quamvis lauream Ma- « gisterii et Doctoratus non sint solemniter asseculi, ha- « bent tamen licentiam et facultatem proximam illam so- « lemniter consequendi, quoties velint, cum illa digni iam « sint rite et solemniter declarati. Unde pro eis stat illud « iuris » *Proxime accingendus habetur pro accincto; L. penult. ff. De testam. milit.*

Magis magisque roboratur argumentum ex dispositione Tridentinae Synodi, quae, uti notat *Ferraris loc. cit.*, in assequendis Dignitatibus et beneficiis Licentiatos aequiparat Doctoribus prouti statutum legitur in *sess.* 22 *cap.*2 *sess.* 24 *de ref. cap.* 12 *de reform.* et pressius pro casu nostro in *sess.* 24 *cap.* 8 *de reform.* ubi praecipitur, in cathedralibus Poenitentiarium esse instituendum *qui Magister sit vel Doctor aut Licentiatus in theologia vel iure canonico.* Nec minoris momenti fieri debet dispositio Bullae Sixti IV *Creditam nobis,* ex qua praefati canonicatus originem repetunt in regnis coronae Castellae et Legionis; necnon Motus proprius Leonis X eiusdem Bullae confirmatorius. In hisce enim Pontificiis dispositionibus ita pro memoratarum praebendarum assecutione Doctoris et Licentiati gradus comparantur, ut alteruter dissertissimis verbis satis esse dicatur. Praestat hac de re audire Rotam in *Toletana Canonicatus* 18 *Maii* 1584 *cor. Aldobrandino rel. a Garc. De benef. part.* 5 *cap.* 4 sub *n.* 165; *in quo breviter* -ibi- « Breviter dicendum « est per Bullam Sixti IV et motum proprium Leonis X in sin- « gulis Cathedralibus Ecclesiis Regnorum coronae Castellae « et Legionis erectum fuisse et institutum unum Canonica- « tum et Praebendam pro Doctore vel Licentiato in utro- « que vel altero iure, qui dicitur Doctoralis et alterum « pro Magistro seu Doctore vel Licentiato in Theologia, « qui dicitur Magistralis ».

Exposita argumenta maximam acquirunt vim ex eo quod tunc temporis, quando Piana Bulla edita fuit, Pro-

lytae gradus nonnisi quam in solemnitate extrinseca a Doctorali laurea differens erat, ita referente Apostolico Nuntio: « Nell'epoca precedente al Concordato del 1851...
« il grado di Licenza differenziava da quello di Dottore
« in quanto alla solennità estrinseca e non agli studii
« fatti ». Sed ea ipsa solemnitas, qua gradus iste conferri consueverat, in Hispaniis tanta erat ut De Luca licentiatum ea in regione Doctoratui aequiparari *De Praeem. disc.* 35 *num.* 7 docere non dubitet « licentiatura est solum qui-
« dam actus praeparationis Doctoratus, ut est in Italia,
« secus autem in Hispania ubi fit solemniter, ideoque
« doctoratui aequipollet ». Concinit idem Auctor *De Canonic. disc.* 33 *num.* 4., *Lotter. De benef. part.* 3 *cap.* 7 *num.* 35 *seqq.*

Hisce omnibus fastigium imponunt Constitutiones Capitulares, quae, licet non sint confirmatae a Sede Apostolica, vim tamen legis habent, et sunt exequendae in ea parte, qua minime adversantur iuri communi, S. Congr. in *Pisauren.-Cam.* 21 *Novembris* 1761 §. 2. Iamvero in themate adsunt Constitutiones Capitulares rite peractae et ipsius Episcopi accedente auctoritate obfirmatae, quae mandant ad concursum pro vacante Magistrali vel Doctorali praebenda assumendos esse indiscriminatim sive Doctores, sive Licentiatos. Cum ergo per easdem super Piana Constitutione interpretatio data fuerit magis iuri et consuetudini conformis, ceu ex dictis clarescit, ipsae omnimodo servandae essent. Fortius quia non maior certe idoneitas requiri dici debet pro obtinendis memoratis praebendis in Cathedrali, quam in Collegiata Ecclesia, qualis in praesens habetur Ecclesia Barbastrensis, teste Capitulo
« E da avvertire che sebbene questa Chiesa è Cattedrale
« di diritto, nondimeno siccome col recente Concordato
« debbesi ridurre a Collegiata, il governo civile la con-
« sidera come Collegiata nell'assegnamento del personale
« e delle rendite, essendovi soltanto due Canonicati di
« officio ».

Altera sed vero ex parte animadvertendum occurrit Pianam Constitutionem adeo in honore habendam esse, ut ad concursum pro vacante praebenda Magistrali vel Doctorali Barbastrensis Ecclesiae nonnisi quam Doctores debeant admitti. Cum enim Bulla hanc et non aliam interpretationem recepisse videatur, ab ea non est recedendum

ex *L. Minime ff. de legib., Afflict. decis.* 383 *num.* 8, *Gratian. discept. forens. cap.* 460 *num.* 22. Quod autem res ita se habuerit ipsimet testantur Capitulares qui referunt: « Ai 16 Settembre 1805 nel concorso al Dottorale si per- « mise esercitare soltanto *ad meritum* un concorrente, per- « chè solo avea il grado di Licenziato e negli Editti del « Concorso si era preteso quello di Dottore. Ai 20 Mar- « zo 1814 nel Concorso al Canonicato Magistrale non si « ammise uno per essere solamente Licenziato, e nò Dot- « tore secondo voleano gli Editti . . ; Rinunziò al diritto « che avrebbe potuto avere alla medesima e solo restò « abilitato coll'assenso dei concorrenti per esercitare per « merito ».

Et iure meritoque, quandoquidem et ius scriptum Hispaniarum hanc qualitatem exigit, ceu colligi fas est ex informatione Apostolici Nuntii; et de iure est, neque Magistri neque Doctoris nomine Licentiatos venire. Quidquid enim hac in re sentit Ferraris una cum Alciato et Leandro, certum est quod ipsorum opiniones ab aliis non minoris notae reprobantur Doctoribus. Unde in *addit. ex aliena manu* penes Ferraris *loc. cit. sub num.* 35 habetur: « Absolute verum haud est quod asserit auctor *num.* 22. « Licentiatos venire nomine Magistrorum seu Doctorum, « tum frui privilegiis omnibus iis concessis ». Quod et ex universali usu comprobatur, dum longius studiorum curriculum et eminentior doctrina tum verbo tum scripto per nova pericula experiunda requiritur ad consequendum magisterii, seu Doctoratus gradum, atque non in Licentiatorum diplomate, bene vero Doctorum tantum conceptis verbis legimus *Magistrum seu Doctorem declaravimus.*

Si igitur anteriori aetate ad assequendas per concursum praebendas, de quibus fit mentio, admissi non fuerunt prolytae, quamvis vix aut ne vix quidem ipsorum gradus ab illo Doctorum differens esset, potiori ratione hodie id dicendum esse videtur dum « *il nuovo sistema di studii richiede un corso più lungo pel Dottorato che per il Licenziato* » veluti refert Apostolicus Nuntius. Quamobrem si hac aetate in vita egissent ipse De Luca et Lotterius, haud certe affirmassent illuc hosce gradus aequipollentes esse.

Incassum autem fit recursus ad Tridentinam Syno-

dum; etenim ex eo quod ipsa mandat expresse ad dignitates et quaedam beneficia assequenda doctoratum vel saltem licentiam requiri, haud descendit Tridentinos Patres Prolytas Doctoribus aequiparare voluisse, sed tantum quod assumendi, sin doctorali laurea, proximiori saltem gradu insigniti forent. Dispositiones autem Bullae Sixti IV et Leonis X quae pro hisce praebendis legem veluti edicunt, in Hispaniarum regione minime ad rem facere videntur. Ex posteriori namque dispositione Piana Doctoratum requirente origo praebendae doctoralis et Magistralis Barbastrensis Ecclesiae repetenda est; sed scitum in iure est quod generi semper per speciem derogatur sive genus praecedat speciem, sive species praecedat genus *Fel. in C. 1 num. 10 vers. Secunda dispositio col. 7 in fin. de Rescript., Dec. L. In toto iure* 80 *col.* 3 *num.* 7 *vers. et ista conclusio de reg. iur., Bart. in L. Quaesitum* 12 §. *Si quis fundum de fund. instr., Gratian. Discept. for. cap.* 9 *num.* 3; et quod magis quis debet adstringi legibus propriis quam generalibus *Castr. consil.* 79 *lib.* 4, *Gratian. loc. cit. n.* 12.

Minusque invocari possunt sive generalis consuetudo in aliis Ecclesiis Hispaniarum vigens, sive statuta capitularia, sive mutatio status Ecclesiae. Non consuetudo; ipsa enim stricti iuris est *Bart. in L.* 1 *ff.* §. *Si quis hoc interdicto de itiner. actuq. privat.* subindeque de loco ad locum extendi non debet *L.* 3 *in fin. ff. de testam., Oldrad. cons.* 237 *col.* 1, *Surd. cons.* 323 *num.* 13 *lib.* 3, *Gratian. loc. cit. cap.* 973 *n.* 39 *seqq.* Non capitularia statuta Episcopi auctoritate confirmata, cum ipsa Pontificiae Bullae dispositionem reformare non valeant. Aperte enim iura clamant quod ille qui non potest aliquid tollere, neque valet reformare *L. Iurisgentium* §. *Adeo ff. de Pactis, Rebuff. in L. Malum* 242 §. *Structuram ad fin. vers. Interdum ff. de verb. signif., Gratian. loc. cit. cap.* 558 *num.* 47. Sed neque Capitulum in suis condendis Statutis de anno 1853, neque Episcopum in eorumdem approbatione tollere valuisse Apostolicas Constitutiones in comperto est; ergo neque ab ipsis Piana Constitutio poterat reformari. Non demum mutatio status Ecclesiae, haec enim fortassis sufficiens ratio videretur ad obtinendam a Suprema Apostolica auctoritate moderationem Pianae dispositionis, minime vero ad ipsam marte proprio moderandam.

Hisce igitur utrinque breviter animadversis rogantur EE. PP. sequens dirimere

DUBIUM

An Licentiati admitti valeant ad assequendam per concursum Magistralem et Doctoralem praebendam in casu.

Quoad futurum affirmative facto verbo cum SSmo.

ALIPHANA OPTIONIS. = Roganti mihi in generali conventu diei 26 Aprilis volventis anni « *An et cuius favore sit locus optioni in casu* » EE. VV. rescribere censuerunt « *Dilata et ad mentem* ». Mens autem fuit ut scriberetur Episcopo qui « transmissa notula redituum et onerum singulo- « rum praebendarum referat, an munus Theologi ac Poeni- « tentiarii perpetuo adnexum fuerit peculiaribus praebendis, « eaeque censeri debeant relative congruae, et quomodo « intelligendum sit decretum Episcopale diei 7 Dec. 1839 « quod in prima parte etiam Theologo et Poenitentiario « ius tribuit optandi portiones canonicales vacantes, in « altera vero parte portiones Theologi ac Poenitentiarii « ab optione excludit ». *Sess. 24 cap. 12 de Reform.*

Mandatis H. S. O. libentissime obsequens Episcopus die 23 Iulii mox elapsi litteras misit in quibus exhibet in primis notulam redituum et onerum singularum praebendarum post conversionis legem. Ex ea resultat: reditum liberum cuiusque praebendae esse; pro Archidiaconali L. 1157; Primiceriali 862: 94; Curata 992: 25; Theologali 859: 53. Item addit praebendam Poenitentiariam quae possidetur a Canonico Poenitentiario Carbone, necnon sextam praebendam Canonicalem quae possidetur a Canonico Paterno habere reditum liberum L. 1653: 28. Septimam Praebendam Canonicalem quae possidetur a Canonico Ferrucci et octavam quae possidebatur a Canonico Vessella b. m. habere reditum liberum L. 1886: 40. Nonam praebendam canonicalem quae possidetur a Canonico Prota habere reditum liberum L. 1063: 85. Decimam praebendam canonicalem quae possidetur a Canonico Merolla habere reditum liberum L. 759. 66. Undecimam et duodeci-

mam Praebendas quae possidentur a Canonicis Seria et Franco habere reditum liberum L. 1461: 29.

Quibus expositis gradum faciens ad id quod secundo loco requirebatur videlicet « *an munus Theologi et Poenitentiarii perpetuo adnexum fuerit peculiaribus praebendis* » exponit quemlibet canonicatum habuisse suam praebendam fixam et certam usque ad annum 1839 in quo editum fuit decretum optionis. Ab anno 1839 semel tantum vacasse praebendam theologalem et semel pariter vacasse poenitentiariam. « Al 1839, sunt verba Episcopi, era Ca-
« nonico un tale a nome D. Ottavio Scappaticcio (che fu
« uno dei firmatarii del decreto di ozione in parola) e
« poscia, vacando la Teologale, venne questa conferita
« all'attuale Teologo D. Michele Apicio prendendo la Pre-
« benda del suo Predecessore il detto Canonico Scapatic-
« cio. Quanto al Canonico Penitenziere è da osservare
« che al 1839 era Canonico Penitenziere il fu D. Vincenzo
« Stocchetti, il cui nome trovasi fra i firmatari di quel
« decreto medesimo. Alla sua morte la Penitenziaria ven-
« ne conferita allo attuale Canonico Penitenziere D. Ismae-
« le Carlone. Ed il detto attuale Canonico Penitenziere
« quale prebenda si prese? Qui è da por mente che il
« suo antecessore Canonico Penitenziere Stocchetti optò,
« da Penitenziere, un' altra Prebenda, Prebenda, che non
« si volle poi dare allo attuale Carlone, ritenendosi nulla,
« come per conseguenza, la ozione fatta dal suo predecesso-
« re; ond'è che lo attuale Canonico Penitenziere Carlone
« venne obbligato a prendersi la Prebenda, che anteceden-
« temente al 1839 godea il suo predecessore che era quel-
« la identica avea goduto il fu Canonico Penitenziere Ven-
« triglia fin dal 1820 ». Quae omnia ipsum Capitulum testari subdit ab eomet hac in re consultum.

Loquens demum Episcopus de altera mentis parte, in qua requirebatur quomodo intelligendum foret decretum diei 7 Decembris 1839, quod in prima parte etiam Theologo et Poenitentiario ius tribuit optionis, in altera vero ambos excludit, refert: « Tutti qui convengono doversi inten-
« dere la prima parte nel modo come giace, cioè a
« dire, secondo il senso letterale, *ma non a tempo di va-*
« *canza* delle Prebende appartenenti alla Teologale, od
« alla Penitenziaria. Il che forma appunto la questione pen-
« dente, dovendosi decidere da cotesto S. Consesso, se
« vada ciò concordante con il giure canonico, o, in altri

« termini, se debba ritenersi questa prima parte, come « improduttiva di effetti, eccedendo i poteri del Vescovo, « al quale non è dato al certo potere trascendere i limiti « del diritto comune.

« La seconda parte poi del decreto debbe intendersi « nel senso che le Prebende del Teologo e del Penitenziere non debbano punto andare soggette ad ozione *ma « a tempo della loro vacanza,* in modo che i loro successori debbano prendere quelle Prebende, che eglino hanno goduto fino al tempo delle loro vacanze, o, in altri « termini, sì tosto come abbia luogo la loro vacanza, siffatte Prebende non possono essere ottate, ma integre « debbono conservarsi per i successori ».

Haec Rm̃us Episcopus; Capitulum vero in quibusdam scripto exaratis allegationibus totum in eo est, ut propugnet ex deductis in anteacta causae discussione in Cathedrali Aliphana officium Theologi et Poenitentiarii numquam perpetuo adnexum fuisse peculiaribus praebendis « *poichè nel Capitolo non vi sono vere prebende Canonicali, sì « bene porzioni Canonicali* ». Adnotat ulterius: « Le porzioni canonicali non possono dirsi affatto *relative con- « gruae* come chiaramente si rileva dal notamento delle « rendite trasmesso al Rm̃o Vescovo, ove si vede che talune porzioni dei Canonici semplici sono molto maggiori di quelle dei Canonici Teologo e Penitenziere, i « quali a preferenza degli altri portano il *pondus diei et « aestus* . . . Il decreto vescovile dei 7 Decembre 1839 « vuol essere inteso così: attribuendosi al Teologo e Penitenziere il diritto di ozione s'intende parlare *dell'ozione « attiva,* ed escludendosi le loro porzioni dall'ozione s' intende parlare *dell'ozione passiva* poichè lo scopo di detto decreto si fu di provvedere alla meglio alle disuguaglianze avveratesi nella *Ripartizione delle Rendite* « Capitolari, e di ridurre al tempo istesso la medesima « ripartizione a tale che le dignità si avessero qualche « cosa più degli officî, e questi qualche cosa più dei Canonici semplici giusta i dettami della giustizia distributiva ».

Capituli adductis observationibus toto nisu obsistit Canonicus Paterno qui et ipse, novis productis documentis, ostendere curat Praebendas in Aliphano Capitulo distinctas omnino esse et separatas. Affert revera exemplar documenti ab archivio Capitulari excerpti cui titulus: « De-

« scrizione dei fondi appartenenti alle Prebende Canoni-
« cali della Chiesa Cattedrale di Alife secondo il Ruolo
« fondiario ». Ex hoc porro documento cui adscripta est dies 10 Octobris 1820 apparet omnes praebendas (exceptis duabus quae efformabant unam massam communem pro duobus Canonicis) fuisse separatas et distinctas. Uniuscuiusque enim praebendae inibi indicantur fundi et possessores, et quod fortius est, tam pro praebenda theologali quam poenitentiaria, singulae singuli assignantur fundi ad easdem spectantes; quos fundos subdit et actualem Theologum et Poenitentiarium possedisse, donec ipsi conversionis lege perculsi a gubernio occupati fuere. Quod altero documento confirmare satagit ex Archivio Episcopalis Curiae deprompto atque in originali ad acta exhibito. Hic enim est autographus Episcopi Di-Giacomo requirentis de anno 1859 a Canonico Manera vacantis Poenitentiariae praebendae post obitum Canonici Stocchetti « Lo statino del
« fruttato certo e pesi annessi al Canonicato della Penitenzie-
« ria - si badi che deve essere quella Prebenda, che teneva il
« Penitenziere prima dell'ozione adottata. - Del resto oggi
« verrà il Vicario che può dare lumi ulteriori ». Ex quo confirmari dicit Poenitentiarium Stocchetti post annum 1839 reliquisse suam praebendam et optasse aliam quam retinuit usque ad suam mortem. Eo autem tempore Episcopus ad corrigendum errorem iuris, qui irrepserat in decreto optionis, voluit ut novo Poenitentiario non daretur praebenda quam per optionem consequutus fuerat defunctus Stocchetti, sed illa quam idem Canonicus habuerat ante optionis decretum quando singulae praebendae erant divisae, quaeque perpetuo adnexa fuerat officio Poenitentiarii.

Hisce igitur attentis atque resumpto benigne praeterito folio EE. VV. diluere dignentur

DUBIUM

An et cuius favore sit locus optioni in casu.

Affirmative favore Canonici Theologi ita tamen ut praebenda optata perpetuo deinde addicta remaneat canonicatui theologali.

Die Sabbati 20 Septembris 1879 in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua praeter alia proponentur infrascripta Dubia, iuxta morem eiusdem Sacrae Congregationis de iure resolvenda.

—

MECHLINIEN. DISPENSATIONIS MATRIMONII. = Iam prima vice de hac causa disceptatum est in plenario conventu diei 26 Iulii proxime elapsi; atque hoc dubio proposito – *An sit consulendum SSmo pro dispensatione matrimonii rati et non consummati in casu* – placuit EE. VV. rescribere – *Affirmative vetito viro transitu ad alias nuptias inconsulta S. Congregatione* – Ad petitionem Defensoris Matrimonii beneficium novae audientiae indulsi; unde in praesentibus comitiis iterum examinanda controversia defertur; quod ut planum reddatur, novas animadversiones ab eodem vinculi vindice typis editas in compendium expono.

Sess. 24 cap. 1 de Ref. Matrim.

Deplorat prae primis Defensor, quod ut plurimum periti, qui in causis matrimonialibus ad corporalem explorationem coniugum adhibentur inconsiderate a normis et ordinationibus Summorum Pontificum praesertim Benedicti XIV et H. S. O. desciscant; hoc ipse attribuens ambitioso illi humanae superbiae aestui a sapientissimis Ecclesiae legibus sese emancipandi. Ex hoc sequi innuit, ut cum agendum sit de matrimonio rato et non consummato, primum illud ac potissimum inconsummationis thema quasi ad inferiorem locum repellatur, et super incertis praesumptionibus et coniecturis constituatur.

In praesenti porro causa proposita est peritis physicis quaestio inconsummationis inter coniuges Ferdinandum de Lalieux et Adrianam Van Hoobrouck, qui ad quinque circiter mensium spatium insimul pacifice cohabitantes atque in eodem cubiculo et in eodem lecto condormientes coniugali officio operam navare pertentarunt – *forse una dozzina di volte* – Experimenta huiusmodi, obtestantibus coniugibus iisdem, haud ad plenam atque perfectam copulam pervenerunt; Ferdinandus quippe ait – *la mia opi-*

nione è che l'atto non è stato compito – **Adriana** autem repetit – *per quanto io possa conoscere, avevo la convinzione ciascuna volta, che abbiamo tentato, che l'atto non era stato mai compito* –. Quoniam atvero, ceu in progressu demonstrat, ex hac una experimenti descriptione, per se ostendi nequit inconsummatio, hinc primum quod sua sponte se proferebat examen instituendum, illud erat in exploratione corporali mulieris, ut inde relevaretur an post congressus maritales integra ipsa permanserit vel deflorata.

Ad hoc autem ineundum experimentum certae et consultissimae praestitutae sunt normae ab H. S. O. praesertim de balnei tepidae aquae usu, ne per fraudem integritas ibi unquam simulari possit, ubi adest corruptio, ita *Instructio* diei 22 Augusti 1840 § *Procedendum* = ibi = « mulier erit traducenda ad domum honestae matronae « .... pro infrascripta praestanda personali adsistentia, atque « adstantibus semper tribus Obstetricibus et Matrona, *im-* « *mergenda erit in balneo* aquae tepidae a Peritis prius « recognoscendo, quod sit aquae purae, quo in balneo « *per spatium saltem trium quadrantium horae unius per-* « *manere debebit.* »

Hanc veruntamen praescriptionem nullo in pretio habuerunt cognitores in hac causa, tametsi probe scirent perfacile arctam reddi posse mulierem utcumque pluries a viro cognitam. Rogavit enim prae primis Iudex Peritum Doct. Van Dam « La donna non può rendersi più « stretta con mezzi artificiali? e siete voi certo, che la « Sig. di Lalieux non ha fatto ricorso a questi mezzi? » Haec nulla prorsus haesitatione detentus respondit medicus « Son convinto, che i mezzi artificiali possano riu- « scire, ma questa Signora è incapace di usarne ». Concinit eidem D. Carême, qui, persimili quaestioni propositae, « La donna può rendersi stretta con mezzi artifi- » ciali; e siete certo che la Signora di Lalieux non abbia » fatto ricorso a questi mezzi »? ita et ipse reposuit – Sì; » ma sono certissimo, che la Signora di Lalieux non ha » ricorso a questi mezzi »; atque Professor Hubert « la don- » na può rendersi più stretta; ma non può ricostituire la » membrana imene –. Ex quo itaque praetermissa est cautela balnei ab Instructione S. O. praescripta, nedum offensio est legi irrogata, imo etiam nec praeclusus est adi-

tus fraudi insimulandae integritatis apertus, ideoque et ordo iudicii restaurandus est, et opportunum remedium ad fraudem eliminandam adhiberi debet.

Neque attendenda est excusatio praeteritionis balnei a peritis adducta, quod Adrianam existimassent simulandae integritatis incapacem; quandoquidem haec eorum opinio moralitatem et conscientiam illius pertingens excedebat officium iisdem commissum. Liberum quidem est peritis excipere vel respuere mandatum inspectionis corporalis; ast semel ac illud excipiunt, haudquaquam sese subducere valent praescriptionibus et cautelis ab legibus Ecclesiae et praesertim ab Instructione S. Ordinis 22 Augusti 1840. Porro in eo quod Ecclesia studet certior reddi quoad facta matrimonium respicientia, nec non quoad honestatem partis examinandae, opportunum praescribitur remedium testium septimae manus ex utroque latere adhibendae; disponit enim praecitata Instructio in §. *Liberum erit* « *Omnes vero testes congrua congruis referendo, rogandi erunt, praesertim quando initum fuerit matrimonium, etc. etc.* »; et nihilominus praeter hoc testimonium si querela versetur super nullitate matrimonii ex capite impotentiae adhuc iniungitur inspectio corporalis, §. *Si querela* « si querela super « impotentia versetur, interrogandi erunt periti physici, « quos coniuges consuluerunt. Praeterea, quatenus querela « super nullitate ex iis sit, ut solvi non possit matrimonium « si coniuges illud non consummaverint, tunc *procedendum erit ad inspectionem corporis* coniugum seorsum, se« quenti methodo perficiendam ».

Quemadmodum autem praeceptiva est auditio septimae manus, ita etiam praeceptivum est remedium inspectionis corporalis coniugum, quin unum alterum impediat vel excludat. Prorsus diversum est officium tam testium, quam peritorum; quoniam testes edocere debent de factis tum in occasione coniugii, tum post nuptias obventis; periti autem edocere debent de corporali statu coniugis vel coniugum inspiciendorum, ac praesertim de indiciis ab eorumdem inspectione resultantibus sive pro virginitate, sive pro corruptione affirmanda; atque ita etiam referre debent, an aliqua fraus committi potuit ad virginitatem simulandam ita sequitur Instructio in §. *Iudex*: « Peracta hinc « recognitione, seorsim singulae Obstetrices *referent de* « *virginitatis aut corruptionis indiciis* ab inspectione resul-

« tantibus; an certa, et qualia supersint signa et argu-
« menta intemerati aut corrupti claustri virginalis, et
« *an ulla fraus ad virginitatem simulandam adhiberi potue-*
« *rit* . . . Deinde formali examini erunt subiiciendi Pe-
« riti, quorum iudicium erit cognoscendum super relatis
« et depositis ab Obstetricibus ».

Eo autem vel magis inspectio erat rite et cum omnibus cautelis in corpore Adrianae perficienda, quia ex depositionibus peritissimi Professoris Hubert magnam involvebat difficultatem ob incertam et aequivocam coniugum confessionem; adeo ut ipsemet Professor ad iudicium suum super consummatione eliciendum opus habuerit duplicem hypothesim confingere; alteram nempe de consummatione in sensu medico et ad naturalem copulam explendam; aliam in sensu commixtionis sanguinis vel seminum ad procreationem sobolis idoneae, qui sensus est vere canonicus iuxta *can.* 18 *caus.* 27 *qu.* 2, *et Sanchez de matrim. lib.* 2 *disp.* 21 *num.* 3 « *copula carnalis per quam consummatur matrimonium, ea est, per quam coniuges efficiuntur una caro, ut constat etc.* . . . *et colligitur ex c. Lex c.* 27 *q.* 2 – ibi – « propinquitas enim sanguinis-iunctis
« verbis praecedentibus; dixerat enim non aliter fieri unam
« carnem, quam, si carnali copula sibi cohaereant; et
« subdit haec - neque osculum parit propinquitatem, quod
« nullam facit sanguinis commixtionem –; et ita quod prius
« vocaverat carnalem commixtionem, modo vocat sangui-
« nis, idest seminis commixtionem ».

Quum autem D. Hubert disserere debuisset de commixtione in casu iuxta hunc sensum canonicum, tunc aperte protestatus est nullum proferre posse iudicium; ita quidem in sua prima relatione – Mi si domanda: « il matri-
« monio non è stato consumato? Quali sono le prove della
« non consumazione? Quale è il valore di queste prove?
« Se io definisco l' atto, un avvicinamento de' sessi, ef-
« fettuato in modo *da render possibile l' incontro degli ele-*
« *menti maschio e femmina*, e per conseguenza la feconda-
« zione, *non posso più affermare niente;* ed i segni della
« verginità *non hanno più alcun valore* ».

Idipsum repetit in alia relatione post inspectionem in corpore Ferdinandi elicita « la questione della non
« consumazione del matrimonio è chiara, avere inestrica-
« bile, secondo la definizione, che il Tribunale adotterà.

« Se questa definizione, tutta medicale, dell' atto coniu-
« gale – *un ravvicinamento dei sessi effettuato in maniera*
« *da rendere possibile l' incontro degli elementi maschio e*
« *femmina,* e per conseguenza la fecondazione, potesse pre-
« valere, *nel caso non vi sarebbe neppur modo di provare*
« *ciò che è avvenuto.* Il marito sembra aver fatto delle
« perdite seminali sopra la sua donna; ma il liquore ef-
« fuso, supponendolo capace di fecondare, fin dove è ar-
« rivato? ha penetrato nel riservatoio, che gli è natural-
« mente destinato, oppure è stato solamente deposto alla
« soglia degli organi genitali? *Niuno potrebbe dirlo, nep-*
« *pure le parti interessate.* »

In inquisitione autem verbali haec insuper adiungit

D. 5. « Intendendosi per consumazione di matrimo-
« nio un ravvicinamento effettuato in modo da rendere
« possibile l' unione degli elementi maschio e femmina,
« e per conseguenza la fecondazione, la scienza non ha
« alcun segno, che provi perentoriamente *che la consuma-*
« *zione non ha avuto luogo?*

Risp. « *No; noi non abbiamo alcun mezzo.* »

D. 6. « I casi di *consumazione* in questo senso *senza*
« *rompimento dell' imene* sono assai frequenti? »

Risp. « *Sì; ciò è molto frequente.* »

D. 7. « La donna *può costatare* con tutta certezza
« quando *l' incontro degli elementi* maschio e femmina ha
« luogo, o almeno quando lo sperma arriva molto lon-
« tano, affinchè l' incontro possa aver luogo, e come può
« costatarlo? »

Risp. « *No; essa non può costatarlo.* »

D. 8. « La Signora di Lalieux ha dichiarato qui, che
« essa non ha mai sentito nel coito le sensazioni avute
« nella visita dei Medici; *se ne deve concludere,* che l' in-
« contro degli elementi maschio e femmina *non ha avuto*
« luogo? »

Risp. « *No; non si può concludere.* »

Isthac ardua, ac propatula inconsummationis in casu ex nudis salutaris artis principiis verificandae, difficultate explorata, nihil magis obvium erat, quam ut omnes illae ac singulae praescriptiones et cautelae adhiberentur, quae maiorem certitudinem quantum fieri potuisset, inducerent. Prima ferme ac pene princeps fuisset inspectio in corpore mulieris, quemadmodum examussim a Cognitoribus facto

vel ipso inspectionis exercitae admissum est. Sed quum modus ab Ecclesia praescriptus haudquaquam servatus fuerit, hinc ipsamet inspectio perinde propemodum habenda erit ac si fuisset omnino praetermissa, atque hoc tum quia neque per ipsam obtemperatum est legi rem et modum praeceptive praescribenti; tum quoque quia omnimoda illa possibilis certitudo inconsummationis, etiam ex remotione cuiuscumque fraudis insimulandae integritatis obtinenda, quae basim et fundamentum dispensationis constituere debet, ex omissione praedictae cautelae balnei exulat omnino.

Hisce ita expositis et enucleatis quoad extrinsecum verificandae inconsummationis carnalis processum, ultro defensor progreditur ad consummationem in casu ostendendam ex proximioribus inspectionum exercitarum et depositionum iudicialium indiciis. In his verumtamen profitetur ea omnia recolere ac lucidiori in luce restituere quae iam in antecedentibus animadversionibus enucleavit. Quae idcirco quum in iisdem rei et facti fundamentis, nec non Scriptorum tum Medicinae forensis tum disciplinae canonicae testimoniis consistant, quae in anteacta discussione exposui, hinc relativum folium tunc distributum EE. VV. prouti obsecro, dignentur resumere, atque ita, omnibus exploratis et perpensis pro assueta sapientia et doctrina infrascriptum dirimere

DUBIUM

An sit standum vel recedendum a decisis in casu.

In decisis.

MONTIS REGALIS MATRIMONII. = Quum coempto populorum plausu inter insperatos triumphos siculas terras invasorum manus sub famigerato duce percurreret, iuvenum animos pavor irrepsit ex evulgato rumore, omnes fore ad arma compulsandos. Ut hoc effugerent periculum matrimonii vinculo sese nectere consuluere. Hoc etiam perfecit Salvator Grippi ex oppido Burgetti in Dioecesi Montis Regalis uxorem rite ducens die 14 Iunii 1860 Petronillam Cangialosi eiusdem loci, et duorum viduam maritorum, quorum postremus, Stephanus Grippi consobrinus erat Salvatoris, veluti ex arbore genealogica in voto Theologi et Canonistae relata primo obtutu apparet. Nemo, ceu videtur, de impedimento secundi gradus paris affinitatis suspicatus est, dum ad quindecim circa annos communi vitae consuetudine usi sunt coniuges. *Sess.* 24 *cap.* 1 *De Ref. Matr.*

Anno vero 1875 de impedimento praedicto, ac de nullitate matrimonii exinde consequente certior factus Salvator, die 21 Iulii dicti anni querelam excitavit in Montis Regalis Curia Ecclesiastica, suum coniugium cum Petronilla de nullitate impetens. Ut matrimonium invalidum declararet satis fuit illi iudici, quod Cancellarius Archiepiscopalis fidem redderet, nullum rescriptum dispensationis a Grippio et Petronilla fuisse exhibitum pro matrimonio contrahendo; hoc, inquam, satis habuit, quin tamen nec examen coniugum nec testes septimae manus ullatenus exquireret; quapropter sententia die 5 Augusti 1876 evulgata, contra matrimonium pronunciavit.

Appellavit defensor vinculi ad viciniorem Curiam Calatanisiadensem ad formam Apostolicae Bullae sa. me. Pii IX quae incipit *Multis gravissimis*, sed inani labore; quandoquidem secundus iudex nulla alia diligentia ultro adhibita, sub die 8 Octobris 1877 primam sententiam confirmavit. Tunc sua oppositione destitit Defensor vinculi, ab appellatione abstinere declarando. Non ita tamen facile adquievit mulier; quae plusquam mariti amissionem, acerbiorem iacturam duarum domuncularum, quas ille distraxerat, ac infelicem senectam obeundam deplorans, ad S.H.O. confugit, remedium contra duplicem sententiam implorans; et dum actum appellationis eliceret professa est etiam,

quod « se posteriormente al matrimonio si scuoprì impedimento di lontana parentela venne sanato dalla dispensa dell'autorità ecclesiastica ». Cum de persona ageretur opibus destituta, causam de mandato SSmi oeconomice disceptandam decrevi. Votum exinde a Consultoribus Canonista et Theologo, atque Animadversiones a Praesule Vinculi Defensore emitti curavi; iisque exceptis, nunc sapientissimo iudicio EE. VV. rem submitto, ut pro assueta sapientia sequens enodare dignentur

DUBIUM

An sententiae Curiae Montis Regalensis et Curiae Calatanisiadensis sint confirmandae vel infirmandae in casu.

Expleantur acta processus penes Curiam Montis Regalis.

VOTUM THEOLOGI

Eminentissimi ac Reverendissimi Principes

Causa matrimonialis, quae VV. EE. sapienti iudicio dirimenda proponitur, plerumque a perturbationibus, quibus iugiter affligimur, effecta videtur; respicit enim connubium in insula Siciliae initum quando proditores nefarii, duce Iosepho Garibaldi, eam occuparunt, divina humanaque spernentes. Cum enim praedictus dux atque Siciliae dictator iuvenes ad arma capienda compelleret, salvis legibus tunc vigentibus, quarum vi a militum delectu eximebantur qui matrimonium celebraverant; multi adolescentes iugum coniugale potius subire, quam dictatoris vexationes pati cupiebant. Hinc iuvenis Salvator Grippi oppidi Burgetti Archidioecesis Monregalensis, putans se onere mi-

litiae liberare posse nubendo, die 14 Iunii anni 1860 praemissis rite denunciationibus canonicis matrimonium cum Petronilla Cangialosi eiusdem oppidi, vidua in primis nuptiis Hieronymi Franzone, in secundis Stephani Grippi, coram suo Archipresbytero ac duobus testibus celebravit, non obstante impedimento affinitatis secundi gradus ex copula licita in linea aequali collaterali, quo cum praedicta Petronilla erat irretitus; et matrimonio consummato unicum filium genuit, qui post nativitatem suam e vita decessit.

Currente anno 1875 Salvator Grippi certior factus de nullitate matrimonii iam contracti, vel potius consortio mulieris minime contentus, die 21 Iulii Curiam Monregalensem adivit, et supplicem libellum pro declaratione nullitatis matrimonii cum Petronilla Cangialosi contracti porrexit. Vicarius Generalis illius Curiae, de mandato sui Archiepiscopi, processum iuridice confecit, quo absoluto prout Iudex Ordinarius, sententiam tulit declarans Salvatorem Grippi et Petronillam Cangialosi affines esse in secundo gradu ex copula licita in linea collaterali aequali, adeoque matrimonium ab iis die 14 Iunii anno 1860 contractum nullum fore, esse, et fuisse. Haec sententia data fuit die 5 Augusti 1876 audito matrimonii defensore et perpensis rationibus ex utraque parte prolatis.

Defensor matrimonii inhaerens vestigiis Constitutionis Benedicti XIV a Curia Monregalensi ad Calatanisiadensem appellavit (iuxta Constitutionem Pii IX *Multis gravissimis*) quae sibi processum integrum advocavit; et documentis perlectis, rationibusque libratis utriusque partis, et audito iterum defensore, sententiam prioris iudicis solemniter confirmavit. Sententiis prolatis defensor omnino concessit; sed mulier Petronilla Cangialosi ad Sanctam Sedem confugit, et a SS. Papa nostro Leone enixis precibus impetravit, ut oeconomice haec causa EE. VV. tribunali proferatur examinanda atque finienda. Cum mihi ex humanitate Illmi ac Rmi P. D. Secretarii nunc primum sit munus demandatum, ut pro Theologo scriberem, ea, quae mihi potius fuit diligentia, processum perlegi, et in animum adduxi evidenter constare quod matrimonium Salvatoris Grippi cum Petronilla Cangialosi fuit nullum; 1° quia impedimentum affinitatis ex copula licita aderat; 2° quia nunquam de hoc impedimento Sancta Sedes cum ipsis dispensavit. »

CAPUT PRIMUM

Matrimonium a Salvatore Grippi cum Petronilla Cangialosi celebratum nullum fuit propter dirimens impedimentum affinitatis secundi gradus ex copula licita in linea collaterali aequali.

Matrimonium cum sit foecundum universae societatis principium, utpote per ipsum humana species evolvitur, homines multiplicantur, opus est ut ab ea potestate, quae divinitus suprema et universalis constituta est, iis legibus muniatur, quibus dignitas in qua creator Deus instituit illud, quamque divinus Redemptor supernaturaliter elevavit, inviolata servetur. A tanta auctoritate, cui Christus solvendi atque ligandi dedit facultatem, providae constitutiones pro Christifidelibus, quos ipsa regit atque gubernat, emanarunt, quibus sancitae sunt conditiones observandae ut valide contrahi possit coniugium, ne vilissima carnis libertas introducatur.

Inter huiusmodi praecipuas conditiones illa in hoc casu respicienda est, quae prohibet matrimonium celebrari et dirimit celebratum inter affines usque ad quartum gradum (ex licita copula) in linea collaterali.

In Lateranensi enim concilio sub Innocentio III statutum est quod « impedimentum consanguinitatis et affi« nitatis quartum gradum non excedat. » Infra gradus igitur affinitatis citra limitem praescriptum celebranda vetat matrimonia, et dirimit contracta. Ita enim sequitur in capite 8 *De consang. et affin.* « Cum ergo iam usque ad « quartum gradum prohibitio coniugalis copulae sit restri« cta, eam ita volumus esse perpetuam . . . ut si quis « contra prohibitionem huiusmodi praesumpserit copulari, « nulla longinquitate defendatur annorum, cum diuturni« tas temporum non minuit peccatum, sed auget: tanto« que sunt graviora crimina, quanto diutius infelicem ani« mam detinent alligatam ». Et in capite 1° *eod.* legitur: « Inquisita vero diligentius veritate si per testes circum« spectos omni exceptione maiores inveneris, quod primus « vir superstitem quarto gradu consanguinitatis attingit, non « differas divortii sententiam promulgare: *aeque enim* (ut « dicunt canones) *abstinendum est a consanguineis uxoris*


« *ut a propriis.* » Huiusmodi prohibitio a Concilio Tridentino *Sess. XXIV cap.* 5 *de Refor. Matr.* fuit confirmata.

Salvator Grippi consanguineus erat in secundo gradu lineae collateralis cum Stephano Grippi, cuius vidua erat Petronilla Cangialosi; huic ergo vinculo affinitatis secundi gradus erat coniunctus, idcirco nullum fuit matrimonium inter affines istos contractum. Patet haec veritas ex arbore genealogica, quam deprompsi ex documentis a parocho exhibitis et in processu contentis.

STEPHANUS GRIPPI Senior

et

ANNA BACARELLA



Libri parochiales praesertim qui notitiam continent nativitatis, matrimonii et interitus Christifidelium cuiusque curae, ad iuris publici oeconomiam pertinent, et ad ordinem socialem referuntur; quippe qui testari debent de legitima familiarum origine, earumque relationibus; hinc in privatis negotiis eorum transumpta pro authenticis scripturis merito retinentur, et in publicis societatis civilis rebus fide indeclinabili potiuntur. Reapse enim parochus in publici magistratus officio constitutus censetur tam in ecclesiastica, quam civili societate, in suis pro utraque muneribus adnectendo elementa duplicis evolvendae potesta-

tis. Non sine ratione per tot saecula pandectae parochorum firmissimum certitudinis assensum optime meruerunt. Hinc Tridentina Synodus, parochis describendi nativitates, matrimonia et interitus Christifidelium in libris apposite confectis commendans, officium publicae auctoritatis munus in ipsis confirmavit. Fides ergo libris parochi oppidi Borgetti adhibenda est firmissima, in quibus genealogia Salvatoris Grippi describitur, et matrimonium, quod Petronilla Cangialosi cum eius consanguineo Stephano Grippi iamdiu defuncto inivit. Quin imo etiam consideratione dignum censeo quod in Siciliarum regno ante annum 1860 libri parochiales a parochis non erant manu propria subsignati, nisi collatione prius facta cum scripturis a municipali auctoritate receptis. In libris a parocho Borgetti oppidi prolatis ob causam, de qua agitur, nullus error, nullus scribendi defectus, nulla literarum ambiguitas, nihil, quod possit suspicionem doli praebere. Ipsamet mulier in supplici suo libello appellationis confitetur iamdiu scivisse Salvatorem Grippi esse suum affinem. Quare ergo defensor matrimonii querebatur in secunda instantia quod nullum iuridicum argumentum inveniri ad demonstrandum vinculum affinitatis inter Salvatorem Grippi et Petronillam Cangialosi videbatur?

CAPUT SECUNDUM

Constat evidenter nullam dispensationem ab impedimento affinitatis coniuges accepisse.

Quaestio an dispensatio in matrimonio, de quo agitur, impetrata sit et obtenta, quamvis sit facti potius quam iuris, habet aliquam tamen relationem cum iure, propter circumstantias in quibus coniugium fuit celebratum; sed ius contra est et hypothetica prorsus relatio censenda. Primum de facto, postea de relatione iuris dicam.

Dispensatio a Sancta Sede nec fuit obtenta, nec etiam petita. Testis fide publica dignus, scilicet cancellarius Monregalensis dioecesis declaravit nullum unquam, nec a coniugibus, nec a parocho, nec a quovis alio rescriptum pontificium dispensationis accepisse circa impedimentum affinitatis in matrimonio inter Salvatorem Grippi et Petronillam Cangialosi. Verum ad praedictum cancellarium pertinebat

gratiam S. Sedis communicare petentibus et in archivio Curiae servare. Parochus oppidi Borgetti testatus est nunquam vidisse rescriptum aliquod dispensationis a S. Sede concessum coniugibus Grippi et Cangialosi; nec unquam dedisse iis literas testimoniales, quae (ut mos est) requiruntur ut Episcopi commendatitias suas Romam pro gratia obtinenda mittant; quinimo Parochus cum impedimentum affinitatis cognoverit, contracto iam matrimonio, Salvatorem pluries hortabatur ut dispensationem peteret, iste sed noluit exhortationibus assentire. Denique ipsa mulier in libello appellationis confitetur non obtinuisse necessariam dispensationem. Clarissime patet matrimonium celebratum fuisse absque impedimenti dirimentis dispensatione.

Verum potestne factum istud referri ad ius a quo possit elementum aliquod mutuari, unde cohonestativam habeat explicationem? In primum: In Siciliae insula quando matrimonium, de quo agitur, fuit celebratum, furor civilis discordiae aestuabat, et a sectariis religio catholica insidiabatur, et pietas spreta, et pravi mores exaltati et Episcopi a persecutoribus exagitati, laicos videbantur privare facili communicatione cum Sancta Sede ad gratias obtinendas. Fortasse Episcopus oretenus illam gratiam dispensationis coniugibus dedisse putandum. Sed huic hypothesi Sacra Inquisitionis Congregatio respondet. « Propositio « asserens Episcopum posse dispensare in publico impedi« mento matrimonium dirimente consanguinitatis pro matri« monio contrahendo sive in articulo mortis sive in alia « urgentissima necessitate, in qua contrahentes non possint « expectare dispensationem Sedis Apostolicae, est falsa, te« meraria, scandalosa, perniciosa, et seditiosa. » (Die 19 Ianuarii anni 1661). Insuper ista Concilii Congregatio censuit: Episcopum urgentissimae necessitatis in casu non posse ante contractum matrimonium ex impedimento publico dispensare 13 Mart. (*alleg. LXV.* 114). Verum Sicilia non erat in anno 1860 tam tristis conditionis, ut omnimoda careret communicatione cum Romano Pontifice; liberum habebat medium quodcumque communicationis huiusmodi. Episcopis in exilium compulsis, eorum vices tenentes Ecclesiarum curam et administrationem exercebant. Etiamsi rudes ignorassent hi coniuges impedimentum, eo detecto per exhortationem parochi pluries auditam, poterant dispensationem petere. Nec ulla ratio suffragari

potest Petronillae, quae virgo non erat, sed vidua in secundis nuptiis; non aderat ipsi periculum infamiae sine culpa, cum conscia fuerit de impedimento, ut ipsamet confessa est. Si denique post contractum matrimonium confessarius a Sacra Poenitentiaria impetrasset dispensationem; praeterquamquod huiusmodi dispensatio respicit forum conscientiae tantum et veras rationes exigit, mulier de consensu repetito memorari debebat, et dispensationem saltem a marito obtentam meminisse oportebat, eumque de recepta sanatione redarguere: e contra nullum de his indicium, imo suam confessionem et in errore pertinaciam e processu deduci. Denique habetne mulier ius cogendi maritum ut sanationem quaerat? Mihi videtur non habere; volenti enim et consentienti nulla iniuria facta est, eo quod sciens impedimentum, parocho adhortante, maritum non suasit, sed parocho restitit, ac proinde in illicito consortio vivere patiebatur; nulla iniuria virginitati fuit illata quia virgo non erat; longum tempus ei non suffragatur ex iure (in cap. 8 *De cons. et affin.*) quo statuitur « ut si quis contra « prohibitionem... praesumpserit copulari, nulla longinqui« tate defendatur annorum. » Potestne declarata nullitate matrimonii a duobus curiis habere ius petendi dispensationem? Nequaquam; petere enim dispensationem tametsi non inficiatur sententiis, manet tamen in potestate utriusque coniugis, non unius vel alterius; sed vir perseverans in huiusmodi causa voluntatem negativam habere demonstrat; nec dispensatio iuxta divum Bernardum aliosve doctores sine gravissima causa est elargienda: in casu nullam causam invenio.

Quae omnia relata suadent matrimonium inter Salvatorem Grippi et Petronillam Cangialosi celebratum, nullum ac irritum esse.

Haec omnia sapientissimo EE. VV. iudicio submitto sacram humillime Purpuram deosculans.

GASPAR DE LUISE
Congregationis Piorum Operariorum.

VOTUM CANONISTAE

Eminentissimi ac Reverendissimi Patres

Binis sententiis iudicum ecclesiasticorum declarata iam nullitas matrimonii initi ab annis prope viginti, tertio ad hunc S. O. diiudicanda defertur: et forte non immerito.

I.

Salvator Grippi et Petronilla Cangialosi, populares utrique loci Burgettum nuncupati, dioec. Montisregalis in Sicilia, matrimonium inierunt die 14 *Iunii ann.* 1860, in Ecclesia parochiali eiusdem loci. Ea tempestate turbulentissima, cum omnia in ea regione permiscerentur, plerique iuvenes, ne stipendia facere cogerentur, uxores ducere festinabant. Hinc legum neglectus. Igitur septemdecim post annos, instante viro, Curia Archiep. Montisregalis matrimonium irritum declaravit, scil. die 5 *Augusti* 1876, ob probatum impedimentum affinitatis in secundo gradu, ab Apostolica Sede minime relaxatum (1). Defensor appellat ex officio ad Episcopum Calatanisiadensem, seniorem Provinciae (ex Constit. Pii PP. IX *Multis gravissimis*), quod nec asserta affinitas satis probata videretur, nec defuisse Sedis Apostolicae relaxationem satis certo constaret. Haec tamen a Defensore allata sunt, *ut legibus Ecclesiae obtemperaret*, ut ipse loquitur, non ex animi sententia; cum re vera nihil attulerit, quo huiusmodi exceptio firmata videretur. Itaque Episcopus Calatanisiad. primam sententiam ratam habuit *die* 8 *Octobris* 1877 (2). — At Petronilla ad hanc S. C. provocavit *die* 10 *Novembris* eiusd. anni.

Denique Episcopus ipse, ab Em̃. Card. Praef. interrogatus, sententiam suam his verbis exposuit: « Extitis-« se impedimentum secundi gradus paris affinitatis ex co-« pula licita, inter Grippi et Cangialosi, ut clare proba-


(1) *Proc. fol.* 18.
(2) *Ibid. fol.* 24 *vers.*

« tur ex notulis librorum parochialium : et tale impedi-
« mentum nullam obtinuisse ex legitima auctoritate di-
« spensationem, ut clare probatur ex attestatione negativa
« data a M. Curia Archiep. Monregalensi.

II.

Duo igitur erant demonstranda : primum constare de affinitate: alterum, nulla unquam tot annis fuisse legitima auctoritate huiusmodi impedimentum sublatum.

Ac primum quidem constat ex authenticis tabulis, h. e. ex libris, qui servantur in Ecclesia parochiali Burgetti, ex quibus hoc perspicuum schema genealogicum conficitur.



Patet, omnes istos Stephani iunioris consanguineos, ex huius matrimonio cum Petronilla, factos esse Petronillae affines. Hinc matrimonium huius cum Salvatore non potuisse consistere: et forte ex duplici capite; cum videam cognomines fuisse etiam matres Stephani et Salvatoris : an vero ex eadem cognatione fuerint, documenta non docent.

Paucis adiiciam excerpta e documentis :

a) Ex libro VI matrimonior. Eccl. matricis terra Burgetti, fol. 228. « Anno D. 1818, die 29 Iulii, denunciationibus etc. Sacerdos D. Sanctus Migliore etc. de licen-

tia R. Archipresbyteri interrogavit *Nicolaum* Grippi, filium legit. et nat. quond. *Stephani Grippi* et *Annae Baccarella:* et Iosepham Rappa etc. filiam Hieronymi Rappa etc. eorumque habito consensu etc. per verba de praes. illos in matrim. coniunxit, etc. coram notis testib. etc. » (1).

b) Ex lib. IX matrim. fol. 239. « Anno D. 1849, die 24 Iulii, denunciationibus etc. Sac. D. Momilianus Baiordi etc. de licentia Rm̃i Archipresb. etc. interrogavit *Stephanum Grippi* etc. filium legit. et nat. quondam *Nicolai Grippi* et Iosephae Rappa iug. et Petronillam Cangialosi, viduam etc. Hieronymi Fransone, filiam quond. Iosephi Cangialosi et Ioannae Ralli iug. Eorumque habito mutuo ac libero consensu, illos per verba de praesenti, matrimonio coniunxit, etc. coram notis testibus etc. » (2).

c) Ex lib. VI matrim. fol. 217: « A. D. 1818 die 26 Ianuarii, denunciationib. etc. Ego Sac. D. Salvator di Paola, capellanus etc. de licentia etc. interrogavi *Casimirum Grippi,* filium leg. et nat. quond. *Stephani,* et viventis *Annae Bacarella,* olim iug. et Barbaram Rappa etc. filiam leg. et nat. Caesaris etc. Eorumque mutuo consensu per verba de praesenti illos in matrimon. coniunxi iuxta ritum etc. coram not. testib. etc. » (3).

d) Ex lib. XI matrim. fol. 160, (4) Anno D. 1860, die 14 Iunii. Praecursis denunciationibus in tribus diebus continuis, quae habitae fuere 12, 13 et 14 mensis Iunii 1860, ob dispensationem scripto concessam ab Excm̃i Dñi *sic* Archiep. Monregalensi, sub die 11 Iunii 1860, nulloque legitimo aut canonico impedimento detecto, Rm̃us P. D. Placidus Palmieri Cassinensis, Archipresbyter S. Mariae Magdalenae communis Borgetti, interrogavit *Salvatorem Grippi* innuptum etc. filium legit. et nat. quondam *Casimiri Grippi* et viventis *Barbarae Rappa* olim iug. – et *Petronillam Cangialosi* etc. filiam etc. quond. Iosephi Cangialosi, et Ioannae Rallo, *viduam* in primo loco Hieronymi Fransone, et in secundo *Stephani Grippi*. Eorumq. habito mutuo ac libero consensu, per verba de praesenti in matrim. coniunxit etc. coram notis testibus, hoc est D. Antonino Vicari et D. Francisco Vicari etc. »

(1) *Proces. fol.* 11 *vers.*
(2) *Ibid. fol.* 12.
(3) *Ibid. fol.* 13.
(4) *Ibid. fol.* 13.

III.

Cum igitur de affinitate constet, omnem item relaxationem defuisse, mihi videtur incredibile. Atque in prioribus iudiciis nullam de hac re inquisitionem factam esse miror. Nulli testes in ius vocati: non propinqui, non amici et vicini, et qui testes matrimonio Salvatoris et Petronillae adfuerunt; defensores an quid proposuerint, an quid egerint, prorsus non apparet. Unum intelligo ex ipsius sententiae verbis, Salvatorem Grippi (1) « semel atque iterum « rogatum de dispensatione ab huiusmodi affinitatis im« pedimento petenda, nunquam acquiescere voluisse ». Nec mirum cum mulier testetur (2) « virum nunc tandem de « solvendo coniugio cogitasse, deque ipsa relinquenda mi« seriis obruta, iam vetula, et postquam vi coegisset ad « venditionem duarum domorum suarum, cum occasio illi « oblata est novas cum quadam florentis aetatis puella « nuptias contrahendi. »

Iudices ergo satis habuerunt, Cancellarium Archiepisc. protulisse testimonium in haec verba (3): *Nullum Rescriptum dispensationis a Grippio et Petronilla fuisse exhibitum pro matrimonio contrahendo.* – Quid si ab alio quopiam fuisset exhibitum? – quid si pro matrimonio contracto? – Deesse prorsus Rescriptum in Cancellaria Archiep., ea verba minime demonstrant.

Sed fac, prorsus deesse et Rescriptum Apostolicum, et quidquid aliud ad rem praesentem facere posset: ea tamen ratio non certam facit fidem, tale aliquid *nunquam antea* extitisse. Quis ignorat, saepe evanuisse, ab archiviis diplomata, sive officialium indiligentia, sive famulorum corruptela, pecuniaeque illecebra? Inquirendum erat a testibus, inquirendum a propinquis, numquid ante vel post matrimonium de impedimento novissent aut audissent, aut de obtenta sive obtinenda dispensatione. Certe mulier citata non adfuit, tamen scripto affirmavit (4) « si post matri« nium impedimentum deprehensum sit, fuisse relaxatum

(1) *Proc. fol.* 19.
(2) *Ibid. fol.* 23.
(3) *Ibid. fol.* 14.
(4) *Proc. fol.* 23.

« ab Auctoritate ecclesiastica. » Nonne erat in hanc rem diligentissime inquirendum ?

Quaerendum erat a viro, quanto ab hinc tempore cognoverit, matrimonium esse nullum: quaerendum a muliere an revera sciret, impedimentum esse relaxatum; et quomodo, an publice, an secreto et in foro conscientiae. Non huiusmodi impedimentum, si revera per decennium mansit occultum (quod facile usuvenit inter rudes ignarosque e plebe homines) potuit S. Poenitentiaria per confessarium relaxare, ut didici a Bened. XIV. (1) – Quaerendum ab utrisque, num bona fide contraxerint: id enim maxime necessarium est ad obtinendam dispensationem. – Quaerendum etiam an re vera alter filius existat: nam mulier, altera vice dum se desertam omni auxilio queritur, unum filium habuisse testatur, qui defunctus iam sit (2); altera vero, duos filios memorat ex hoc coniugio susceptos. Iam vero omnes norunt, prolem superstitem causam dispensandi praebere (3).

IV.

Cum igitur ex actis iudicialibus fere nihil liceat extricare, si coniectura volumus quaerere aliquid, quod verisimile videatur, temporis ratio in primis habenda est. In illa totius civitatis trepidatione, impiorum hominum et barbarorum aggressionibus, proditionibus, armorumque tumultu, cum vix cuipiam in mentem posset venire, ut epistola Romam mitteretur pro obtinenda dispensatione, cum in ipsos Episcopos manus iniicerentur (ut ait Petronilla in supplici libello) (4); ea, inquam, tempestate, probabile est, ut ipse Archiepiscopus censuerit fas sibi esse, quasi vices gerens Summi Pont., dispensare ab impedimento. Nam contra quis in animum inducat, tanta omnes caecitate laborasse (sit venia verbo) nedum propinquos et amicos, sed parochum, et curiae officiales, et ipsum Archiepiscopum, ut nulli suspicio suboriretur alicuius affinitatis, quum illa ipsa attestatio, quae supra quarto loco

(1) *Instit.* 87, *n.* 9.
(2) *Proc. fol.* 20.
(3) *Ibid. fol.* 23. *Cap.* Quia circa *De cons. et aff.*
(4) *Proc. fol.* 20.

relata est, *cognomines* exhibeat Salvatorem Sponsum et priorem maritum Petronillae? Mirum sane est Archiepiscopum non solum nihil vidisse, sed nec sciscitatum num aliquid tale obesset, etiam denuntiationes remisisse; seu, quod parum differt, permisisse ut fierent tribus diebus ferialibus continuis (qui fuerunt *feria tertia, quarta et quinta* infra octavas festi Corporis Domini) et in ipsa feria quinta, h. e. die 14 Iunii, matrimonium celebrari! Tamen credere non debemus, Archiepiscopum tantum sibi sumpsisse, ut impedimentum relaxare ante matrimonium se posse arbitraretur, etiamsi occultum huiusmodi impedimentum esse putare potuisset. Hanc enim facultatem vix in vera urgente necessitate episcopis tribuunt theologi cum Ligorio (1); *puta imminente mortis periculo, vel si matrimonium sit necessarium ad legitimandam prolem, vel ad feminae vitandam infamiam,* aliaque huiusmodi mala: illud vero viri propositum sese eximendi per nuptiarum celebrationem a stipendiis faciendis, causa admodum levis aestimanda erat. Sed probabile omnino apparet, impedimentum quod facillime deprehendi posset, non animadversum in illa inconsulta festinatione, diu non latuisse, et statim ab Archiep. relaxatum fuisse. « Ultro enim concedimus Episcopo (ait Bened. XIV) illud relaxandi facultatem, quam eidem adscribunt Sylvester etc. Qui tamen unanimiter monent, non posse Episcopum eam potestatem sibi usurpare, nisi simul concurrant sex circumstantiae: 1° ut matrimonium iam fuerit contractum in faciem Ecclesiae, omnibusque adhibitis solemnitatibus: - 2° ut contractum fuerit bona fide ex iuris aut facti ignorantia: - 3° ut sit consummatum: - 4° ut impedimentum sit occultum: - 5° ut non possit facile adiri prima Sedes: - 6° ut non possit separatio fieri sine scandalo » (2). Haec dispensatio si adfuit, nec defuerit bona fides, (de qua adhuc esset inquirendum), nec obfuerint illae denuntiationes, diebus ferialibus factae, profuit quidem, sed *dumtaxat in foro conscientiae:* detecto autem impedimento, et deducto ad forum contentiosum, iam dispensatio a Sum. Pont. impetranda esset (3).

(1) *Lib.* 6 *n.* 1122.
(2) *Syn. D. l. IX. cap.* 2 *n.* 1.
(3) *Id. ibid.*

Aliam coniecturam supra attigi, ex testimonio mulieris (quantumvis levi), ipsam fortasse per confessarium obtinuisse dispensationem a S. Poenitentiaria : cuius dispensationis profecto nullum in archiviis documentum extare posset.

V.

Verum et si haec et similia veritati minime consentiant sive accedant ; si novis adhuc argumentis de validitate matrimonii magis dubitandum sit; statuendum ne propterea erit, ut coniugium ab annis prope viginti exsistens unius chartulae defectu, dissolvatur? Ratio habenda videtur et publicae opinionis, et publicae admirationis sive scandali, et temporum iniquitatis : opinionis, qua populares hucusque Salvatorem et Petronillam in vero ac legitimo esse coniugio putaverant; admirationis, publicaeque offensionis, ob tam diuturnum incestuosum concubinatum , tantamque ecclesiasticae auctoritatis incuriam : praesentis vero temporis, quo civilis auctoritas, quae sibi arrogat et inquirere de impedimentis, et civilia matrimonia coniungere, optimam sibi oblatam occasionem existimabit vituperandae Ecclesiae , et suos concubinatus summis laudibus extollendi; maximo cum ephemeridum plausu, quarum opera muliercula illa iam spopondit se facturam, ut sententia dissoluti coniugii , post tot annos et post filios inde susceptos undique evulgetur (1). Ad tot mala vitanda, equidem arbitror , petendam esse dispensationem a Summo Pontifice : quin et invito viro, matrimonium , si opus esset, sanandum *in radice;* modo constet de *bona fide* in actu matrimonii olim coram Ecclesia initi. Sanari enim nulla ratione potest, quod nunquam exstitit, videlicet consensus in matrimonium. Nam si *utrique coniuges* mala fide simulassent matrimonio coniungi, non in matrimonium consensissent, sed in concubinatum. *In copula manifeste fornicaria nulla est radix matrimonii* (2).

Contra vero, si initio verus non defuit consensus, necessaria non putatur renovatio consensus, ut sanetur matrimonium in radice; quae si necessaria esset, hoc remedium a simplici dispensatione non differret. Et profecto hoc

(1) *Proc. fol.* 20.
(2) *Ben. XIV quaest. can.* 174.

remedio Summi Pontifices usi sunt aliquando utroque coniuge, aut altero saltem inscio, aut etiam post utriusque coniugis obitum, ut proles fieret legitima. Nec necesse est, ut prior consensus moraliter perseveret: nam Benedictus XIV huiusmodi sanationem concessit dum alter coniugum matrimonii solutionem sollicitaret (1).

Mala fides etiam alterius tantum coniugis, sanationi non obest Vid. *Perrone, de Matrim. Christ. lib.* 2, *sect.* 1 *cap.* 4.

Atque haec omnia castigationi Eminentissimorum Patrum committo.

Romae 24 Februarii 1879.

P. CAROLUS STELLATI Barnab.
Consultor.

ANIMADVERSIONES

DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO

Eminentissimi et Reverendissimi Patres

1. Dum bellum acerbum et iniquum legislativis in aulis tum apud miseram hanc nostram Italiam, tum apud exteras gentes magno Matrimonii Sacramento paratur, ut divinis exinde vinculis dissolutis atque disiectis, humanum consortium nonnisi quam ex inconstanti ac lubrico civilium ordinationum fundamento, nova forma, novaque aedificatione paganorum institutis consentanea, sub liberi, ut aiunt, amoris lege consurgat, est quidem non sine animi dolore confitendum, quod non raro neque in Ecclesiae propugnaculis sacramenti ipsius religio tutum ac incolume adinveniat diffugium. Non semel enim nec infrequenter in Ecclesiasticis Curiis, non quidem novi Mundi, sed huic almae Urbi sapientiae et canonicae praesertim disciplinae

(1) Decr. *Etsi matrimonialis* Bull. t. 4 sub num. 51.

fonti et magistrae proximioribus, sanctissimis ac providis Sanctorum Pontificum constitutionibus neglectis, adeo leviter, atque adeo desidiosa incuria matrimoniales causae pertractantur, ut praeter superficialem iudiciorum ritus observantiam, nihil solidum, nihil accuratum occurrat, quod et ad veritatem in aprico reponendam, et ad protuendam conferat Sacramenti religionem.

2. Deplorandum eiusmodi incuriae exemplum exhibet haec causa, dum pari fatuitate in duplici sede iudicii exagitata est, in Archiepiscopali nimirum Curia Montis Regalis, et in Curia Calatanisiadensi, quae ob unam deficientem dispensationis super impedimento *secundi gradus paris affinitatis* probationem, nullis auditis septimae manus testibus, nullo nec a coniugibus praestito iuramento, exindeque exceptione dispensationis forsan relatae posthabita, concordi sensu de matrimonii nullitate pronunciarunt. Fateor, *Eñi ac Rñi Patres*, ingrato sensu me persensisse correptum dum actorum processum percurrerem quum ita perfunctorie Sacramenti causam vidissem pertractatam perinde ac si de triobolari ageretur contentione. Sed in tanta illorum iudicum oscitantia et levitate me nunc reficit ac recreat sapientia et prudentia vestra, ut ad salutare exemplum aliorum desidiam vel inscitiam Curiarum illarum emendare decernatis sententiam earumdem obliterantes.

3. Testimonium vel imprimis invoco peritissimi Consultoris Canonistae in hac causa adhibiti, Rñi P. Stellati, qui utcumque affinitatem inter coniuges impugnare non autumasset, nihilominus dispensationis indultum, multiplicibus coniecturis in subsidium adductis, vel elargitum percenseri contendit §. III in princ. - ibi - « Cum igitur « de affinitate constet, omnem item relaxationem defuisse, « mihi videtur incredibile », vel, in pessima etiam hypothesi, ex gravissimis rerum adiunctis in praesens urgentibus ad matrimonium in radice sanandum implorari debere sub fine eiusdem Voti suadet.

4. Nihil hic melius ad rem facere puto quam elegantem doctissimi Consultoris elucubrationem in hac parte ex integro recitare prouti iacet in eiusdem VOTO § V. - ibi - Verum et si haec et similia veritati minime consentiant sive accedant; si novis adhuc argumentis de validitate matrimonii magis dubitandum sit; statuendum ne propterea erit, ut coniugium ab annis prope

viginti exsistens unius chartulae defectu dissolvatur? Ratio habenda videtur et publicae opinionis, et publicae admirationis sive scandali, et temporum iniquitatis: opinionis, qua populares hucusque Salvatorem et Petronillam in vero ac legitimo esse coniugio putaverant; admirationis, publicaeque offensionis, ob tam diuturnum incestuosum concubinatum, tantamque ecclesiasticae auctoritatis incuriam: praesentis vero temporis quo civilis auctoritas, quae sibi arrogat et inquirere de impedimentis, et civilia matrimonia coniungere, optimam sibi oblatam occasionem existimabit vituperandae Ecclesiae, et suos concubinatus summis laudibus extollendi; maximo cum ephemeridum plausu, quarum opera muliercula illa iam spopondit se facturam, ut sententia dissoluti coniugii, post tot annos et post filios inde susceptos undique evulgetur. Ad tot mala vitanda, equidem arbitror, petendam esse dispensationem a Summo Pontifice; quin et invito viro, matrimonium, si opus esset, sanandum *in radice;* modo constet de *bona fide* in actu matrimonii olim coram Ecclesia initi. Sanari enim nulla ratione potest, quod nunquam exstitit, videlicet consensus in matrimonium. Nam si utrique coniuges mala fide simulassent matrimonio coniungi, non in matrimonium consensissent, sed in concubinatum. *In copula manifeste fornicaria nulla est radix matrimonii.*

Contra vero, si initio verus non defuit consensus, necessaria non putatur renovatio consensus, ut sanetur matrimonium in radice: quae si necessaria esset, hoc remedium a simplici dispensatione non differret. Et profecto hoc remedio Summi Pontifices usi sunt aliquando utroque coniuge, aut altero saltem inscio, aut etiam post utriusque coniugis obitum, ut proles fieret legitima. Nec necesse est, ut prior consensus moraliter perseveret: nam Benedictus XIV huiusmodi sanationem concessit dum alter coniugum matrimonii solutionem sollicitaret. Mala fides etiam alterius tantum coniugis, sanationi non obstat; vid. *Perrone, de Matrim. Christ. lib. 2, sect. 1 cap. 4* —.

5. Hucusque peritissimus Consultor; verum praeter ea quae ab extrinseco manifestum rei discrimen commonstrant, illud, quod prae omnibus infirmationem sententiarum urget, est potissimum monstruositas iudicii in utraque sede exagitati, in quo quaelibet vel elementaris

canonicae disciplinae regula posthabita ac omnino neglecta est. Quis enim ignorat, in matrimonialibus causis primum atque substantialem ordinem a iuramento coniugum atque a testium septimae manus depositionibus exordiri? Atqui hoc examussim praescribit *Instructio* ab H. S. O. die 22 Augusti 1840 evulgata §. *Cum itaque* – ibi – « Cum itaque « statuta dies advenerit *pars nullitatem matrimonii alle-* « *gans* comparebit, ut supra dictum, coram iudice, ad- « stante Defensore matrimonii et Cancellario. *Iudex defe-* « *ret parti examinandae iuramentum de veritate dicenda,* et « deinde reserabit interrogatoria exhibita, ut supra dictum « est, a Defensore matrimonii, eaque singulatim proponet, « audiet responsiones, easque dictabit Cancellario ».

6. Haec de examine coniugis qui nullitatis querelam proposuit; sed nec minus alter coniux eidem iudiciali inquisitioni subiiciendus est, atque etiam testes ex utroque latere inducendi; ita prosequitur Instructio in §. *Expleto* – ibi – « Expleto EXAMINE illius CONIUGIS, qui actor « fuit in promovenda nullitatis querela, SEQUITUR EXA- « MEN ALTERIUS CONIUGIS, quod erit conficiendum « IISDEM PRORSUS METHODO AC LEGE, quae prae- « scripta fuerunt in praecedentibus paragraphis, ac sub « iisdem interrogatoriis actori propositis, vel aliis additis « vel novis confectis, prout Defensor matrimonii in Do- « mino censuerit. *Deinde procedendum erit* AD EXAMEN « *septimae manus, hoc est* SEPTEM PROPINQUORUM EX « UTROQUE LATERE ad formam textus in *cap. literae* « *vestrae De frigid. et maleficiat.* »; atque non minus perspicue in §. *Deinde* – ibi – « Ut id facilius exequi Iu- « dex valeat, Defensor matrimonii citabit *partem actri-* « *cem,* ut indicet *septem sibi sanguine, vel affinitate* CON- « IUNCTOS, si fieri possit, sin minus septem vicinos bo- « nae famae . . . Similiter instante Defensore *citandus* « *erit alter coniux,* ut etiam ipse indicet SEPTEM PRO- « PINQUOS VEL AFFINES, iisque deficientibus, septem « vicinos bonae famae, qui, ut supra dictum est, deponant; « *seorsum erunt* HI QUATUORDECIM *conflantes septimam* « *manum examini subiiciendi* designatis diebus et horis, « delato prius singulis iuramento ».

7. Est omnibus alioquin exploratum, quod in causis matrimonialibus OMNIUM GRAVISSIMIS non magis de iuribus coniugum controvertitur, quam de religione christia-

ni connubii; imo etiam PRAECIPUE *de sacramentali vinculo*, ex divina caeteroquin institutione aeterno et indissolubili agitur, hoc ipsum praemonente S. H. O. in relata *Instructione* §. *Cum* – ibi – « *Cum itaque in huiusmodi causis, non de iure alterutrius partis tantum, SED PRAECIPUE DE SACRAMENTALI VINCULO dissolvendo agatur* ». Sapientissimas idcirco hasce regulas non perfunctorie, non ad arbitrium iudicis observandas praestituit S. ORDO; sed prouti *fundamentales* inconsummationis *probationes ACCURATISSIME CUMULANDAS*, atque *substantiales* exinde iudiciorum actus; ita ut, iisdem deficientibus, tum ex praecitata Benedictina, tum ex dispositione H. S. O. inquisitionis processus meritissime incidat SUB POENA NULLITATIS OMNIUM ACTORUM —; eadem *Instructio in princ.* – ibi – « Ad removendas vero fraudes, « quae coniugum malitia vel collusione saepe oriebantur, « S. M. Benedicti XIV in Constit. *Dei miseratione* processum conficiendum esse praecepit SUB POENA NULLITATIS OMNIUM ACTORUM, ut probationibus undequaque ACCURATISSIME CUMULATIS, in causis huiusmodi OMNIUM GRAVISSIMIS, in quibus agitur de Sacramenti validitate vel nullitate, AC DE DISSOLVENDO VINCULO MATRIMONIALI, iudices in proferendo iudicio tuti acquiescere possent. At quia saepe in hoc difficillimo processu acta minus recte, et apte ad veritatem eruendam conficiebantur, Sacra Congregatio saepius instructiones edidit, ac normam praescripsit, quam Episcopi sequerentur. Cum itaque etc. ».

8. Numquid a providis et perspicuis hisce sanctionibus declinari poterit in causa nullitatis ob impedimenta consanguineitatis vel affinitatis, vel alia huius generis, quae aut ex parochialibus aut ex Curialibus tabulis valeant demonstrari? Nil minus; quandoquidem tam variae ac multiplices concurrere possunt rerum circumstantiae et adiuncta, ut, etiam subsistente impedimento, ex coniugum testiumque depositionibus emergere possit dispensationis ab Ecclesia elargitae probatio, ex qua sacramenti vinculum aliquando sartum tectumque resultet.

9. Iam primo quidem nullam vel minimam distinctionem aut exceptionem pro eiusmodi impedimentis neque Benedictus XIV in sua Constitutione *Dei miseratione*, neque S. hic Ordo in enunciata Instructione 1840 adiecit custo-

diendam in iudiciali processu. Quum enim in hac evulganda Instructione S. Congregatio regulas ac normas in causis matrimonialibus observandas praestitisset, absolute et generice de omnibus eiusmodi causis tum ritualem ordinem disposuit, tum probationum testimonialium ex septima coniunctorum manu receptionem, unde iisdem, ceu admonet in prooemio « probationibus undequaque accura« tissime cumulatis, in causis huiusmodi omnium gravis« simis, in quibus agitur de sacramenti validitate vel « nullitate, iudices in proferendo iudicio tuti conquiescere « possent ». Quoniam autem ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, hinc cum causas a causis, impedimenta ab impedimentis non distinguat Instructio 1840, perperam ac temere in iudicio nullitatis nuptiarum ob affinitatis impedimentum examen septimae manus excluderetur.

10. Quid, si ab Sacris Canonibus vel ipsis in huius generis impedimento iudicialiter explorando examussim *testes* requiruntur? Atqui hoc quidem statuit Alexander III in causa coniugii a vidua contracti, dum impetito matrimonio a duobus accusatoribus *iuratis* ob impedimentum consanguinitatis viri cum praedefuncto coniuge, decrevit Summus Pontifex ut inquisitio absolveretur, aliis adhibitis *testibus circumspectis atque omni exceptione maioribus;* ita in *cap. Ex litteris* 1. *De consanguin. et affin.* = ibi – « Ex « litteris tuis accepimus, quod cum quidam secreto quam« dam viduam subarrhasset, et carnaliter cognovisset, et « infra. Tandem cum vir paratus esset eam in conspectu « ecclesiae subarrhare, surrexerunt duo proponentes, quod « iste, qui eam subarrhare volebat, priorem virum quarto « gradu consanguinitatis attingit; unus autem ita se au« divisse iuravit, alius noluit id iuramento firmare et infra. « Nunc quaestio prima revixit, et *iuraverunt duo* coram « Archipresbytero Plumbarolae, *quod primus vir fuit su« perstiti quinto consanguinitatis gradu coniunctus*. Quo« circa mandamus, quatenus utramque partem ante tuam « praesentiam convoces, et facias testes coram te iurare: et in« fra INQUISITA VERO DILIGENTIUS VERITATE, SI PER « TESTES CIRCUMSPECTOS OMNI EXCEPTIONE MAIO« RES INVENERIS quod primus vir superstitem quarto gra« du consanguinitatis attingit, non differas divortii senten« tiam promulgare ».

11. Nec absona quidem a Sacris Canonibus est communis observantia, cum in eiusmodi causis ob consanguinitatis, vel affinitatis impedimentum excitatis, amplissimus hic S. Ordo processuales actus ad tramitem Constitutionis Benedicti XIV *Dei miseratione* nec non pluries citatae Instructionis 22 Augusti 1840 instaurari demandat. Luculentissimum testimonium exhibet de hoc, centenis aliis praetermissis, *Verulana Matrimonii diei* 13 *Augusti* 1870. Agebatur quippe de nullitatis iudicio ob impedimentum consanguinitatis; et cum S. Congregatio processum a Verulana Curia instaurari mandasset, ceu refert Synopsis § *Coniugio* – ibi – « *ad tramites Constitutionis san. mem. Benedicti XIV Dei miseratione* », prae primis quidem ad consanguinitatem in quarto gradu ostendendam exhibita est in actis arbor genealogica ex parochialibus codicibus confecta; ita quippe perlegitur in Voto Theologi *cap.* 2 §. *Sane* – ibi – « *Sane extat in actis GENEALOGICA ARBOR familiae Campoli* a Parocho Collegiatae S. Pauli Verularum confecta, quae initium ducens a quodam Angelo Campoli communi tum Raphaelis tum Philumenae (coniugum) stipite, ac singulas generationes enumerans, horum quemque in quarto ponit distantiae gradu ab ipso communi stipite, proindeque *in quarto aequali inter se consanguinitatis gradu coniunctos facit* ».

12. Isthac nihilominus tam propatula impedimenti demonstratione haud obstante, sedulo cavit Curia Episcopalis *testes numero plures* accersere. Et ne exemplum illius Curiae parvi pendendum esse quis autumet, facile occurrit iudicium S. huiusce Congregationis, quae in praecitata Synopsi, praeter arboris genealogicae testimonium debito etiam habuit in pretio depositiones testium ad septimam propinquorum manum conflandam adhibitorum; ita §. *Quod vero* – ibi – « Quod vero attinet ad allegatum consanguinitatis impedimentum, Vincentius Ascenzi actualis Parochiae S. Pauli Abbas accitus, sub iuramenti religione testatur, ex parochialibus baptismatum, matrimoniorum, et funerum libris, quos in medium profert, erui Raphaelem Campoli et Philumenam Ancione in quarto aequali lineae collateralis gradu esse consanguineos. Cui consonat Felix Crescenzi, qui tempore initi matrimonii Parochus existebat. *Idem comprobant* TESTES *numero plures e cognatione et vicinia accersiti*. Ex quibus primus

« Benedictus Campoli Raphaelis avus, qui praestito iura-
« mento adseruit – tra i suddetti soggetti (Raphaelem
« nempe et Philumenam) vi era certamente parentela –.
« Aloysius Papetti unus ex antiquioribus illius loci, qui
« clarius et apertius de coniugum consanguinitate testimo-
« nium perhibuit.... Idem repetit Antonius Campoli, Ma-
« ria Ancione, Candidorus Dominico, et Dominicus Cam-
« poli ».

13. Ne quis autem oggerat, quod in hoc exemplo septima manus nihil subsidii attulit sacramenti causae, quum veritatem arboris genealogicae potius obfirmasset. Quid inde? Potuisset etiam illi refragari; potuisset testimonio et scripturae Parochi contradicere; potuisset de obtenta dispensatione testimonium proferre. Per accidens e contra concordavit cum fide Parochi; sed hoc non impedit quod aliquando vel testes contrarium affirment; et tunc diligentior inquisitio instaurari debet; vel de dispensatione a coniugibus quandocumque obtenta edoceant, et tunc impedimentum sua mole proruit. Hoc unum alioquin semper urget, ut, quia de causa agitur omnium gravissima, Sacrorum Canonum sanctiones, Constitutio Benedictina *Dei miseratione,* atque Instructio S. H. O. 22 Augusti 1840 debeant ad unguem observari ac religiose custodiri.

14. Ecquid in casu hoc nostro? Quomodonam Ecclesiae disciplina in iudiciali ordine observata est? Quonam desuper fundamento ab una et altera Curia lata est sententia nullitatis in controverso coniugio? Super una tantummodo arbore quadam genealogica ex matrimoniorum libris efformata, quae Petronillam in secundis nuptiis cum Stephano quodam Grippi ex Casimiro patre et Stephano avo descendente antea coniunctam ostendens, affinitatem in secundo gradu constituit inter ipsam et Salvatorem Grippi, qui ex Nicolao genitore et Stephano Grippi avo obortus de anno 1860 eamdem foeminam duxit in uxorem.

15. Huic uni innixus testimonio satis habuit Archiepiscopalis Curia Montis Regalis ut, impedimento admisso, nihil ultra quaerendum esse existimaret, quo magis de nullitate matrimonii satis constare ediceret: « viso libello
« Salvatoris Grippi... Inspecto perpensoque processu in hac
« Curia Archiepiscopali inspecto et absoluto.... Attenden-
« tes affinitatem ex copula licita, idest coniugali iure no-
« vissimo usque ad quartum gradum matrimonium diri-

« mere... *in facto satis constare* ex actis processualibus,
« Salvatorem Grippi et Petronillam Cangialosi viduam
« Stephani Grippi *secundo affinitatis gradu* aequali lineae
« collateralis *inter se irretitos esse*, et matrimonium abs-
« que apostolica dispensatione contraxisse . . . . Visis
« videndis, et consideratis considerandis . . . dicimus, de-
« cernimus, ac definitive pronunciando *declaramus, satis*
« *constare de nullitate matrimonii* initi die 14 Iunii 1860
« inter Salvatorem Grippi et Petronillam Cangialosi vi-
« duam Stephani Grippi *ob dirimens* secundi gradus ae-
« qualis lineae collateralis *affinitatis impedimentum*, quo
« invicem sunt irretiti ».

16. Nec maiorem adhibuit diligentiam Episcopus Calatanisiadensis, ad quem tamquam ad viciniorem in vim Apostolicae Bullae *Multis gravissimis* mulier appellaverat; quandoquidem, uno perpenso *schemate genealogico*, atque attestatione negativa dispensationis a Curia Montis Regalis emissa sententiam confirmavit ab eadem Curia prolatam
« Ex una parte clarissime probatur *ex schemate genealogico*
« legitime desumpto . . . ipsos Cangialosi et Grippi con-
« iunctos esse in secundo affinitatis gradu aequali *lineae*
« collateralis, et ex altera parte clarissime probatur *ex at-*
« *testatione negativa dispensationis* per Cancellariam Mon-
« tisregalis . . . impedimentum dirimens matrimonium,
« quod exurgit ex praedito gradu affinitatis non fuisse di-
« spensatum . . . pronunciamus et definimus ut iudex de-
« legatus in dicto gradu appellationis, ex impedimento di-
« rimente non dispensato secundi gradus paris affinitatis
« collateralis matrimonium inter dictos Cangialosi et Grip-
« pi nullum fuisse et invalidum ».

17. Nullum, ceu per se manifestum est, examen coniugibus indictum; nullum iuramentum ab iisdem praestitum; nulla ex septimae manus testibus instaurata inquisitio. Quid? Poteritne ita impune iudicialis ordo sanctissimis Ecclesiae sanctionibus subtrahi, quominus in causa matrimonii omnium gravissima super una ac omnium infirmissima probatione proferri possit dissolutionis iudicium? Si quid intelligo, vel nullo amplius in honore habentur Sacri Canones, ac ita Benedectina Constitutio, quae semitam praestituit in hisce iudiciis, atque etiam Instructio S. Ordinis 1840, quae singulas ac speciales normas definivit; vel si adhuc in honore sunt, nullitatis censura infligenda est utriusque Cu-

riae Sicilianae sententiae, quae directo praenotatis sanctionibus opponitur, ita *Instructio in princ.* -ibi- « *S. M. Benedicti XIV in Constitutione Dei miseratione, processum conficiendum esse praecepit* SUB POENA NULLITATIS OMNIUM ACTORUM ».

18. Quaestiones iam satis graves enunciavit peregregius Consultor Canonista quae ob incuriam inquirentium, et imperfectionem processus insolutae hactenus permanent in hac causa. Optima enim quaerit ratione, quomodonam tuto constitui possit, quod nulla intercessisset impedimenti dispensatio ob hoc unum quod, ita §. 6-ibi- « nullum Rescriptum dispensationis a Grippo et Petro- « nilla fuisset exhibitum pro matrimonio contrahendo? « Quid si ab alio quopiam fuisset exhibitum? Quid si pro « matrimonio contracto? Deesse prorsus Rescriptum in « Cancellaria Archiepiscopali ea verba minime demon- « strant. Sed fac, prorsus deesse et Rescriptum Apostoli- « cum, et quidquid aliud ad rem praesentem facere pos- « set; ea tamen ratio non certam facit fidem tale aliquid « *numquam* antea extitisse. Quis ignorat, saepe evanuisse « ab archiviis diplomata, sive Officialium indiligentia, sive « famulorum corruptela, pecuniaeque illecebra? . . . . . « Quaerendum erat a viro, quanto abhinc tempore co- « gnoverit, matrimonium esse nullum; quaerendum a mu- « liere, an revera sciret impedimentum esse relaxatum, et « quomodo, an publice, an secreto et in foro conscien- « tiae ».

19. Quaestionibus istiusmodi, quas nemo ambiget esse gravissimas, et quae validitatis vel convalidationis coniugii iudicio maxime auxilium et opem conferunt, ex nullo alio fonte suppeditari lux potuisset, quam et ab ipsis coniugibus, atque ab eorumdem propinquis et vicinis. Atque ut de una tantum quaestione aliquid tangam, ecquis adfirmare tuto posset, nullam neque post contractum coniugium intercessisse dispensationem? Declaravit equidem mulier in suo libello iudici Calatanisiadensi exhibito quod impedimentum fuit iamdiu sanatum « se posterior- « mente al matrimonio si scuoprì impedimento di lonta- « na parentela *venne sanato dalla dispensa* dell'autorità « ecclesiastica ». Una tamen desideratur probatio dispensationis eiusmodi. Quae tamen adduci, atque ostendi pro-

batio potest, si a S. Poenitentiaria elargita fuerit ministerio Confessarii?

20. Nemo porro ignorat, quod ex Constitutione praelaudati Pontificis Benedicti XIV, quae incipit *Pastor bonus*, Maior Poenitentiarius facultatem habet dispensandi a *secundo* consanguinitatis vel *affinitatis gradu*, si post matrimonium rite ac bona fide contractum, saltem per *decennium* impedimentum permanserit occultum, cit. Constitutio §. 40 - ibi - « in contractis vero matrimoniis a di-
« spensatione, seu matrimonii revalidatione in gradibus
« primo et secundo, seu secundo tantum consanguinitatis
« vel affinitatis ex copula licita, etiam in occultis, pari-
« ter abstineat; *praeterquam si in secundo tantum gradu*
« *praedicto impedimentum saltem* PER DECENNIUM *durave-*
« *rit occultum*, et oratores simul publice contraxerint, et con-
« vixerint, et uti coniuges legitimi reputati fuerint ». Notum est etiam unicuique dispensationem largiri solere ab eadem S. Poenitentiaria ad matrimonium in radice convalidandum, etiam altero ex coniugibus inscio tum impedimenti tum petitae dispensationis.

21. Indulta et gratiae istiusmodi solet ut plurimum S. Poenitentiaria concredere simplici Confessario, qui petitionem pro poenitente obtulit; et cum gratiae detur executio, apponi etiam solet clausula, *combustis* post executionem *litteris*. Ex quo itaque Petronilla confessa est in libello apud iudicem secundae sedis, impedimentum fuisse iamdiu sanatum, iam necessitas urgebat formale examen instituendi, ut exinde emergeret, num de hac dispensatione aliqua opitulari posset probatio, sive ex testibus, sive ex Sacerdote, cuius forsan ministerium adhibitum fuerat. Sed haec omnia neglecta, omnia praetermissa sunt ab utraque Curia; eapropter dum iudicium ferri deberet de dispensatione impedimenti iamdiu forsan obtenta, nullo in pretio disciplinaribus habitis praescriptionibus, neque ulla exercita est diligentia, nullumque examen assumptum, ut de dispensatione eadem elucesceret veritas.

22. Caeterum quidquid emergere possit ex hoc examine, semper quidem extra omnem dubitationis aleam est, quod ex eiusdem praetermissione graviter et substantialiter iudicialis processus labefactatus est. Ubi exinde EE. VV. haud arridat egregii Consultoris Canonistae Voto adhaerere in eo quod consiliatur dispensationem a Cle-

mentia Summi Pontificis ad sanationem matrimonii in radice, utut renuente viro, implorare, hoc optima ratione a iustitia vestra nunc postulo, ut Sacramenti causa iusto ac legitimo subsidio iuramenti et examinis coniugum atque auditionis septimae manus non destituatur.

23. Haud equidem res est de gratia, quae ad dispensationem imploratur, utcumque optimum, si adhiberi valeat, consilium hoc esset ad medelam huic matrimonio, atque remedium inevitabilibus periculis a praelaudato Consultore notatis afferendum; sed res est de ordine iudiciali restaurando, quominus eiusdem perturbatio graviora mala et pericula possit prodignere, seu quod litigantium iura pessumdantur, seu quod auctoritas legis et honor legislatoris despicitur. Quae omnia ut in hac causa, etiam ad aliorum exemplum eliminentur, iterum obsecro obtestorque Vos, *Eñi Patres,* ut, praedictarum Curiarum sententiis posthabitis, actorum processum debite ac rite compleri decernatis.

Quare etc.

FLAVIANUS SIMONESCHI
Adv. Defensor Matrimonii ex officio.

Sess. 22 cap. 9 de Reform.

THEATINA EXECUTIONIS BREVIS IURIS ET PRIVILEGIORUM. = Sodales Congregationis a Suffragio, seu Montis Mortuorum loci *Tocco,* Theatinae dioecesis, supplici dato libello sub die 11 Iunii 1876 Sacratissimum Principem adiverunt, exponentes: « che l'anzidetta Confraternita aggre« gata il 1653 all' Arciconfraternita Madre di cotesta al« ma Città, ed arricchita di tutti e singoli i diritti, ono« ri, privilegi e prerogative di cui possono e sogliono go« dere le Arciconfraternite, come risulta dall'atto di ag« gregazione, e da apposito Breve Apostolico del 29 Apri« le 1825, si trova nel pacifico possesso di celebrare « le seguenti sacre funzioni con la esposizione del Vene« rabile: – 1° Vespro e Notturno dei morti in ogni terza « Domenica, e Messa cantata in ogni primo e terzo Lu« nedì; nè legato pio, nè lascito, ma puro e semplice « obbligo di Congrega verso i trapassati fratelli e sorelle. « 2° L'Ottavario dei morti. 3° La novena della Titolare, « e del S. Natale. 4° Il notturno dei morti in ogni Mar« tedì di ciascuna settimana, e nelle quattro Domeniche « dopo le Quattro Tempora. 5° Il S. Sepolcro. 6° Ha un « altare privilegiato in perpetuo. 7° Gode diverse indul« genze plenarie e parziali.

« Finalmente la Santità Vostra con Breve del dì 24 Set« tembre 1875 si degnava concedere alla prefata Archi« confraternita di tenere, con facoltà, il SS. Sacramento, « e ciò per un decennio.

« Ora la Curia Arcivescovile di Chieti si ricusa di « dare esecuzione al menzionato Breve ed inibisce all'Ar« ciconfraternita l' esercizio delle suddescritte sacre fun« zioni; come non riconosce l'Altare privilegiato, e le In« dulgenze sulle basi di volersi riconoscere e ritenere ille« gale l'avvenuto trasferimento nella nuova Chiesa; tut« tochè successo dietro previa communicazione d'ufficio tan« to alla Rm̃a Curia di Chieti, quanto al Parroco della « parrocchia.

« Gli Oratori pertanto si rivolgono alla S. V. im« plorando che voglia degnarsi di ingiungere alla Curia « Arcivescovile l' esecuzione del Breve suddetto; di far « mantenere l' Arciconfraternita nel pacifico possesso del« l'esercizio di quelle sacre funzioni; e di dichiarare che

« all'anzidetta Confraternita compete il diritto di celebrare qualunque altra sacra funzione non puramente Parrocchiale, a norma della Costituzione di Papa Clemente VIII 1594, riconfermata con Breve di Leone XII 1825, e dalle vigenti leggi Canoniche . . . »

Requisitus de more Theatinus Archiepiscopus pro informatione et voto, et praesertim, ut auditis Confratribus rite congregatis auditoque Parocho in scriptis, transmissisque documentis ad rem facientibus, referat de bono Oratorum iure, sub die 19 Sept. 1876 transmisit copiam tum formalis conventus habiti a Confratribus a Suffragio, tum etiam relationis Parochi. De bono autem Oratorum iure edicens; ita se habet: « Nel compiere la seconda Santa Visita Pastorale nel mese di Maggio del passato anno in Tocco, paese di questa Archidiocesi, tra le altre Chiese visitai pure l'Oratorio della Confraternita del Suffragio, in cui osservai, che vi si conservava perennemente il Sacramento, e nell'altare erasi apposta l'iscrizione dell'Altare Privilegiato perpetuo. Chiesi conto dell'autorizzazione, che doveasi per necessità avere ottenuto per la conservazione del SSmo Sacramento, e della concessione dell'Altare Privilegiato: ed ebbi occasione di assicurarmi che non esisteva nè l'uno nè l'altro. Per l'Altare privilegiato si sosteneva che la Confraternita ne godeva l'Indulto in forza dell'aggregazione all' Arciconfraternita Madre di Roma, e circa la conservazione del Santissimo si pretendeva esservi necessaria per adempiere ad alcune funzioni di obbligo della Confraternita. Io osservando che tali fatti erano abusi, mentre il Santissimo non può ritenersi senza speciale privilegio, tanto più che l'Oratorio in parola è vicinissimo alla Chiesa Parrocchiale, e l'Altare privilegiato non si ottiene per la semplice aggregazione all'Arciconfraternita Madre di Roma, ma solo si godono le Indulgenze e grazie spirituali, come si legge nella Biblioteca Canonica di Lucio Ferrari alle parole *Confraternitas art.* 1 N. 41, e *Altare privilegiatum* N. 36, disposi che si fosse rimosso il Santissimo, che si conservava abitualmente, salvo ad accordargliene licenza in qualche volta e in qualche funzione, che avessi stimato espediente; come prescrissi che si togliesse l'iscrizione dell'Altare privilegiato, la quale induceva all'inganno i fedeli, perchè annunziava un pri-

« vilegio, che realmente non si godeva; mentre non può
« militare a favore di tale preteso privilegio la Bolla di
« Clemente VIII che comincia *Quaecumque*, data ai 7 De-
« cembre 1604, giacchè le concessioni che in esse si con-
« tengono sono esclusivamente riferibili all'Arciconfrater-
« nita di Roma.

« La Confraternita anzichè eseguire le dette di-
« sposizioni, siccome avrebbe dovuto, anche perchè date
« in occasione di Sacra Visita, in cui il Vescovo as-
« sume la qualità di Delegato Apostolico, ne avanzò ri-
« corso alla Santa Sede, asserendosi in esso che le si im-
« pedivano le funzioni figurate tra gli obblighi della Con-
« fraternita, delle quali si trovano in pacifico possesso,
« perchè inibii di tenersi il Santissimo, quasichè tali fun-
« zioni non potessero praticarsi senza il Santissimo. È vero
« che posteriormente a tale disposizione mi si presentò
« un Breve della Santa Sede, col quale si permette alla
« detta Confraternita di conservarsi il Santissimo, ma ri-
« levando in esso che si rimetteva a mio arbitrio e co-
« scienza di permettere per un decennio la conservazione
« del Santissimo, e perchè nell'esposto, che lo provocava
« si taceva la verità, cioè che il detto Oratorio è vicinis-
« simo alla Chiesa Parrocchiale, credetti non darvi esecu-
« zione. La Confraternita di che trattasi, in origine fu
« eretta nella Chiesa Parrocchiale, e propriamente nell'Al-
« tare del SSmo Crocifisso ivi esistente, e solo si permi-
« se che costruisse un Oratorio separato perchè potesse
« più speditamente e senza impedimento alcuno delle Fun-
« zioni Parrocchiali compiere gli atti di culto, cui la Con-
« fraternita in virtù delle regole è obbligata, come bene
« avverte il Parroco, e non mai emanciparsi dalla dipen-
« denza della Parrocchia, e potrebbero benissimo le funzioni
« eseguirsi nell'Altare del Crocifisso nella Parrocchia, ri-
« manendo solo alla Congrega, l'uso dell'Oratorio per la
« recita dell'ufficio, per le riunioni sodalizie ecc. mentre
« per le funzioni enumerate dalla Confraternita non si ri-
« chiede, come si è avvertito, la conservazione del SSmo,
« nè l'esposizione del Venerabile nei Vespri e Notturni
« dei Morti... Voglia ora dopo tutto degnarsi la Sacra Con-
« gregazione emettere delle provvidenze opportune, che
« richiamino nei limiti del dovere e del diritto la ripe-
« tuta Confraternita, e salvino i diritti della Parrocchia,
« non che le leggi della Chiesa. »

His acceptis literis sub die 23 Septembris 1876 rescriptum prodiit. « *Coadiuventur ab Oratoribus probationes, et exhibeatur copia Apostolici Brevis diei* 24 *Septembris* 1875. » Quibus mandatis iussa facientes Sodales exhibuerunt Actum Aggregationis Archiconfraternitati Urbis, nec non laudatum Apostolicum Breve. Omnibus itaque rite perpensis sub die 20 Ianuarii anni 1877 rescripsi : « *Ponatur in folio, et notificetur Archiepiscopo, qui moneat partes, causam disceptandam esse in plenario EE. PP. Consessu, eisque praefigat congruum terminum ad deducendum iura sua coram S. Congregatione, ac de resultantibus certioret.* »

Omnibus de more expletis in hodierno conventu causam disceptandam proposui sub dubiis in calce excriptis, hinc operae pretium duxi nonnulla ex officio adnotare quae pro utraque parte militant, ut quaestio facilius definiri possit.

Et in primis Sodalium favore haec perpendenda videntur. Compertum in facto est quod a suprema auctoritate Ecclesiae per Breve Confratribus loci Tocco indultum fuit ad decennium privilegium asservandi in proprio Oratorio Augustissimum Sacramentum et quod Episcopus constitutus fuerat ipsius Brevis exequutor. Atqui non minus in iure certum est quod mero exequutori committitur nudum seu merum exequutionis officium absque exercitio iurisdictionis *Ferraris Biblioth. can. un. verb. Exequutor num.* 1 Hac ergo stante definitione iam supervacaneum videretur de vi quaerere clausulae *pro tuo arbitrio concedas* in Apostolico Brevi apposita quae nil aliud est quam conventionalis formula ob reverentiam in exequutorem, non substantialis ac intrinseca conditio ita ut in vim illius possit Antistes recusare rescripti vel Brevis exequutionem. Notum namque est quod illa clausula ponitur vel ne inscio Ordinario, gratia sortiatur effectum, vel ne modo parum decenti exequutio ipsi iniungatur, veluti perpendit S. C. in *Romana seu Auximana Sudsidiorum Dotalium* 6 *Decembris* 1845 §. *Qua*.

Posita igitur Pontificii Brevis exequutione nedum Confratres ius sibi contendunt retinendi in propria Ecclesia Augustissimum Sacramentum; verum etiam ius sacras peragendi functiones ad Statutorum tramites, idque in vim Aggregationis Archiconfraternitati Urbis. Memorato enim aggregationis diplomate de anno 1653 sancitum le-

gitur Confraternitatem loci Tocco *sub protectione perpetuo permanere* Urbanae Archiconfraternitatis eique aggregari. Per quam autem aggregationem ex Bulla Clementis VIII cuius initium *Ex debito* « aggregatis Confratribus, ac earum « Ecclesiis, Cappellis, Oratoriis, et Confratribus et perso- « nis, omnia et singula privilegia, indulgentias... faculta- « tes, caeterasque gratias praedictae Archiconfraternitati « eiusque confratribus necnon Ecclesiae seu Capellae hu- « iusmodi concessas (facultate eligendi Confessorem necnon « aggregandi et gratias huiusmodi communicandi excepta) « communicare ac concedere et alia omnia in similibus « per alias dictae Urbis Archiconfraternitates, earumque « confratres fieri et observari solita facere, *libere et licite* « *valeant, plenam, liberam, et omnimodam licentiam, fa-* « *cultatem et authoritatem harum serie impertimur.* »

Quibus privilegii verbis innixi illud sibi attributum contendunt Sodales, ut quod Constitutione Clementis VIII decretum est ab Episcopo modo infringi non valeat. Licet enim de iure aliquod Episcopi in Sodalitates obtinent, id solummodo in nova Sodalitate instituenda, eiusque aggregatione probanda attendendum est, non vero quando editum iam sit ab Episcopo de aggregationis approbatione decretum, quin privilegia ibidem delata moderari, vel commutare censuerit. Si enim quolibet tempore, et pro Antistitum lubitu possit quidpiam de privilegiis iampridem probatis libere derogari, vel etiam ipsa adimi omnino, inutiles essent Apostolicae Bullae, inutiliter pariter privilegia *perpetuo* attributa forent.

Iamvero Aggregationis decretum ab eo qui tunc temporis Theatinae praeerat Ecclesiae, nulla iniecta conditione approbatum fuit. Ergo in actualis Antistitis potestate amplius non est ea privilegia moderare. Sed inter privilegia illud recensetur, quod Confratres *solita facere libere et licite valeant*. Cum ergo Episcopus teneatur Apostolicum Breve de SS̃mo Sacramento in propria Ecclesia asservando exequutioni mandare, cumque licite et libere valeant Confratres solita exercitia peragere in vim Aggregationis, prono veluti alveo fluit quod ipsi enunciatas sacras functiones peragere possint Praesule vel Parocho licet contradicente.

Quod magis magisque obfirmatur ex eo quod Pontifex, quae voluit excipere, expressit, unde mandavit excipiendam esse communicationem facultatis eligendi Confes-

sorem necnon aggregandi et gratias huiusmodi communicandi. Atqui notissimi iuris est quod exceptio firmat regulam in contrarium in casibus exceptis *L. Quaesitum* §. *Denique De fund. instr., Alex. cons.* 32 *num.* 4 *lib.* 7., *Gratian. discept. forens.* 490 *num.* 3. Cum igitur ex Apostolica Bulla Clementis VIII per Aggregationem omnia privilegia Archisodalitio urbano concessa communicata fuerint, iis quae mox recensuimus exceptis, videretur quod Sodalitas loci Tocco ea omnia peragere, ac iis privilegiis uti possit, quibus Romae fruitur Archisodalitium eiusdem nominis, libere nempe exercendi suas functiones.

His adde quod in *Art.* 2 *Cap.* 50. Statutorum, relate ad modum aggregandi Confraternitates sequentia leguntur, nempe « Accordata che sarà tale aggregazione, il Procu« ratore come sopra costituito, dovrà prendere dal nostro « Segretario la patente di detta aggregazione sottoscritta « dall'Emo Sig. Cardinale Protettore, Mons. Primicerio, « PP. Guardiani, Camerlengo e Segretario con Sigillo « grande, ed inoltre il libro degli Statuti e Sommario « degli obblighi ed indulgenze; acciocchè *con questi pos« sano uniformarsi il più che sia possibile alle Leggi e pii « esercizii* della nostra Arciconfraternita per le aggrega« zioni suddette. » Ex quo concludunt Sodales tot a proprio Rectore in propria Ecclesia peragi posse sacras functiones quot in statutis praescriptae inveniuntur atque in ipsa Ecclesia matre peraguntur, dummodo neque *Canonibus et Constitutionibus Apostolicis ac Concilii Tridentini decretis non sint contraria*, ceu in dicta Bulla adnotatur. At plures alias et solemniores functiones in Urbana Ecclesia peragi fugit neminem, cum ipsius instituti finis sit animas in Purgatorio degentes *omnibus et per omnia suffragari* ceu perlegitur in Brevi Leonis XII de anno 1825, confirmatorio Clementinae Bullae.

Vanum autem esset ostendere per ipsas functiones recensitas praeiudicium inferri parochiali iuri, ita ut Sacris Canonibus contrariae dici possint. Vix enim legenti Decreta S. R. C. Urbis et Orbis de anno 1803 edita apparet, quod neque circa sacras functiones Confraternitates habent a Parocho dependentiam in propriis Oratoriis, neque functiones hebdomadae sanctae et benedictio SSmi Sacramenti quae fit super populum, sunt de iuribus parochialibus. Haec enim dubia tunc agitata fuerunt IV. *An Archi-*

confraternitates erectae in Oratoriis tum publicis tum privatis seiunctis ab Ecclesiis parochialibus quoad dictas functiones ecclesiasticas habeant dictam dependentiam a Parocho? VII. *An functiones omnes hebdomadae sanctae sint de iuribus mere parochialibus?* XI. *An expositio 40 horarum et benedictio quae fit super populo, sit de dictis iuribus parochialibus?* et consultissimum datum fuit ad haec proposita dubia responsum – *Negative.* –

Circa altare privilegiatum atque indulgentias pauca adnotare censeo; posito namque quod memorata Sodalitas in themate gaudeat omnibus privilegiis Archisodalitio Urbis concessis, prono veluti alveo fluit ipsam gaudere etiam altari privilegiato, necnon indulgentiis omnibus, quibus donata fuit Urbana Archisodalitas.

Quin ad haec omnia infringenda dici possit Sodalitium loci *Tocco* fundatum fuisse in altari SSmo Crucifixo dicato intra Ecclesiam paroecialem existente, et nonnisi de anno 1868 suos translulisse lares ad novam Ecclesiam, quae super vetere Oratorio ad ampliorem formam redacto, extructa fuit. Etenim ex hoc minime descendit propria privilegia amisisse; casus enim iste praevisus manet in Clementina Bulla *Ex debito* in qua perlegitur: « Postremo, ut « Christi fideles praedicti ad dictam Archiconfraternitatem « ingrediendam, et piorum operum in illa exercitium « amplius incitentur, et exinde ipsa Archiconfraternitas « Confratrum numero, et frequentia magis decoretur *prae-« dictaque Ecclesia, vel alia, ad quam ipsam Archiconfra-« ternitatem transferri contigerit* in maiori habeatur ve-« neratione etc. » Quibus ex verbis manifesto erumpit concessa privilegia minime alligata esse loco in quo Sodalitas erecta fuit, sed potius ipsi sodalitati esse concessa ita, ut eamdem comitentur ubicumque ipsa suos lares transtulerit.

Minusque obiici posset quod sacrae functiones possent a Sodalitate peragi in Parochiali Ecclesia, in qua Sodalitium erectum est, tum ne confusio oriatur, tum ne iura Parochi et Cleri laedantur. Notum namque est Confraternitates erectas in Ecclesia parochiali vel in Oratorio eidem adnexo dependentiam habere a Parocho in explendis functionibus ecclesiasticis licet non parochialibus, ceu aperte docet S. R. C. in decreto supra relato sub n. I et II. Respondent enim Sodales, nullam confusionem oriri

posse, dum ipsi omnem adhibuere curam ut dicta confusio vitetur, sacras celebrando functiones postquam expletae fuerunt in Ecclesia parochiali. Quod si aliquandiu in parte contemporaneae fuerunt, ex eo evenit quia matrix Ecclesia haud hora consueta illas celebravit. Iura autem Parochi et Cleri minime laedi edicunt. Cum enim in facultate et arbitrio Confraternitatis esset locum figendi ubi melius ipsi libuerit, eidemque ius sit sacras functiones per suum Rectorem peragendi, neque Clerus, neque Parochus hac de re queri posset iuxta notissimam iuris regulam *Nemini iniuriam facit qui suo utitur iure.*

Contra sed vero animadvertendum occurrit quae notat Antistes pro deneganda Pontificii Brevis exequutione. Quandoquidem cum Brevis Pontificii exequutio ipsi fuerat commissa, atque ipsius conscientiae et arbitrio remissa, videretur quod optimo iure valeret exequutionem denegare ne inutilis dicatur facta illius clausulae appositio. Eo vel magis quia instantia vitio obreptionis subreptionisque infici autumat, quia Sodales haud retulerunt Pontifici proprium Oratorium nimis propinquum esse paroeciali Ecclesiae, in qua SS̃mum Sacramentum asservatur, quae circumstantia fortassis Pontificem ab elargienda petita gratia retraxisset. Fortius quia Breve concessum fuit *absque ullo Parochialium iurium detrimento,* quod, exequuto Brevi, indubitanter eveniret, dum Confraternitas in themate a Parochi dependentia prorsus exempta maneret prouti facile ex nuper discussis eruitur.

Ad ius quod sibi portendunt Sodales sacras peragendi functiones, sedulo considerari debet quod Episcopus plenam habet iurisdictionem in Confraternitatibus quemadmodum cavetur in *Constit. Clementis VIII* edita anno 1604 cuius initium *Quaecumque.* Unde licet ipsae aliqua exercere valeant sine licentia Parochi, imo hoc contradicente, numquam tamen absque Ordinarii placito atque consensu *Gaudentius De Visit. tom.* 1 *cap.* 3 *dub.* 9 *num.* 22. Quare cum in dubiis S. R. C. propositis anno 1703 quaesitum fuisset sub num. XIV « *An in dictis Oratoriis privatis Confraternitatum per Confratres statis horis recitari possint Horae canonicae cum cantu vel sine absque alia licentia Parochi* » = responsum prodiit = « *Affirmative nisi aliter Ordinarius statuat ex rationabili causa* ».

Quod etiam procedit in casu Confraternitatis aggregatae alicui Urbis Archisodalitio. Licet enim per aggregatio-

nem communicentur privilegia, tamen ex nuper *citat. Constit. Clement. VIII* §. 4, ex DD. sententia, ex rerum demum iudicatarum S. H. O. auctoritate ad id unum huiusmodi privilegiorum participationem coerceri patet, ut Confraternitas aggregata tantum particeps fieri valeat de indulgentiis ac spiritualibus gratiis aggreganti Confraternitati competentibus; minime vero extenditur ad alia privilegia aggregantis. Ad rem *Bassus De Sodalit. q.* 2 *num* 4 – ibi – « Notandum quod Confraternitatis aggregatio restringitur « ad privilegia indulgentiarum et gratiarum spiritualium « fori interni, non autem ad alia privilegia aggregantis, « neque operatur exemptionem ab Episcopo, nec tribuit « aliquod ius praecedendi antiquioribus Confraternitati- « bus ». Concinit *Ursaya Discept. Eccles. tom.* 1 *part.* 2 *disc.* 21 *n.* 8, *Antonel. De iur. Cler. in append. decis.* 43 *n.* 8, *Pax Iordan. Lucubrat. tom.* 2 *lib.* 7 *tit.* 11 *n.* 7 *seqq.*

Idipsum decrevit S. Congr. EE. et RR. expresse declarans in *Brugnaten.* 23 *Novembris* 1691 Confraternitates aggregatas Archiconfraternitati Urbis non gaudere eius privilegiis sed solummodo eius indulgentiis et gratiis spiritualibus. Id quoque pluries docuit S. H. C. et praecipue in *Novarien.* 24 *Septembris* 1718 *Mutinen.* 20 *Nov.* 1762, in *Spolet. Funct.* 12 *Martii* 1796, et recentius in *Lunen–Sarzanen. Confraternitatis* 2 *Martii* 1833 in qua sequentia dubia proposita fuerunt: I. *An et quomodo Sodalitati S. Rochi in vim Aggregationis privilegium competat peragendi enunciatas sacras functiones sine dependentia ab Episcopo in casu.* II. *An et quomodo sustineatur prohibitio Episcopi Processionis cum Sacramento extra ambitum Oratorii, et functionis Feriae quintae in Coena Domini in casu.* – III. *An et quomodo sustineatur licentia edita ab Episcopo pro ceteris functionibus cum clausula ad beneplacitum nostrum in casu* – responsum fuit – *Ad I Negative in omnibus.* – *Ad II Affirmative.* – *Ad III Affirmative in omnibus* –.

Iam ex iis quae ab Episcopo exposita fuere, et ex doctrina circa aggregationem nuper exposita sufficienter demonstrari posset memoratum sodalitium altari privilegiato minime frui in vim aggregationis; ad omne tamen dubium hac super re arcendum referre praestat resolutionem editam a S. Congr. EE. et RR. in causa *Civitatis Castellanae diei* 13 *Maii* 1597 relatam a *Nicolio in Flosculis verb. Altare num.* 4 – ibi – « *Privilegiata pro Defunctis al-*

taria non communicantur per aggregationes Confraternitatum et participationes Indulgentiarum ». Restat ut aliqua adnotem circa participationem indulgentiarum. Agendo siquidem de lucrandis indulgentiis altari in quo fundatum est Sodalitium adnexis, videretur quod Confratres eas minime lucrari possent. Quandoquidem per translationem sodalitii in aliam Ecclesiam factam haud cessare videntur privilegia alicui altari concessa etiam ipsius intuitu. Ad rem Parochus: « L'Aggregazione in discorso non poteva permet-
« tere di ledere i diritti dei terzi cioè quelli del Parroco,
« nè trasferire i privilegi concessi ad un altare di una data
« Chiesa a quello di un Oratorio ».

Hisce igitur breviter ponderatis dignentur EE. VV. sequentia diluere

DUBIA

I. *An Pontificium Breve diei 24 Septembris 1875 exequutioni demandandum sit in casu.*

Et quatenus affirmative

II. *An ius competat Confraternitati enunciatas, aliasque ecclesiasticas functiones non parochiales in propria Ecclesia explendi etiam cum expositione SSmi Sacramenti in casu.*

III. *An praefato Sodalitio in vim Aggregationis competat altare privilegiatum in casu.*

IV. *An Sodales explendo exercitia pietatis in nova Ecclesia adhuc lucrari valeant Indulgentias in casu.*

Dilata, et audiatur novus Archiepiscopus.

Sess. 23 *cap.* 18 *de Reform.*

PINNEN. DOCTRINAE CHRISTIANAE. = Reverendissimus Episcopus Pinnensis et Atriensis pro pastorali sua sollicitudine prospicere cupiens religiosae instructioni commissi sibi gregis ac praesertim ruricolarum, die 2 Augusti 1877 in actu sacrae Visitationis circulares litteras edidit, quibus praecipitur ut populus doceatur circa: « i rudi« menti della dottrina cristiana, contenuti nei paragrafi 1, « 3, 7 del compendio che facemmo tenere ai nostri Parro« chi in altro tempo.

« In tutte le Chiese e pubblici Oratorî, dove si ce« lebra la Messa nei giorni di precetto, dovrà farsi la dot« trina cristiana come sopra. Dopo due mancanze in tre « mesi i Sacerdoti che vi mancheranno, resteranno tosto « sospesi dalla celebrazione della S. Messa per cinque gior« ni. Nelle Chiese dove si dicono più Messe, l'obbligo di « fare la dottrina è per coloro che celebrano la prima e « l'ultima, purchè non sieno cantate ». Huiusmodi decreto perculsi Canonici Ecclesiae Cathedralis Pinnen. praevia capitulari deliberatione diei 12 Ianuarii 1879, in curia episcopali protestati sunt quoniam tali praescripto ordo divini officii turbaretur, quod solet inchoari dum Missa lecta celebratur a Canonico per turnum et cui interesse debent Capitulares, unde declararunt ab hoc gravamine ad S. V. O. velle appellationem interponere.

Hac declaratione non obstante, cum ad aures R̃mi Praesulis pervenisset supradictum decretum ex parte nonnullorum Sacerdotum ad falsas ac extraneas interpretationes detorqueri, die 8 Februarii 1879, mentem suam adaperiens, aliud decretum edidit tenoris sequentis: « Colle « facoltà a noi accordate dai SS. Canoni in atto di S. Vi« sita ordiniamo che in tutte le Chiese pubbliche delle « due diocesi di Penne ed Atri, siano esse Chiese gran« di o piccole, urbane o rurali, Cappelle od Oratorî, nei « dì festivi di precetto dopo il primo Vangelo della Messa « che vi si celebra, si faccia la dottrina cristiana, leggen« dosi i tre articoli già noti del compendio della dottrina « cristiana, fatto da Monsignore Rosini, dei quali il primo « riguarda le cose necessarie a sapersi per necessità di « mezzo, il secondo quelle di precetto, ed il terzo gli atti « cristiani.

« Nelle Chiese ove si celebrano più Messe, la dottri-« na cristiana dovrà farsi nella prima ed ultima; per ul-« tima s'intende anche la seconda, quando dopo questa « non ci è altra. I Sacerdoti trasgressori di questi nostri « ordini anche per una volta sola, incorreranno *ipso facto* « la sospensione dalla celebrazione della Messa, la quale « sospensione è di soli tre giorni. Ci riserbiamo le pene « maggiori che meriteranno i contumaci. Sono eccettuati i « giorni seguenti, nei quali non intendiamo obbligare: « 1 Natale – 2 Epifania – 3 Domenica delle Palme – « 4 Pasqua – 5 Ascensione – 6 Pentecoste – 7 Corpo di « Cristo – 8 Assunta – 9 Tutti i Santi – 10 Protettore. « Inoltre quando la Messa sarà cantata solennemente col-« l'assistenza del Diacono e Suddiacono. Così pure non « ci è obbligo per le Cattedrali e Collegiate quando la « Messa che si canta non è solenne.

« Infine ci vediamo nella necessità di dichiarare, che « il dovere di fare la dottrina cristiana, come sopra, è « per tutti i nostri Sacerdoti, in qualunque grado e di-« gnità sieno costituiti, non esclusi i Vicarî Foranei, i Ca-« nonici e Dignità delle Chiese Cattedrali ». Canonici Ecclesiae Cathedralis Pinnensis rati Episcopum Coadiutorem hoc altero decreto fines suae potestatis excessisse, novo supplici dato libello S. V. O. exposuerunt: « che il Capi-« tolo di quella Cattedrale è per antico costume obbliga-« to nei giorni festivi a celebrare per turno fra i Cano-« nici ed assistere a due Messe, cioè la Conventuale ed al-« tra che si celebra quando incomincia in coro la recita « od il canto del divino officio. Non credeva perciò, che « potesse il Canonico celebrante essere astretto alla lettura « di quei paragrafi, essendo incompatibile colla recita co-« rale dell'ufficio ».

Quapropter appellationem renovarunt, instantes ut causa haec examini subiiceretur ac definiretur, « colla pre-« via ingiunzione però da farsi a Monsignor Vescovo che « debba astenersi dall'infliggere qualunque sospensione e « pena contro quei Canonici, i quali pendente l'appello « non credessero ottemperare ai suoi ordini, non recitan-« do o leggendo quei paragrafi del Catechismo nell'anzi-« detta Messa, che si celebra nel principio della recita o « canto delle Ore Canoniche ».

Hisce habitis, die 16 Februarii 1879 rescripsi: « *Epi-*

scopo Coadiutori pro informatione et voto, suspensa interim sanctione poenali de qua in precibus quoad recurrentes capitulares ».

Rm̃us Praesul S. V. O. iussa faciens, retulit exposita in precibus a Canonicis non esse veritati conformia, dum Capitulum nulla devinciebatur obligatione interessendi Missae quae ad beneplacitum celebrari solebat prouti quatuor Sacerdotum iurata depositione evincere satagebat; ideoque obtentum rescriptum subreptionis et obreptionis vitio laborare, et Canonicorum agendi rationem honestis ac probis civibus scandalo fuisse. Postremo conclusit: « Questi « Canonici avvalendosi della facoltà loro concessa col suindicato rescritto di uscire colla Messa mentre in Coro si « ufficia, la dicono ad ora si tarda da farla terminare « quando esce la conventuale: così fu praticato nella Domenica scorsa, 1. di Quaresima, e ne avvenne che i fedeli ascoltata la Messa ne andarono via, ed il Predicatore rimase con pochissima udienza. Questo inconveniente succederà anche nelle prossime Domeniche, e così « sempre, non esclusi i dì festivi più solenni, ed altri in « cui il Vescovo suol fare l'omelia ».

Rebus in tali statu permanentibus novae preces Sacro Vestro Ordini porrectae fuerunt ex parte Confraternitatum Suffragii, Pretiosissimi Sanguinis, Sacrorum Stigmatum, Conceptionis Incoronatae ac Cincturatorum in civitate Atriensi erectarum, quae omnes queruntur de editis ab Episcopo decretis. Enarrant enim quod, post Religiosorum Ordinum eversionem, Confraternitates omnem curam adhibuere ut Ecclesiae illae externo cultui paterent, unde inibi sacra faciunt, cultusque expensas sustinent ex piis Confratrum et Fidelium oblationibus. Edito at vero decreto factum fuisse referunt, ut ipsae nec adinvenire valeant Sacerdotem pro sacro faciendo, nec oblationes pro sustentandis cultus expensis, dum Fideles non amplius dictas Ecclesias frequentant.

Quapropter cum inutiliter ab Episcopo relaxationem editi decreti pro suis Ecclesiis expostulassent ut tanto malo remedium afferri posset ad S. V. O. confugere coactae sunt. Audiantur sane: « questa disposizione ha avuto per pri« mo effetto, che tanti fedeli, specialmente i campa« gnuoli, non avendo il tempo di trattenersi a lungo in « Chiesa, sono costretti a tralasciare di ascoltare la S. Messa

« nei dì festivi; in secondo luogo ha fatto sì che le Con-
« fraternite non rinvenissero più un Sacerdote che volesse
« prestarsi alla celebrazione della S. Messa durante l'uf-
« ficiatura; in terzo luogo molti dei Confratelli si sono
« allontanati dall'ufficiatura stessa, ed i fedeli non fre-
« quentando le sunnominate Chiese, non sono più larghi
« delle loro sovvenzioni, e quindi i sacri tempi rimarran-
« no abbandonati, e correranno a sicuro deperimento.
« Inoltre la disposizione di Monsignor Vescovo non ha
« ragione di essere, perchè fortunatamente nella città
« di Atri non si difetta nell' insegnamento del catechis-
« mo, tantochè nelle scuole comunali viene per volontà
« del municipio regolarmente spiegato dagli insegnanti
« nella maggior parte Religiosi, ed i Parrochi fanno in
« ciò pienamente il loro dovere . . . Lo scandalo ed il
« malcontento che tutto ciò produce è più facile imma-
« ginarlo che descriverlo . . . I popolani dicono — Gari-
« baldi non arrivò ad impedire che i fedeli ascoltassero
« la Messa, Monsig. Vescovo Coadiutore vi è giunto — ».

Circa has querelas R̃mum Episcopum iterum pro in-
formatione audiendum censui, qui S. V. O. libenter mo-
rem gerens, postquam adnotavit se ex conscientia et pa-
storali officio supradicta decreta edidisse, concludit: « Le
« Confraternite laicali come procedono di presente, si van-
« no man mano sottraendo alla giurisdizione ed autorità
« dei Vescovi. Non più rendono i conti delle loro ren-
« dite e delle questue che fanno. Si creano il padre spi-
« rituale senza il permesso e l'intelligenza del Vescovo,
« così pure gli ufficiali senza dargliene neppure conoscen-
« za. Chiamati, non obbediscono; vogliono tenere e ten-
« gono la SS. Eucaristia senza il permesso della S. Sede
« Apostolica; la regola poco si osserva: in breve vanno
« formando una Chiesa nella Chiesa, e già qualche cosa
« di simile esiste ».

Omnibus rite absolutis, causam iussi poni in folio,
et hodiernam diem statui pro eiusdem discussione; mei
muneris ratio proinde expostulat, ut aliqua ex officio fa-
vore R̃mi Episcopi animadvertam, et Confraternitatum,
dum Capitulum sua iura per adlectum patronum tueri
curat.

Dubitandum itaque non videtur, omnes quibus ani-
marum cura credita est, et praesertim Episcopos, in id

potissimum sollicitudinem intendere debere, ut christianus populus, coelestis doctrinae pabulo enutritus, et rudimentis fidei saluberrime instructus, in semitam mandatorum Domini feliciter dirigatur. Verum cum satis experientia compertum sit, Episcopi et Parochorum laborem ad id operis imparem omnino esse, pariter ambigendum non videtur posse Episcopum exigere, ut Clerici, qui tonsura initiari cupiunt, vel ad ordines maiores ascendere; aut Sacerdotes qui ad ecclesiastica beneficia promoveri cupiunt, Parochos coadiuvent in docendis pueris doctrinam christianam. *Benedictus XIV Const. Etsi minime* §§. 6 *et* 14. *diei 7 Febr.* 1742 Clerici enim alicui Ecclesiae addicti et Dei servitio mancipati, Episcopi mandatis parere tenentur in iis operibus quae divinum cultum et spiritualem populi profectum respiciunt, nam Sacerdotes et Clerici pro populi salute a Deo constituti sunt.

Quod quidem eorum adiutorium Episcopus, ubi necessitas id expostulet, exigere potest, *gravibus etiam statutis poenis* ut ex *citata Constitutione* §. 14. Concinunt quae statuta fuerunt a S. Carolo Borromaeo in Synodo quarta dioecesana Mediolanensi *part.* 2 *decr. V. tom.* 1 ubi sic legitur: « Sacerdotes et Clerici inferiores Dominicis festisque diebus, qua hora in choro divinis officiis concelebrandis adstricti non sunt, Parochum, intra cuius parochiae fines habitant, in doctrinae christianae scholis adiuvent, in urbe ad praescriptum eorum, quibus id curae ab Archiepiscopo datum erit, in dioecesi autem Vicariorum Foraneorum ». In iisdem pariter actis *part.* 2 *Synodi dioecesanae* 11 *Monitum I. tom.* 1 imposita legitur poena Sacerdotibus non coadiuvantibus Parochos in munere docendae doctrinae christianae – ibi – « Quicumque Sacerdos aut Beneficium obtinens Parochum non adiuverit, mulctetur duobus nummis realibus ».

Denique si ad promovendum opus doctrinae christianae adeo pium et necessarium, H. S. C. *die* 17 *Iulii* 1688 in quadam causa *Spalaten. Doctrinae Christianae,* in qua disputatum fuit: « *An Archiepiscopus cogere potuerit Ludimagistros tam Clericos quam Laicos ad docendum pueros doctrinam christianam,* – respondit: – *Posse prius hortari et deinde praecipere* »; multo magis poterit Episcopus Sacerdotes adigere ad Parochum coadiuvandum in munere docendi doctrinam christianam, statutis poenis et etiam suspensionis

poena adversus parere detrectantes. Unde Praesul ad rem adducit resolutionem S. V. O. in *Neritonen.* 3 *Dec.* 1757 in qua proposito dubio « *An sustineatur edictum in ea parte qua Sacerdotibus non habentibus curam animarum imponitur onus docendi doctrinam christianam sub poena suspensionis in casu* – respondit – *Affirmative iuxta modum explicandum Episcopo* ». Quoad tempus autem, quo populus doctrinam christianam docendus est, cum certa et communis regula praescribi non possit, id totum relinquitur prudentiae vigilis Ecclesiae Antistitis, qui attenta loci, temporis, personarum qualitate, expensisque rerum omnium momentis, id decernere potest, quod magis opportunum in Domino iudicaverit: *cit. Constit. Benedicti XIV* §. 15.

Hisce in iure praemissis, concludendum videtur in facto edita ab Episcopo decreta abnormia a iure non esse, Episcopus enim testatur se ad eadem promulganda adactum fuisse ex crassa populi et praesertim ruricularum ignorantia. Audiatur sane: « Il bisogno grandissimo che si sente « in questi luoghi d'istruire i fedeli nelle cose di nostra « S. Religione, anche delle più necessarie per potersi sal- « vare, delle quali sono ignoranti, mi determinò a pre- « scrivere che nei dì festivi di precetto, dopo il primo « Vangelo della Messa, si leggessero al popolo i tre pa- « ragrafi della Dottrina Cristiana di Monsig. Rosini, - « quali contengono: 1° quello che deve conoscersi dai Cri- « stiani per necessità di mezzo alla salute; 2° quello di « precetto; 3° gli atti cristiani. Il tempo che si occupa « per leggere i suddetti paragrafi, quando la lettura si « faccia pian piano e con voce intelligibile, come è stato « ordinato, non passa il mezzo quarto d'ora, al più 9 o « 10 minuti ».

Quin difficultas oriri ex eo possit quod inconveniens esset sacram Catechesim omnibus recitare eo modo quo fuit ab Antistite Pinnensi praescripto. Quandoquidem docemur a *S. C. Episcoporum et Regularium in causa Lesin.* 11 *Ianuari* 1600 *relata a Nicol. in flosc. verb. Doctrina Christiana num.* 3, quod: « Placet decretum Visitatoris Apo- « stolici, ut qui celebrat Missam parochialem in aurora « recitet Orationem Dominicam, salutationem Angelicam, « Symbolum et Praecepta vernacula lingua. » Si igitur in missa parochiali id peragere inconveniens non est, evanescit pariter inconvenientia pro aliis Missis lectis. Fortassis

dices id intelligendum esse ante inchoationem sacri, vel ipso expleto. Licet enim id clare non constet, attamen sicuti inter Missarum solemnia inconveniens non est Evangelium explanare, prouti praxis docet, neque pariter erit catechesim perlegere.

Neque subsidium pariter captare valent Canonici ex asserta antiqua consuetudine, qua se adstrictos affirmant « nei giorni festivi a celebrare per turno... ed assistere « a due Messe, cioè la Conventuale e l'altra che si celebra « quando incomincia in coro la recita od il canto del di- « vino officio »; Episcopus enim excipit, haec omnia veritati non congruere, quod ut probet, iuratum testimonium affert quatuor Sacerdotum omni exceptione maiorum, qui omnes uno ore fatentur, assertam a Canonicis obligationem nullimode subsistere, eosdemque primo mane et ad arbitrium et commodum suum celebrare consuevisse.

Nihili tandem faciendae videntur querelae a Confraternitatibus Atriensibus porrectae, etenim ad Episcopum qui pastor Dominici gregis est, pertinet ea omnia statuere quae in spirituale populi bonum vergunt; populus autem, qui et Confraternitates comprehendit, non praecipere sed sublimiorum potestatum mandatis reverenter obedire tenetur.

Cum autem nemo adsit qui praememoratarum Confraternitatum iura defendat, ex officio animadvertam quod ex dispositione Pinnensis Episcopi plus mali quam boni oriri videtur, subindeque Confraternitates a tali praescripto exonerandas esse. Eo vel magis quia nec deficit in ea regione instructio, nec simplices Sacerdotes qui non ex iustitia sed ex charitate doctrinam tradere tenentur, adigi posse videntur ad eam tradendam et quidem sub gravi suspensionis poena. Hoc autem facilius suadetur ex responsione S. C. in *Neritonen.* superius relata, quam Episcopus in sui favorem invocat. Licet enim modus a S. O. explicatus fuerit, *ut edictum substineatur tantum quoad Sacerdotes celebrantes in Ecclesiis ruralibus et quoad Sacerdotes qui Missam celebrabunt in aliis Ecclesiis ante tamen Missam parochialem* attamen iterum causa discussa sub dubio « *An sit standum vel recedendum a decisis in casu* » responsum fuit: *Ad I. In decisis iuxta modum. Modus est substineri edictum quoad Ecclesias rurales tantum, sublata poena suspensionis, et Episcopus se*

gerat ad formam Const. Sanctissimi Domini nostri: Ead. causa 18 Februarii 1758.

Neque movet ratio deducta a *Constit. Etsi minime* Benedicti XIV sub §. 14 quod nempe urgente necessitate valet etiam Episcopus in reluctantes Clericos animadvertere gravibus poenis: cum laudatus Pontifex inibi loquatur de Sacerdotibus celebrantibus in diebus festis de praecepto in Ecclesiis ruralibus quae nimium ab Ecclesia parochiali sunt distantes. At in themate agitur de Sacerdotibus, qui intra civitatem Atriensem celebrant et quidem uti apparet ullo sine honorario vel forte minimo in commodum Confratrum et populi; agitur de loco ubi et Parochi doctrinam tradunt, ad quam omnes ullo sine incommodo accedere possunt, agitur de civitate in qua etiam, favente Deo, doctrina traditur in publicis scholis, agitur de modo eam annunciandi, ex quo si fortassis docti, indocti tamen nihil percipiunt.

Hisce igitur attentis necnon deductis per Capituli Oratorem, qui nondum mihi allegationem distribuendam exhibuit dignentur EE. VV. sequentia diluere

DUBIA

I. *An Canonicus qui divini officii tempore Missam lectam celebrat, teneatur legere doctrinam christianam sub poena suspensionis in casu.*

II. *An Sacerdotes Missam celebrantes pro Confratribus in dictis Ecclesiis idem servare teneantur sub poena suspensionis in casu.*

Dilata.

Sess. 25 cap. 13 de Reform.

ORITANA IURIUM PAROCHIALIUM SUPER IMPETRATIONE NOVAE AUDIENTIAE. = Exorta inter Capitulum Collegiatae Ecclesiae loci Manduriae Oritanae Dioecesis et Oeconomum Guarini controversia super iure praecedendi in funeribus benedicendique cadaveri, Episcopalis Curia extraiudiciali decreto diei 18 Novembris 1875 Oeconomi favore pronuntiavit. A quo cum appellatum fuisset apud S. V. O., atque proposita quaestione in comitiis habitis die 22 *Septembris* 1877 sub Dubio « *An decretum Curiae Oritanae sit confirmandum vel infirmandum in casu* – responsum fuit – *Dilata et coadiuventur probationes praesertim super asserta cura habituali, et consuetudine* ». Quibus a Capitulo praestitis atque reproposita causa in Congregatione diei 15 *Iunii* 1878 praememoratum dubium sequenti fuit responso dimissum *Decretum esse infirmandum*.

Cum autem decem ab edita resolutione dies inutiliter elapsi fuissent quin novae audientiae beneficium ex parte Oeconomi impetratum fuerit, locus factus est expeditioni editae resolutionis, quae die 16 Iulii 1878 a Capituli thesaurario Oritanae Curiae pro executione exhibita fuit. Remorante atvero Curia executionem editi decreti sub die 20 Augusti 1878 preces ex parte Capituli exhibitae mihi fuerunt ad hoc ut Curia adigeretur ad officium ipsi demandatum exequendum. Has preces protinus remisi Episcopo pro informatione et voto una eidem iniungens ut referret de causis remoratae executionis. Cum autem nullum hac super re daretur responsum, ad novas Capituli preces, urgentiores ad hoc literae datae fuerunt sub die 24 Septembris eiusdem anni.

Quibus sub die 10 insequentis Octobris respondit Praesul decretum haud exequutum fuisse 1° quia exhibitum a Capituli Thesaurario absque regulari Capituli mandato; 2° quia notificatum non fuerat adversario, cui ius erat infra decem dies ab habita notitia appellandi; 3° quia Capitulum ad S. C. appellationem interposuerat ab edito Oritanae Curiae decreto quin prius in Curia iuridicam appellationem interposuisset; 4° tandem quia deceptas EE. VV. putabat dum habitualitas Curae animarum non residet in Capitulo, quia examen demandatur novis participantibus « per osservare l'occupazione tenuta negli studi . . .

« epperò il Vescovo ordina l'esame preventivamente alla « partecipazione, ed il medesimo Vescovo ordina altro « novello esame indipendentemente da quel Capitolo e Cle- « ro ». Quod systema ab antecessoribus adhibitum etiam in aliis suae Dioecesis cleris ab ipso servatum fuit ad annum usque 185?, « quando per essere stato approvato « il Piano a quella Chiesa si diede principio a provve- « dersi le partecipazioni per esame a concorso a norma « della Bolla *Impensa* e del novello Statuto sovranamente « sanzionato alle di cui disposizioni, *Capitulum,* si è mo- « strato ribelle ». Neque pariter ex sumptibus pro Paroecia a Capitulo peractis, uti a deductis regestris Capitularibus apparet, subdit argui posse curam habitualem residere in Capitulo « perciocchè non sono legittimi documenti, ma al « più conteggi particolari del Capitolo che riflettono la « peculiare amministrazione delle rendite annuali ignoti « al Vescovo ed a questa Curia; risultando dal fatto con- « stante che il Cattedratico è stato in ogni tempo pagato « dall'Arciprete Curato, e nella vacanza dall'Economo Cu- « rato nella V. Domenica dopo Pasqua sino al corrente « anno, e gli olei santi sono stati dai medesimi rilevati « ed a di loro inchiesta e non mai dal Capitolo e Clero ».

Congruam autem a Capitulo solutam fuisse Oeconomo subdit tam in Archipresbyteri absentia, quam vacante Paroecia, quia eadem a Capitulo asservabatur, dum ipsa ante actualem eversionem bonorum Ecclesiae haud consistebat in speciali praebenda « *ma in una porzione di massa ricettizia che si riteneva dal Capitolo* ». Deceptas pariter enunciabat EE. VV. circa ius consuetudinarium a Capitulo praetensum quod neque probatum neque legitime praescriptum putat. Exorabat proinde ut Capituli preces reiicerentur.

Quibus acceptis sub die 3 Novembris 1878 eumdem Praesulem monui quod cum infra decendium a succumbente appellatum haud fuerit, praefata resolutio in discrimen revocari non poterat nisi ope extraordinarii experimenti. Si quis igitur, ad quem de iure pertinebat, extraordinarii huiusce experimenti veniam impetrare desideraret, uteretur iure suo; interim vero resolutionis executionem remorari non licebat.

Novae post haec preces a Capitulo oblatae fuerunt ad normam praecedentium pro executione decreti; idque sub die 27 Ianuarii volventis anni, quas iterum Episcopo

remisi pro informatione et voto utque referret quonam iure adhuc differatur executio resolutionis S. Congregationis. Sub die 17 Februarii 1879 datis praeceptis responsum accepi Oeconomum Guarini ope extraordinarii experimenti velle Paroeciae iura tueri subindeque remoratam fuisse executionem editae resolutionis. Habitis hisce literis sub die 1 Martii 1879 sequens edidi decretum *Eidem Episcopo, qui doceat quamprimum de executione resolutionis S. Congregationis.* Cum autem sub die 14 dicti mensis oblatae mihi fuerint preces ex parte Oeconomi Guarini pro novae audientiae beneficio obtinendo super dirempta quaestione, neque de executione resolutionis S. V. O. doctus fuerim oblatis precibus rescripsi *Doceatur de executione resolutionis S. C. et postea providebitur.*

Die 24 eiusdem mensis Martii literae ad me datae sunt ex parte Episcopi in quibus exponebat accepisse ab Oeconomo Curato quod iam obtulerat S. C. libellum pro novae auditionis beneficio, « e che perciò se ne attendeva il giudicato. *E però ne le rendo partecipe in* « *discarico e giustificazione mia* » subdens Oeconomum protestationem emisisse « a me e per mezzo mio alla stessa « Sacra Congregazione contro qualunque atto adibito lesivo de' suoi diritti Parrocchiali, e che il Capitolo ha « esposto il falso alla medesima Congregazione, ed egli « è pronto a presentare, essendone richiesto, i documenti « che dimostrino evidentemente tal falsità ». Haud obscure ex habitis literis deprehendi adhuc resolutionem S.V. O. exequutam non fuisse; quare sub die 31 Martii rescripsi: « *In decretis sub die 1 Martii labentis; idque notificetur Episcopo* ». Factum autem ostendit reapse ita res sese habere quandoquidem die 12 Maii 1879 referebat Capitulum adhuc Curiam Oritanam datis non obtemperare praeceptis, nam « *solo a ludibrio dell'autorità superiore nel giorno 24 Aprile p. p. faceva tenere al Capitolo un decreto esecutoriale mancante di firma, di timbro, e del numero di protocollo* ». Qua de re graviter questus fui datis eadem die Episcopo literis, quibus etiam iniunxi ut praememoratam resolutionem absque mora executioni demandaret.

Antequam autem ipsae fuissent Episcopo exhibitae ad me pervenit ex parte Praesulis notitia datis literis diei 18 Iunii 1879 de executione decreti; acceptis subinde novis precibus ex parte Oeconomi Guarini beneficium novae audien-

tiae expostulantis una cum novo documento, atque memoriali typis impresso, de quibus inferius habebitur ratio, sub die 5 Iulii 1879 de mandato Emi Praefecti rescripsi *Per memoriale citata parte.*

Omnibus rite completis quaestio haec hodie mane S.V.O. dirimenda proponitur sub dubio in calce excripto summatim prius de more relatis rationum momentis quae in memoriali seorsim distribuendo ex parte Oeconomi producta fuere, et dein quae in allegatione pariter distribuenda ex parte Capituli referuntur.

Enarrato igitur ab Oeconomi Guarini defensore quod electi ab ipso agentis negligentia factum fuit neque contraria argumenta refutata fuisse, neque appellationem infra decendium interpositam, sustinet editam sententiam falso laborare supposito. Quandoquidem S. V. O. relatum fuerit et penes Capitulum residere habitualem animarum curam, et ipsi in subiecta materia praesto fuisse immemorabilem consuetudinem. Primum falsum esse evincit ex eo quod numquam valet Capitulum demonstrare sibi a Paroeciae institutione competere habitualitatem Curae animarum. Si enim ita esset in edictis concursus, pro nova collatione non ediceretur *Vacante Animarum Cura,* sed *Vicaria Curata cum Cura animarum* prouti tam in Urbe quam in omnibus Dioecesibus asservari solet in indicendo concursu pro Vicaria Curata vacante. Imo in Urbe peracto concursu Emus Cardinalis Vicarius praesentat Capitulo uti vere Parocho tres ex magis dignioribus ad hoc ut inter ipsos sibi Vicarium benevisum eligat, ac ut talis, et non uti verus Parochus instituitur. In reliquis Dioecesibus simile practicatur et in Concursu et in Institutione provisio appellatur *Vicaria cum cura animarum* adamussim quia Paroecia habitualiter residet in Capitulo.

Ex quo colligit Capitulum Manduriae ab institutione Paroeciae semper fuisse extraneum a cura animarum, ceu in causae repropositione probandum edicit, Parochumque, licet primam Capituli dignitatem, omnino independentem in cura animarum a Capitulo fuisse. Quod evincit antiquo statuto illius Ecclesiae ubi legitur *Capo di questa Collegiata è l'Arciprete il quale ha la cura delle anime in tutta l'estensione del territorio.* Neque ipsa argui potest ab examine quod demandari solet pro aspirantibus ad vacantes participationes, cum recte statutum hoc sit ab Episcopis

ut clerici hac spe allecti assiduo studio sacrarum scientiarum operam navarent, et ita semet utiliores redderent in proprio sacerdotali ministerio exercendo. Ex quo neque descendit primaevum Paroeciae statum mutatum fuisse, neque per Episcopos fieri posse ut ipse mutationem pateretur. In facto autem sustinet quod nullus ex Clero se immiscuit umquam in exercitio parochiali, nec umquam aliquis adiumento fuit Parocho in exercitio Curae animarum, ut Episcopus in sua relatione confirmat.

Minusque iuvari subdit Capitulum ex literis Episcopi demandantis solutionem congruae favore Oeconomi Guarini literis diei 12 Iulii et 5 Septembris 1854 in quibus enunciat curam habitualem esse penes Capitulum. Ex minus recta expressione, quam Episcopus adhibuit, ut Capitulum compelleret ad solvendam Oeconomo Guarini congruam ipsi debitam a Capitulo quod vacationis tempore paroecialia bona administrat, haud ineluctabile eruitur argumentum sive ad ostendendam habitualitatem curae animarum in Capitulo residere, sive ad variandam Paroeciae ipsius naturam.

Quod si in perdita hypothesi fingi velit Capitulo inesse habitualem curam, ex hoc tamen haud descenderet Vicarium Curatum in praesentia Capituli amittere ius induendi stolam in Cadaverum associatione illisque benedicendi ac alia super ipsa explendi iuxta Rituale Romanum. Quod probat exemplo Urbis, ubi omnes isti actus explentur a Vicario Curato, subdens se numquam audivisse vel vidisse aliquam Dignitatem vel Canonicum praesumpisse talia iura exercere in praeiudicium Vicarii Curati, et in specie numquam vidisse Canonicum Vaticanae Basilicae stolam induere, benedicere, caeterosque absolvere ritus super Cadaver, ceu adversus in sua allegatione affirmabat Orator.

Et iure merito. Eo enim ipso quo quis constituitur Vicarius, vel Oeconomus debet non solum suo populo administrare Sacramenta, sed ea etiam quae ex suo munere ipsis sacramentis sunt adnexa ratione exercitii curae animarum. Sed officium funeris et administratio Sacramentorum ad invicem adnexa sunt. Sacramenta autem sive ad Parochum, vel Vicarium, vel Oeconomum ministrare spectat. Ergo et eidem incumbit ius officium funebre peragendi.

Ad consuetudinem quam sui favore invocat Capitulum respondit 1° ipsam iuridice probatam non fuisse. Testes enim adducti sunt quidam incolae loci Manduriae recentioris aetatis, qui certe immemorabilem consuetudinem probare non valent. Eo vel magis 2° quia agitur de statuenda consuetudine in vacatione Paroeciae, quae plures post annos evenire contingit, hinc nonnisi de una aut altera vice ipsi deponere potuissent, quae certe satis non esset ad consuetudinem immemorabilem statuendam, dum etiam ex oscitantia Oeconomi id accidere potuisset. Fortius 3° quia in themate agitur de consuetudine quae veluti Parochorum iuribus derogans reprobatur tamquam corruptela et a Pio IV in Constitutione cuius initium *In Principis Apostolorum,* et a plurimis S. V. O. resolutionibus. Quibus igitur attentis confidit ab EE. VV. humanitate et sapientia haud preces sui clientis pro nova repropositione causae reiiciendas esse.

Ex adverso Orator novae audientiae beneficium Parocho Guarini denegandum esse contendit sive ab extrinseco, sive ab intrinseco res perpendatur. Ab extrinseco quidem quia res iudicata tum a civili tum ab ecclesiastica lege magnam sibi vindicat auctoritatem. Unde clamat *L.* 207 *ff. de reg. iur. et L.* 56 *ff. De re iudic. – Res iudicata pro veritate habetur* – atque rei iudicatae standum esse praecipit *L.* 1 *Cod. De re iudic.* Ipsa *actionem et exceptionem parit, ius facit inter litigantes atque veritatis loco habetur cap.* 13 *et* 25 *De sent. et re iudic. cap.* 25 *in fin. De Praeb.* Quod autem res iudicata oriatur nisi infra decem dies a publicatione sententiae appellatum fuerit probat auctoritate *Devoti Instit. canonic. lib.* 3 *tit.* 14 §. 12 – ibi – « Lata et publicata sententia, nisi ab ea intra « decem dies appellatum fuerit, vim acquirit rei iu- « dicatae, quae finem controversiarum pronunciatione iu- « dicis accipit. Nam qui intra legitimum tempus non « provocavit, cum provocare posset, is in sententiam con- « sensisse videtur ».

Sed in facto est quod adversarius nedum infra decem dierum spatium appellationem a sententia S. O. non interposuit, sed et sententiam exequi passus est ac nonnisi post ferme integrum annum a die latae sententiae audiri postulavit. Cum itaque res iudicata orta sit super proposita controversia, subindeque ipsi impositus sit inter litigan-

tes finis, Oratoris preces pro novae auditionis beneficio reiiciendas esse concludit.

Nec regerendum quod resolutioni editae minime adiecta fuerit clausula *et amplius,* ut argui possit adhuc viam adversario reseratam esse iuxta *art.* 22 *del Regolamento.* Si enim hoc fieri posset, illud absurdum descenderet quod lites in aevum protraherentur, quare articulus ille sano modo intelligendus est, nempe ut *re adhuc integra* concedi possit « *un nuovo esperimento* », non vero quando edita sententia iam fuerit exequutioni demandata et quidem sciente et patiente parte; secus enim iudiciorum ordo ab imis fundamentis subverteretur.

Ab intrinseco demum rem perpendens, edicit adversarium fortassis oblato libello restitutionem in integrum expostulare. At hac in parte eius conditio peior fit. Notum enim in iure esse propugnat quod restitutio in integrum adversus rem iudicatam concedi non potest nisi verificentur extrema a lege constituta. Quaenam autem haec esse debent docet Gregorianus Codex in articulis 1057 et 1058 - ibi - « Ha luogo il ricorso per ottenere il rimedio « della restituzione in intiero qualora il ricorrente dimo« stri la ingiustizia manifesta della cosa giudicata. La « ingiustizia manifesta deve risultare o dall'essersi giudi« cato sopra documenti riconosciuti in appresso come « falsi, o dall'essersi rinvenuti documenti pubblici o pri« vati con i quali si provino fatti nuovi e decisivi, o dal « non essersi nelle sentenze avuto ragione di qualche « legge, o dall'essersi espressamente contravvenuto ad una « legge in vigore ».

Sed nihil de hoc docuit Guarinius. Perquisitis enim actis S. Congregationis nil aliud reperire usque dum datum est quam unicum documentum ex antiquo Statuto Collegiatae Ecclesiae Manduriae excerptum. Ex quo legitur: « Capo di questa (Collegiata) prima Dignità e Ret« tore della Chiesa è l'Arciprete, il quale ha la cura delle « anime in tutta l'estensione del territorio ». Ex quo descendere dicit probari quidem posse actuale animarum curae exercitium esse penes Archipresbyterum, quod minime a Capitulo denegatur, minime vero hoc habitualitate curae carere. Ex documentis enim in disceptatione super causae merito exhibitis, Episcopi nempe confessione, notulis expensarum, quae a Capitulo pro paroecia susten-

tantur, atque onere Capitulo imposito Archipresbyterum adiuvandi in animarum cura satis demonstrasse ait Capitulo inhaerentem esse animarum curae habitualitatem.

Quapropter colligit sive extrinsecus sive intrinsecus res perpendatur, novae auditionis beneficium Guarinio denegandum esse.

Hisce igitur hinc inde perpensis, resumptisque benigne praeteritis foliis rogantur EE. VV. sequens enodare

DUBIUM

An novae auditionis beneficium concedendum sit in casu.

Negative.

RAVENNATEN. DISTRIBUTIONUM. = Capitulum Metropolitanae Ecclesiae Ravennatensis massam communem habet, cuius tertia pars canonicales praebendas efformat, reliquae duae ex tribus partibus distributionibus quotidianis applicantur. Licet autem ex iuris dispositione distributiones lucrentur qui choro adsunt et ab absentibus amittantur, tamen Canonici trimestri vacationum tempore absentes easdem percipiunt non modo ex inveterata consuetudine, sed vi Constitutionum Capitularium in quibus id aperte cavetur. Constitutiones autem Capitulares ab Ordinario loci promulgatae et editae sunt, quin fuerint Pontificia Auctoritate roboratae. Quapropter Emus Episcopus in nuperrima ad SS. LL. relatione exquirere a S.V.O. curavit num consuetudo isthaec Capitularibus Constitutionibus innixa valeat sustineri. Animadvertere insuper curat eiusmodi consuetudinem passim in aliis Cathedralium Capitulis obtinere, atque, Canonicis fere aequaliter utentibus vacationibus sibi permissis, illud evenire oportet, ut, cum unusquisque de aliorum fallentiis participet, omnes praeterpropter eamdem distributionum ratam, quam nunc, etiam immutata dispositione quoad vacationum tempus, percipere pergant.

Sess. 24 cap. 12 de Reform.

Hisce acceptis sub die 20 Decembris 1878 rescripsi. *Eidem Archiepiscopo, qui audiat Capitulum in scriptis, et referat an consuetudo sit immemorabilis aut centenaria.* Quibus obtemperans mandatis Emus Praesul sub die 14 Iulii 1879 respondit: « Comunicai la richiesta al Rmo Capitolo, ed ora, fatte le debite ricerche, sono in grado « di riferire, essersi trovati documenti comprovanti, che « già fin dall'anno 1718 era in uso presso il Capitolo medesimo il mentovato godimento delle distribuzioni nel « trimestre di vacanze non ostante l'assenza dei Canonici « dal Coro, senza che siasi rinvenuta memoria o documento da cui apparisca in qual'epoca fosse introdotto « quel sistema. Il perchè la consuetudine, di cui è parola, è certamente più che centenaria, e non immeritamente potrebbe forse chiamarsi anche *immemorabile*, « per quanto sia discordante dalle leggi Conciliari ».

Cum igitur hodie mane causa haec discutienda proponatur sub dubii formula in calce libelli relata praestat, uti fieri solet, nonnulla utrinque ex officio animadvertere.

Pro parte affirmativa perpendi posse videtur quod consuetudo distributiones lucrandi vacationis tempore a Tridentino permissae sustinenda sit. Omnem enim Ecclesiasticam legem consuetudine legitime praescripta abrogari habetur in *cap. fin. De consuet.* docentque communiter Canonistae ac Theologi cum D. Thoma 1. 2. *q.* 97 *num.* 8 *art.* 3. Ea enim aequalem vim habet cum lege, et ideo sicut potest legem includere ita etiam abrogare *L. De quibus ff. de legib. et L.* 2 *Cod. Quae sit longa consuet.* Idque locum habere non obstante lege resistente et prohibente consuetudinem introduci, nisi lex addat illam consuetudinem esse irrationabilem, ut multis citatis tradit *Bonac. Disp.* 2 *quaest.* 1 *pun.* 5 *num.* 3 *et* 4, *Anchar. cons.* 51 *in fin., Glos. in Clem. Statutum De elect. et cap.* 1 *De clerico aegrot. in* 6°, *Covar. lib.* 3 *var. cap.* 13 *num.* 4. Atqui non videtur irrationabilis consuetudo percipiendi distributiones vacationum tempore; imo quam maxime rationabilem esse docet *Cenedo part.* 3 *collect.* 15 *num.* 7 ubi ait ordinationem, qua duo menses conceduntur Clericis ad res familiares componendas et honestam animi oblectationem esse rationabilem et huius consuetudinis vigore posse hos Clericos percipere quotidianas distributiones. Sic etiam sentit *Monet. De distrib. part.* 2 *q.* 12 *num.* 54, *Covar.*

lib. 3 *var. cap.* 13 *num.* 5. Et optimo quidem consilio, tali enim consuetudine praebendati facilius vacationibus sibi concessis uterentur, atque ita, animo aliquantisper relaxato, ferventius et alacrius ad recitandas Horas canonicas aliaque ecclesiastica ministeria obeunda redirent.

Eo vel fortius quia ipsa quoque innititur Constitutionibus Capitularibus, in quibus expressis verbis cavetur sub §. 23 *ut qui, excepto vacationis tempore, divinis officiis non interfuerint punctentur et distributiones quotidianas nullo modo percipiant.* Constitutiones porro capitulares legem pro Capitulo edicere certum est, maxime si, ut in themate, ab ipso loci Ordinario promulgatae et editae fuerint. Nec deest rationabilitatis ratio, ob quam isthaec consuetudo, ceu lex indicta fuit. Quandoquidem ipsam plusquam centenariam esse dubitare fas non est, sicuti et centenariam in iure aequiparari immemorabili , immemorialem vero aequiparari privilegio docet *Gloss. in cap. Novit de Iudic. verb. consuetudinem* et patet ex *cap. Super quibusdam* docentque una echo DD.

Neque obstat si dicatur cum Probo *ad Monach. in d. cap. un. De cleric. non resid. in* 6 *num.* 34 asserente talem consuetudinem non valere, et accipientes distributiones in absentia teneri ad restitutionem, cum talis consuetudo reprehendatur in *d. cap. un.* et saepe a S. Congregatione Concilii sit decisum absentes recreationis causa non lucrari nisi fructus beneficiorum et nullo modo distributiones quotidianas, nec consuetudinem immemorialem obstare.

Nam in dicto capite unico improbatur consuetudo in quibusdam Ecclesiis introducta ut qui absint a choro absque iusta et legitima causa de iure concessa percipiant distributiones, non vero improbantur futurae consuetudines legitimae praescriptae, sicuti nec ipsas improbat Tridentinum in *sess.* 24 *cap.* 12 *de reform.* ubi in usum revocat Bonifacii Constitutionem. Iamvero si lex non faciat mentionem de consuetudine futura, sed simpliciter tollat praeteritam consuetudinem, quod possit de novo induci consuetudo eidem legi derogans docent *Gloss.* in *Clem. Statutum de elect., Anchar. in cap.* 1 *de Constit. in* 6° *num.* 30, *Covar. loc. cit. num.* 4, *Vasquez* 1. 2 *disp.* 177 *cap.* 8 *num.* 70. Imo licet consuetudo tamquam irrationabilis per legem reprobata sit, tamen posse vires resumere ad legem

abrogandam, si nova causa superveniat etiamsi in lege fiat expressa mentio de consuetudine futura tenent *Bald. Novel. de Dote* 6 *p. privil.* 21 *num.* 19, *Abbas* in *cap. final. de consuet. num.* 24, *Gemin.* in *cap.* 1 *de Constit. in* 6°, *Vasquez. et Covarr. loc. cit.* et alii multi.

Ad decisiones autem S. Congregationis Concilii quod attinet, observandum est ipsas in casibus particularibus editas fuisse, atque dicunt nonnulli easdem « intelligendas esse « de consuetudine non legitime praescripta, neque ratio- « nabili, sed de consuetudine interpretante, quod liceat « per duos menses, vel tres indistincte, et universaliter « abesse a choro et interim percipere quotidianas distri- « butiones, et pariter de consuetudine interpretante, quod « sicut Concilium Tridentinum *sess.* 24 *cap.* 12 *de reform.* « concedit obtinentibus dignitates, canonicatus, et prae- « bendas, ut a suis Ecclesiis possint abesse per tres men- « ses, et interim percipere fructus praebendarum, pari- « ter concedat posse percipere distributiones ». *Pignatel. tom.* 1 *consult.* 130 *num.* 5.

Pro negativa vero perpendendum est quod Tridentinum renovando legem editam a Bonifacio VIII in *cap. Consuetudinem* quascumque consuetudines percipiendi distributiones absentiae tempore, nisi ex ea causa de iure permissa, tamquam irrationabiles reprobat. Lex vero quae reprobat consuetudinem, semper reprobat, ut notant cum aliis *Tiraquel. De retract. in praef. n.* 18. *Alex. cons.* 193 *n.* 8 *lib.* 2. *Rota in Crac. iur. legendi* 21 *Martii* 1627 *coram Coccino.* Cum autem lex semper loquatur *L. Ariani Cod. De Haeret.* semper etiam reprobat consuetudinem supervenientem et complectitur etiam quae de novo superveniunt ut notant *Franch. in cap. unic. De excess. Praelat. in* 6°, *Gemin. ibid. n.*8.

Sed et ulterius observandum est quod consuetudo, de qua sermo, irrationabilis est, subindeque nullimode sustinenda est. Audiatur sane in terminis Pignatelli *loc. cit. n.* 2 – ibi – « Et primo difficilius est consuetudine induci, ut « qui tribus mensibus a Tridentino *sess.* 24 *cap.* 12 per- « missis non resident, accipiant distributiones. Contra quam « consuetudinem, quae olim ante Tridentinum fuit in Ec- « clesia Bituricensi, prolixe scribit *Prob. in cap. unico a* « *num.* 34 *De cleric. non resid. in* 6° dicens *num.* 43 esse « irrationabilem et ideo non posse induci. » Cui concinit *Fagnan.* in *cap. Licet De Praebendis num.* 77 – ibi – « Am-

« pliatur primo praedicta conclusio, ut procedat etiamsi « consuetudine introductum sit, ut distributiones absenti- « bus debeantur, ea enim consuetudo non valet: sive in- « troducta fuerit ante Constitutionem Bonifacii in d. cap. « unico sive post, quia cum ea Constitutio non simplici- « ter deroget consuetudini, sed illi resistat, eamque repro- « bet ut iniquam et irrationabilem, ibi *reprobantes:* ex « hoc censetur non tantum praeterita, sed etiam futura « sustulisse ut sentit *Innoc. in cap. Ex parte....* Et ob eam « rationem saepius respondit S. Congregatio.... etiam im- « memorabilem consuetudinem fuisse sublatam ». Idem sentit *Pignatell. loc. cit. cons.* 115 *num.* 2 *tom.* 9 cum aliis inibi recitatis.

Hanc autem sententiam indubitanter amplectendam esse suadet constantissima H. S. O. praxis, quae iugiter tenuit absentes causa vacationum a Concilio Tridentino permissarum amittere distributiones quotidianas non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili ut in *Pisauren.* 14 *Iunii* 1670 *lib.* 26 *Decret. pag.* 353 ubi fuit dictum dandum esse decretum in dubio proposito die 3 *Decembris* 1644 - ibi - « *Canonicos tempore vacationis non lucrari distributiones quotidianas non obstante consuetudine immemorabili: Card. Petra Comment. ad Const.* 9 *Bonif. VIII num.* 23 *tom.* 3 *pag.* 297. Idemque sancitum iam fuerat in *Civitaten. Octobris* 1587 *ad* 2 *Dub. relat.* a Zamboni in sua *Collectione verb. Canonici* §. 3 *num.* 17 - ibi - « Canonici absentes tribus mensibus permissis lucrantur qui- « dem fructus praebendae, non autem distributiones quo- « tidianas, eaque in re non est attendenda consuetudo, « quum Concilium *cap.* 12 *sess.* 24 *vers. Distributiones ve-* « *ro* . . . in usum revocet Constitutionem Bonifacii . . . « cuius initio praefata consuetudo improbatur ». Consonae hisce praescriptionibus sunt aliae resolutiones editae in *Ruben.* 3 *April.* 1593, *Civitatis Castellanae Punctatur.* 19 *Aprilis* 1614, aliisque quamplurimis.

Quibus S. Congregationis Concilii decretis, ut verbis utar *Scarf. ad Ceccoper. part.* 1 *lib.* 2 *animad. ad tit.* 8 *n.* 8, « obsequendum omnino est, cum faciant ius quoad om- « nes, quoties interpretatur Canones eiusdem Sacri Conci- « lii propter facultates eidem concessas a Summis Ponti- « ficibus ex notatis per *Garz. De benef. in praefat.* et la- « tius per *Fagnan.* in *cap. Quoniam a num.* 70 *et seqq: De*

« *Constit. Rota* . . . » Ex quo fit ut illorum opinionem, qui putant eas resolutiones intelligendas esse vel de consuetudine non legitime praescripta, vel de consuetudine interpretante concilium concessisse etiam lucrum distributionum tempore vacationis permissae *omnino* uti *falsam* reprobet Moneta, ceu illico notat Pignatel. in *recit. consult.* 130 *num.* 5 *tom.* 1.

Post haec male opinari videtur Cenedo, qui dictam consuetudinem rationabilem putat, et cum eo alii qui sustinent ipsam induci posse, quia Bonifacii Constitutio, quam in usum revocat Tridentinum, haud futuras improbat consuetudines. Quandoquidem deficiente rationabilitate in consuetudine, *quae prima est et essentialis praerogativa consuetudinis,* ipsam numquam inolescere posse docet *De Angelis* in suo neoterico opere *Praeelect. Iur. Canon. tom.* 1 *tit.* 4 *num.* 12. Eo vel magis quia docent DD. et passim legitur in resolutionum thesauro, quod consuetudo contra Tridentini sanctiones induci non potest propter decretum irritans adiectum in Bulla Pii IV super confirmatione Concilii, cuius initium *In Principis Apostolorum.* Cuius decreti vis tanta est, ut non modo existentes destruat consuetudines, sed etiam se extendat ad infirmandum ipsum initium consuetudinis ita ut ipsa numquam possit inchoari. *De Luca De Canon. disc.* 10 *num.* 3, *Scarf. ad Ceccop. lib.* 2 *animad. ad tit.* 8 *num.* 7, *Piton. discept. Eccles.* 23 *num.* 16 *et seq., Pignat. Consult.* 134 *num.* 16 *tom.* 1, *Rota decis.* 317 *num.* 12 *et seqq.*

Neque obstat quod consuetudo in themate nedum immemorabilis dici valet, verum etiam aliquem titulum exhibet, dum hac in Ecclesia duae portiones massae communis distributionibus adiudicatae sunt. Nam hoc minime obstante ipsam reprobandam esse docet S. Congreg. ceu refert *Pignatel. cit. consult.* 130 *tom.* 1 *num.* 2 ubi habetur, « extat declaratio S. Congregationis tenoris sequentis:
« Canonicos non posse vi cuiuslibet consuetudinis, etiam
« immemorabilis frui quotidianis distributionibus, illis tri-
« bus mensibus quibus a Tridentino *sess.* 24 *cap.* 12 abes-
« se permittuntur etiam si omnes fructus Canonicatuum
« consistant in distributionibus ex Moneta et Bonacina *De*
« *Horis Canonicis* . . . »

Minusque officit quod consuetudo relata fuerit tamquam lex in Statuto Capitulari Episcopi auctoritate recogni-

to. Scitum enim est, quod inferior derogare non valet legi Superioris, et quod eiusmodi Statuta *expresse sublata sunt a Concilio in d. cap.* 12 §. *Praeterea* – ibi – *Cuiuslibet Statuti:* ita *Pignat. cons.* 115 *n.* 3 *tom.* 9. Ad rem S. C. in *Elborensi saeculi XVI rel.* a Zamboni *loc. cit. verb. Capitulum* §. *XI num.* 1. « Quum Canonici Cathedralium et « Collegiatarum suum Statutum habere dicerent Apostolica « auctoritate firmatum vacandi per centum dies, et fru- « ctus omnes et distributiones percipiendi, ac postulassent « declarationem non comprehendi in lege Concilii; re- « spondit S. Congreg. comprehendi, nisi quatenus legiti- « me probaretur eiusmodi Statuta fuisse confirmata a Sede « Apostolica ».

Hisce utrinque animadversis EE. VV. sapientiae diluendum remitto

DUBIUM

An Canonici Metropolitanae Ecclesiae Ravennatensis, per trimestre tempus vacationum absentes a choro, valeant participare de distributionibus in casu.

Negative.

IPPOREGIEN. DISMEMBRATIONIS. = Obsequens praeceptis EE. VV., quae praesentem controversiam in superioribus mensis Augusti comitiis ventilatam sub dubio, quod in calce prostat, reproponendam mandarunt in hodierno conventu per rescriptum « *Dilata ad proximam* », de more diluendum remitto *Sess.* 21 *cap.* 4 *de Reform.*

DUBIUM

An et quomodo sit locus dismembrationi veteris et erectioni novae Paroeciae in casu.

Affirmative in omnibus.

Die Sabbati 20 Decembris 1879 in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua praeter alia proponentur infrascripta Dubia, iuxta morem eiusdem Sacrae Congregationis de iure resolvenda.

—

S. AGATHAE GOTHORUM CONCURSUS. = Cum die 19 Octobris anni 1877 ex hac vita migrasset Rñdus D. Michael Angelus Saquella Archipresbyter Curatus, parochialis Ecclesia S. Iulianae V. et M. in oppido vulgo *Frasso Telesino* dicata, suo mansit viduata pastore. Ut animarum saluti ac regimini prospiceret Rm̃us Episcopus S. Agathae Gothorum, die 7 Iulii anni 1878 litteras edictales promulgavit quibus concursum indixit ad viduatam Ecclesiam de novo Rectore providendam, et die 15 eiusdem mensis terminum convocationis prorogavit. *Sess. 24 Cap. 18 de Reform.*

Concurrentium albo nomen dederunt Reñdi DD. Antonius Iannucci, Antonius Iannotta, Alphonsus Iannucci, Paschalis Mauro, Antonius Renzi, Angelus della Ratta et Alphonsus Calandra, qui omnes die 25 Iulii 1878 coram tribus examinatoribus comparuerunt ad periculum subeundum. Ad trutinam deinde revocatis concurrentium responsis, ac perpensis testimoniis morumque probitate eorum tantum, qui quoad doctrinae meritum idonei reputati fuerant, uti ex actis apparere videtur, quinque priores adprobati renunciati sunt, duo postremi reprobati. Post haec Rm̃us Episcopus D. Antonium Iannucci qui maiorem votorum numerum retulerat, in novum Archipresbyterum elegit, eique institutionem contulit. At cum postea mente recogitans se errasse intellexisset, eo quod provisio ad Sedem Apostolicam ea vice fuerat devoluta ob eius negligentiam, Bullas Apostolicas favore electi a Dataria impetravit, quae revera datae sunt quarto Kalendas Octobris anni 1878, ac *regio*, ut aiunt, *placet* munitae exequutioni demandatae fuerant non sine aliquo clamore et scandalo ex parte D. Calandra.

Sciendum enim est quod hic suam reprobationem

male persentiens iam infra terminos iuris nempe die 31 mensis Iulii anni 1878 a mala examinatorum relatione appellationem interposuerat ad Metropolitanam Curiam Beneventanam, quae sententia lata die 10 Martii anni 1879 concursum quidem nullum declarandum fore pronunciavit, utpote indictum elapso tempore habili pro collatione paroeciae ex parte Episcopi; perpenso sed vero quod in posterum collatio paroeciae facta fuerat ab Apostolica Dataria semet incompetentem praesenti in controversia declaravit. Eapropter D. Alphonsus Calandra die 27 Ianuarii 1879 penes S. V. O. querelas admovit petens. « 1° Che al più presto che sia « possibile si dichiari la nullità del concorso del 25 Lu« glio tenuto per la Chiesa Arcipretale di Frasso Telesino, « e che in caso di nuovo concorso si proibisca al Iannuc« ci di potervisi presentare per la mala prova che ha fat« to di sè; 2° Che si passasse alla revisione degli scritti « del concorso, e si desse il Beneficio Curato al più me« ritevole e più idoneo a reggere la Chiesa Arcipretale « siccome è il sottoscritto, a giudizio del Vescovo che l'ha « detto con persone e dallo altare e lo ha scritto al ri« corrente . . . 3° Che la Bolla della Dataria sia presto « dichiarata surrettizia ed orrettizia epperò nulla. »

Hisce habitis querelis, die 4 Martii 1879 R̃m̃um Episcopum pro informatione requisivi, qui exposita facti specie, totus in eo est ut Apostolicam Bullam superius citatam a subreptionis obreptionisque vitio omnino expertem demonstret; ait enim: « Il Calandra indispettito per sif« fatta riprovazione e per la elezione caduta in persona « del Iannucci, fece appello al Metropolitano *ab irrationa« bili iudicio examinatorum*, e l'appello fu notificato a « questa Curia nel 1° Agosto prossimo passato. La Curia « però non ostante questo appello, come quello che era « devolutivo e non sospensivo, spedì le Bolle all'eletto, e « gli diè il pacifico possesso. Intanto il sottoscritto ripen« sando al suo operato si accorse d'essere caduto in er« rore, giacchè essendo trascorso il tempo utile pel con« corso, la provvista era devoluta alla S. Sede. Fu allo« ra che s'intimò all'investito Iannucci di provvedersi della « Bolla Apostolica, e nel mese di Settembre dello stesso « anno gli si rilasciava la testimoniale cui andava unita « una domanda dal sottoscritto umiliata al S. Padre, co« me può vedersi nella Dataria, con la quale si manife-

« stava l'errore in cui erasi caduto, e s' implorava benigna sanatoria e la Bolla Pontificia. A vista di questa « dimanda la S. Congregazione in riguardo alla sanatoria « rispose: *Non indigere,* e benignamente concesse la Bolla, « la quale inviata al ministero, fu munita del regio *exequatur*.

« Ottenuto il regio placito, si stimò renderlo di pubblica ragione, e però si diede un secondo possesso « con la Bolla di Roma al Iannucci. Che poi si sia umiliata al Santo Padre la dimanda con cui imploravasi « benigna sanatoria, non ostante che potrebbe rilevarsi « dalla Dataria, risulta pure dalle parole che si leggono « nella Bolla, e citate ben anche dalla sentenza del Metropolitano: – *Cum illius collatio et provisio ad Nos et* « *Sedem Apostolicam hac vice spectet et pertineat.* – Essendo ogni Arcipretura vacata, come vacò l' Arcipretura « di Sasso, di libera collazione del Vescovo, quale ha potuto essere il motivo per cui la Dataria abbia fatto uso « di una tal dicitura, se non la devoluzione della provvista del beneficio manifestata dall'Ordinario quando richiedeva la sanatoria? Oltre di ciò il Cancelliere della « Curia essendosi accorto che altre provviste di simil fatta « eransi fatte dall'Ordinario in buona fede, a sua insaputa chiedeva alla S. Congregazione del Concilio, ed « otteneva nel 17 Febbraio corrente anno una sanatoria « generale per tutte le provviste fatte dal 1872 sino al « 1878 incluso.

« Che poi si sia manifestato alla S. Sede l'appello « del Calandra presso il Metropolitano, quantunque, « secondo pare, non vi fosse necessità, si deduce « dalle altre parole che si leggono nella Bolla – *Etiamsi* « *super ea inter aliquos lis, cuius statum praesentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa* – si è detto, quantunque non vi fosse necessità, imperocchè avendo il Calandra reclamato presso la Curia Metropolitana « *ab irrationabili iudicio examinatorum,* questa Curia, la « quale nella sentenza emanata nel dì 10 Marzo corrente « anno ha detto: *non esse locum revisioni concursus,* ancorchè avesse voluto giudicare, al più avrebbe potuto dichiarare il Calandra tra gli approvati. E questa dichiarazione avrebbe potuto invalidare l'elezione del Iannuc-

« ci ? Dietro tutto ciò pare al sottoscritto che la Bolla Pon-
« tificia non sia nè surrettizia nè orrettizia ».

Post haec Rm̃us Praesul examinatores prosynodales a simoniae labe, qua infectos D. Calandra per iniuriam in vulgus dictitabat, expurgat, eumdemque turbarum et scandali causam declarat, ita ut ex conscientiae debito eum a confessionibus audiendis suspendere debuerit. Audito etiam pro informatione Em̃o Archiepiscopo Beneventano f. r., qui nihil novi retulit, sed tantum copiam sententiae latae in praesenti controversia transmisit, votum Consultoris requisivi, quod typis impressum seorsim distribuitur una cum actis concursus, quae cum authographis apprime concordant. In eo idem Rm̃us Consultor demonstrare satagit: 1° Beneficium Archipresbyteralis Ecclesiae-Curatae S. Iulianae V. et M. ad S. Sedem fuisse devolutum, valide tamen Episcopum concursum indixisse; 2° Concursum absolutum validitate pollere; 3° Electionem et collationem Beneficii ab Episcopo factam fuisse inefficacem et nullam; 4° Bullam Apostolicam datam Quarto Kalendas Octobris anni 1878 favore D. Iannucci validam fuisse et efficacem; 5° demum ex septem concurrentibus Antonium Iannucci primo loco esse adprobandum, secundo loco Paschalem Mauro et Antonium Renzi; coeteros esse reprobandos.

Omnibus rite absolutis causam poni iussi *in folio*, et praesentem diem statui pro eiusdem discussione sub dubiorum formula in calce huius libelli exscripta. Meum itaque est nonnulla in iure et in facto de more animadvertere.

Ac in primis favore D. Calandra notandum occurrit quod statuit *Tridentina Synodus Sess.* 24 *cap.* 18 *de Ref.* videlicet in collatione beneficii parochialis iudicium cumulativum scientiae et requisitorum ab examinatoribus prosynodalibus ferendum esse. Sic enim prostat Tridentinorum Patrum mandatum: « Peracto examine renuntientur
« quotcumque ab his idonei iudicati fuerint aetate, mo-
« ribus, doctrina, prudentia et aliis rebus ad vacantem
« Ecclesiam gubernandam opportunis ».

Quae quidem doctrina de iudicio cumulativo ac coniunctivo ferendo circa doctrinam ac requisita concurrentium clarius explicatur et confirmatur a *Benedicto XIV de Syn. Dioec. lib.* 4 *cap.* 8 *num.* 3 – ibi – « Examinato-

« res . . . non solum experiri debent eorumdem scientiam, sed et praecipuam rationem habere probitatis morum, prudentiae, aetatis et coeterarum qualitatum, quibus praeditum esse oportet cui animarum regimen committitur ». Cui concinit eiusdem Pontificis Constitutio incipiens *Cum illud,* sic enim inibi §. 16 *n.* 4 legitur: « Parem, ni forte maiorem solertiam examinatores adhibeant in perscrutandis aliis qualitatibus regimini animarum consentaneis; morum honestatem inquirant, gravitatem, prudentiam, praestita hactenus Ecclesiae obsequia, acquisitam in aliis muneribus laudem, aliaque spectabilium virtutum ornamenta, doctrinae arcto foedere consocianda; hisce omnibus coniunctim expensis, inhabiles per sua suffragia reiiciant, et idoneos Episcopo renuncient ».

Iam vero si Concilium Tridentinum et Summus Pontifex Benedictus XIV formiter iudicium cumulativum et coniunctivum scientiae et requisitorum induxerunt, hac forma spreta, ipse concursus corruat necesse est. Audiatur sane *Reclusius De Concursibus p.* 1 *tit.* 5 *num.* 16 *et seq.* « Mala similiter erit examinatorum relatio, quotiescumque intra doctrinae limites sese continuerint, de moribus autem aliisque ad animarum regimen opportunis qualitatibus minime investigaverint: *Benedictus XIV* . . . ita ut huiusmodi mala examinatorum relatio ob non servatam praescriptam ordinatamque formam afficiat insanabilem concursus nullitatem ex citatis auctoritatibus etc. »

Cui doctrinae constanter ferme adhaesit S. H. C. quae in causa Montis Regalis *diei* 2 *Augusti* 1607 relata a *Fagnano in Cap. Eam te De aet. et qualit. praef. num.* 15 censuit: « *Si examinatores non retulerint idoneos quoad omnes qualitates prout Concilium requirit, nullum concursum esse* ». Quibus concinere videntur resolutiones in *Beneventana Concursus die* 26 *Ianuarii* 1878, et in *Viterbien.* 4 *Maii eiusdem anni.*

Quum igitur in concursu S. Agathae Gothorum nulla ratio ab examinatoribus habita fuerit de meritis D. Angeli della Ratta et actoris Calandra quemadmodum ex actis apparet, manifesta erumpere videtur concursus nullitas, ideoque novum concursum indicendum esse, vetito tamen Sacerdoti Iannucci ad concursum accessu ob simoniae labem, de qua inferius erit sermo. Quin praesidium captari possit ex Bul-

la a Dataria concessa favore Iannucci, in ea siquidem de sanatione nullitatis ex hoc capite neque verbum occurrit neque vola.

Quod si EE. VV. decernere existiment, hac etiam forma spreta, concursum sustineri, provisio tamen parochialis Ecclesiae favore Iannucci facta nullo pacto sustineri posse videtur utpote simoniaca labe infecta. Quandoquidem canon iuris est, quo non vulgatior alter, beneficiorum collationes simoniace factas plane irritas inanesque esse. Idque obtinet sive ab utraque parte simonia perfecta sit, sive conventione nitatur, tam si ipse electus, quam si eo ignaro eius amici et consanguinei pecuniam dederint aut promiserint *can.* 5 *caus.* 1 *quaest.* 4, *Extravag.* 2 *de Simon. inter communes, cap.* 27 *de Simonia et DD. communiter.*

Quod autem in themate simonia intercesserit inter D. Iannucci et examinatores enarrat actor, nonnullisqe testimoniis conficere studet. Ait enim: « Non mancano « persone che dicono d'aver veduto chi ha portato di notte « prosciutti ed altro a qualche esaminatore, e domandato « in casa d'un esaminatore donde ciò venisse, essersi ri- « sposto: da Frasso. » Imo subdit, id magis magisque patere: « Dalla condotta degli esaminatori, che prima del « concorso crearono Arciprete il Iannucci, come è stato « detto al R. Parroco D. Antonio Renzi ed al Sig. D. Gio- « vannino Canelli... Dalla condotta della famiglia Iannucci, « che per mezzo de'suoi membri prima del concorso ha « detto financo nelle cantine che l'Arciprete sarebbe stato « il suo D. Antonio, che due giorni prima della pubbli- « cazione della sentenza ha fatto festa spacciando che il « predetto D. Antonio era stato già eletto, e che dopo « il concorso ora si è fatto uscire di bocca che aveva usati « maneggi fin dalla morte dell'Arciprete, ed ora, per ta- « cere ogni altra cosa, ad una persona sua parente ha « detto: Anche tu mi sei contraria? Io mi son rovinata: « ho consumati già mille ducati. »

Nec satis, prosequitur enim: « Da tutti si ritiene che » il Iannucci sia arrivato a quel posto per via di doni e « di denaro. 1° Il fratello del Iannucci prima del concorso « alla presenza del Rñdo Padre Samuele da Frasso disse: « Se mio fratello sarà approvato, vedremo chi sarà l'Ar- « ciprete. 2° Il cognato dello stesso con persona fedede- « gna, com'è Francesco Ricciardi uscì a dire: Mio cognato

« sarà certo Arciprete. 3° La madre dello stesso, come « hanno asserito i Rñdi Sacerdoti D. Stanislao Formichella « e D. Alfonso Norelli, parlando dello appello fatto dallo « scrivente, diceva: che vuole D. Alfonso? Egli vi ha pen- « sato troppo tardi: noi ci stiamo maneggiando fino dalla « morte dell'Arciprete. 4° Il Cancelliere della Curia nel « tempo che i concorrenti sciogliévano le questioni loro « proposte affermava con asseveranza ad Arcangelo Raf- « faele Marcarelli e moglie, che il Iannucci e non altri « sarebbe stato l'Arciprete di Frasso. 5° Il Cancelliere stesso « colle predette persone ha detto che la notte del primo « Agosto furono da lui i fratelli di Iannucci, e che egli « aveva spinto il Vescovo a dare il possesso a lui. » Ex quo D. Calandra rationem deducit « perchè il Cancelliere « spropositasse nella lettura de'miei scritti ».

Quae huc usque exposita sunt, satis esse videntur ad provisionis nullitatem favore D. Iannucci peractam decernendam; sed et ulterius animadvertendum provisionem factam vi Apostolicae Bullae non sustineri utpote obreptionis subreptionisque vitio laborantem. Enarrat enim Orator: « Il secondo possesso del 6 Febbraio è anche nullo, per- « chè la Bolla ottenuta dalla Dataria è orrettizia e sur- « rettizia; giacchè Monsig. Gori ieri primo Marzo ha fatto « osservare al querelante nel registro che per la dimanda « della Bolla in parola non si è fatta menzione nè del- « l'appello presso il Metropolitano di Benevento, nè che « il beneficio arcipretale era devoluto al Pontefice, ma si « è detto solo che si voleva la Bolla ad aver più facil- « mente l'exequàtur. » Quod quidem vitiat Bullam ipsam, cum agatur de subreptione et obreptione dolosa, per textum expressum *in cap. Super litteris* 20 *De rescrip.* quia fraus et dolus nemini patrocinari debent: *c. Ex litteris* 2 *De dolo et contumacia, et L. In fundo ff. de rei vindic.*

Ad tertium dubium descendens, in hypothesi quod validitas concursus sustineatur et facta provisio sit infirmanda, sustinet actor sibi paroeciam adiudicandam esse. Etenim si requisita doctrinae arcto foedere consocientur, si omnia coniunctim expendantur ad tramites Benedictinae Constitutionis, D. Calandra profecto inter approbatos adnumerandus esset. Nam ipse per plures annos publice docuit in Seminario dioecesano et vices gessit Rectoris; confessarii, concionatoris, cathechistae munere functus est; cor-

reptis cholerae morbo spirituale auxilium praestavit, ac tandem tres alios concursus sustinuit. Posita igitur adprobatione, cum in Episcopi facultate sit inter adprobatos quem magis idoneum in Domino iudicaverit eligere: *S. C. in Portuen. Parochialis* 30 *Iulii* 1763, *in Feretrana Parochialis* 8 *Febr.* 1783 *in Lunen. seu Sarzanen. Parochialis* 5 *Aprilis* 1783, *in Tyburtina Archipresbyteratus* 22 *Augusti* 1807, et in *Savonen. Archipresbyteratus* 15 *Iunii* 1816 §. *Ut vero* indubie ipse electus fuisset, subindeque in praesens ipsi paroecia adiudicanda esset. Episcopus enim ore proprio in informatione ad S. V. O. fatetur, quod *sino al giorno in cui dagli esaminatori pro-sinodali fu dichiarato il Calandra riprovato, il sottoscritto ha serbato di lui un ottimo concetto, che anzi aveva su di lui fissato le sue mire.* Cui apprime concordant plures epistolae, quarum exemplar prostat in actis, ab eodem Rm̃o Antistite ad actorem in causa conscriptae, in quibus plena manu existimationis, laudum et benevolentiae declarationes congeruntur.

Cui concinit attestatio Canonici Fusco in actis exhibita, qui tacto pectore deponit se a Rm̃o Episcopo audivisse quod « dovè fare suo malgrado la scelta del Signor « Iannucci. Conchiuse che egli non aveva potuto scegliere « Calandra come era sua volontà, perchè era stato con « suo vivo dispiacere riprovato, mentre nello scrutinio « degli scritti aveva appena riportato sette *bene* e sei *male*, « laddove per l'approvazione occorrevano almeno tre bene « in più dei male, ed a Calandra erano mancati altri due « bene per restare approvato. Tanto ha detto Monsig. « Vescovo in mia presenza. » Eadem prope procul testatur Canonicus Formichella edicens: « Monsignore in pre« senza di più persone disse, che si potea star sicuri che « le cose erano andate con tutta regolarità, che veramen« te sarebbe stata sua intenzione promuovere il Calandra « a questa Arcipretura, e che al vederlo segnato tra i « riprovati, pregò gli esaminatori, perchè dopo invocato « con lui lo Spirito Santo, avessero riletti gli scritti del « Calandra. »

Ex altera vero parte notandum occurrit, agendi rationem examinatorum S. Agathae Gothorum reputandam non esse contrariam legi Tridentinae iubenti examinatores inquirere de aetate, moribus, doctrina, prudentia concur-

rentium; nam deficiente scientia, inutile videtur excutere coetera merita, cum concurrens ex unius defectu, inidoneus iam iudicatus fuerit. Quod quidem a SS. Canonum dispositione minime devium esse videtur; quandoquidem si pro certo haberi debet quod ignorantes et indocti a parochiali munere arcendi sint, consequi videtur Examinatores tunc tantum ex legis dispositione super merita inquirere teneri quando concurrentes determinatos scientiae gradus, facto periculo, attigerint. Sic S. V. O. in causa *Anagnina Concursus* 20 *Iulii* 1872, ex eo quod examinatores prosynodales in vim longaevae consuetudinis haud merita expenderant Sacerdotis Pace qui reprobatus quoad scientiam fuerat, proposito dubio: « *An constet de nullitate concursus ad paroeciam S. Pancratii in casu* » respondit: *Negative*, quae quidem resolutio confirmari meruit in Comitiis 14 *Decembris eiusdem anni* cum clausula *et amplius*.

Neque dicas, uti opinata est Beneventana Curia, concursus nullitatem redargui ex eo quod in Episcopi potestate non erat concursum indicere, dum parochialis Ecclesiae collatio ad Sedem Apostolicam erat devoluta; siquidem vix legenti §§. 19 et 20 recitatae Benedictinae Constitutionis contrarium apparet et fert praxis.

Posita igitur validitate concursus, inutile prorsus foret super provisione Ecclesiae Parochialis in persona D. Iannucci disquisitionem instituere, quandoquidem prae suo competitore ipse dignior quoad scientiam et requisita apparet, tam si perpendantur acta concursus, quam si consideretur iudicium editum ab examinatoribus et deputato consultore; et quod maius est praeelectus ab Episcopo fuit, et Apostolicae Datariae commendatus, a qua sui favore Bullam Apostolicam obtinuit, quae iam executioni fuit demandata.

Flocci vero facienda videtur accusatio simoniae ab actore Calandra contra examinatores prolata, tum quia duo testes ab eodem producti sunt tantum de auditu, et eorum testimonia scripto exarata nulla authenticitatis nota firmantur, tum quia R̃mus Antistes bonum testimonium perhibet de eorum moralitate in informatione ad S. V. O. edicens praetensam simoniam in vulgus editam fuisse ab actore Calandra. « Egli indispettito per la riportata riprovazione, oltre del ricorso alla Metropolitana, ha avuta « l'impudenza di spargere la voce non solo pel suo paese « e per la diocesi, ma benanche in Benevento, essersi

« provveduta l'Arcipretura di Frasso per deferenza , in-
« taccando or l'uno or l'altro degli esaminatori di simo-
« nia, e quantunque più volte avvertito ha sempre ri-
« calcitrato, lanciando delle frasi contumeliose contro i suoi
« legittimi superiori. E come si potrà riparare alle ingiu-
« rie vomitate contro degli esaminatori, che sono soggetti
« rispettabili del Capitolo? »

Minusque officere videtur quod asserit D. Calandra Bullam Apostolicam obreptionis subreptionisque vitio laborare ex eo quod in eius impetratione neque de lite pendente penes Curiam Metropolitanam, neque de iure devolutionis ad Sedem Apostolicam mentio facta fuerat. Pontifex enim et de lite pendente et de iure devolutionis ad S. Sedem mentionem facit , omnibusque occurrit. En verba Bullae:
« cum itaque sicut accepimus Parochialis Ecclesia Archi-
« presbyteratus nuncupata S. Iulianae V. et M. terrae Fraxii
« Thelesini S. Agathae Gothorum dioecesis quam quon-
« dam Michael Angelus Saquella ipsius parochialis Eccle-
« siae Rector Archipresbyter nuncupatus dum viveret ob-
« tinebat, per obitum dicti Michaelis Angeli qui extra Ro-
« manam Curiam de mense Octobris anni Domini proxime
« praeteriti diem clausit extremum vacaverit et vacet ad
« praesens , illiusque collatio et provisio ad Nos et Sedem
« Apostolicam hac vice spectet et pertineat . . . . etiamsi
« dicta parochialis Ecclesia dispositioni Apostolicae speciali-
« ter reservata existat, et super ea inter aliquos lis, cu-
« ius statum praesentibus haberi volumus pro expresso ,
« pendeat indecisa dummodo tempore datae earumdem
« praesentium non sit in ea alicui specialiter ius quaesi-
« tum . . . eidem Antonio conferre et assignare auctoritate
« nostra curetis.... »

Quibus huc usque animadversis , supervacaneum videtur de tertio dubio disquirere. Tantum meminisse iuvat quod, si forte deprehendatur aliquod in forma peccatum, hoc non semel a S. O. sanatum fuit, ceu inter alias videre est in *Ripana* 12 *Iulii* 1788.

Hisce breviter expositis, dignentur EE. VV. ea qua pollent sapientia ac iuris peritia sequentia dirimere

DUBIA

I. *An constet de nullitate concursus in casu.*

II. *An provisio Sacerdotis Antonii Iannucci sustineatur in casu.*

Et quatenus negative ad utrumque

III. *An et cui parochialis Ecclesia adiudicanda sit in casu.*

Ad I. Negative.
Ad II. Affirmative.
Ad III. Provisum in praecedentibus; Sacerdos autem Calandra vacet per decem dies spiritualibus exercitiis in poenam illatae calumniae.

AQUEN. IURIS. = Anno 1739 et praecise die 20 Octobris ad preces sexdecim Presbyterorum Aquensis civitatis auctoritate Episcopali constitutum fuerat, ut in cadaverum associatione, quando invitati erant presbyteri, quidam servaretur turnus ab antiquiore incipiens, donec omnes hoc beneficio usi fuissent. Exinde originem traxisse videtur quaedam Sacerdotum Congregatio, cui *Urbanae* nomen inditum est. Turnus hic longo haud tempore perdurasse videtur, quandoquidem ex actis Congregationis eiusmet de anno 1777 die 3 Nov. habitae statutum fuisse constat « *doversi rimettere in vigore il turno già stabilito . . . con decreto dei* 20 *Ottobre* 1739 – ita tamen ut in turno – *resti sempre compreso uno dei Signori Viceparrochi a vicenda.* »

Sess. 25 *cap.* 13 *de Reform.*

Congregationem istam sub die 3 Ianuarii 1778 sua condidisse statuta hac super re constat, quae Episcopali auctoritate probata fuerunt sub die 10 Martii dicti anni, reservato tamen Episcopo pro tempore iure *ipsa minuendi, augendi, vel variandi.* In hisce porro statutis praeter ea quae hucusque exposui nonnulla addita inveniuntur Viceparochos respicientia.

Ad rem articulos 5 et 8 praefatorum statutorum referre praestat – ibi – « In occasione che siano chiamati li « Sacerdoti ad intervenire all'accompagnamento di qual- « che cadavere, dovrà osservarsi fra loro inviolabilmen- « te *l'ordine del turno.* Onde nessuno si farà lecito di an-

« darvi, se prima non sarà avvisato da quel Sacerdote
« che ritiene il libro del Clero della Città sotto pena di
« venire escluso in perpetuo dalla ragione di questo tur-
« no, e ciò affine di sostenere la buona armonia e con-
« cordia che deve regnare nel Clero. Dovrà perciò quello
« che ritiene il suddetto libro deputare i Sacerdoti nel
« numero dall'Erede voluto destinandoli per ordine di an-
« zianità e *per turnum*, dandone loro l'avviso con bigliet-
« to. Dovrà inoltre avvisarne altri due a tenersi in pron-
« to per supplire al numero richiesto, in caso che man-
« casse alcuno dei Sacerdoti destinati. E si stabilisce che
« chiunque per qualunque motivo non volesse o non po-
« tesse intervenire al suo luogo non possa pretendere di
« surrogarsi arbitrariamente un' altra volta, ma debba as-
« solutamente attendere di venire nuovamente destinato
« alla rinnovazione del turno. – Nei Sacerdoti deputati al-
« l'accompagnamento di qualche cadavere sarà sempre in-
« cluso uno dei due Viceparrochi, i quali nulladimeno go-
« dranno del turno allorchè li spetterà in qualità di cit-
« tadino, ed essendo li Viceparrochi non cittadini non li
« competerà la ragione di potere gioire del turno sud-
« detto ».

Anno 1843 ut Archipresbyteri Parochi votis satisfaceret enunciata Congregatio permisit ut ambo Viceparochi pro tempore, licet alienigenae, intervenire possent « si-
« multaneamente ad ogni accompagnamento e sepoltura
« di cadavere ogni qualvolta ne siano invitati i Sacerdoti
« della Urbana Congregazione . . . , purchè e mediante
« che i detti Signori Viceparrochi facciano di soddisfa-
« re a tutti gli oneri, ed obblighi, cui sono avviati, ed a
« quelle stesse obbligazioni delle quali sono onerati gli
« stessi membri della Urbana Congregazione; dichiaran-
« do però che codesta concessione non possa altrimenti
« ravvisarsi che personale, nè si debba ad altri estendere
« che ad essi M. R. Signori Viceparrochi, cosicchè in loro
« assenza non possono farsi rappresentare nè surrogare in
« detti accompagnamenti, e tuttavolta che sieno estranei non
« possono intervenire alle adunanze della Congregazione
« Urbana, del resto i detti Viceparrochi godranno di tut-
« ti gli altri diritti di suffragio come i membri di essa
« Congregazione ».

Ut autem animarum saluti melius prospici posset ob

auctum populi numerum, labente anno 1878 tertius Viceparochus, uti in votis erat Antistitis, nominatus venit, cui de aliorum Viceparochorum consensu tertia pars emolumentorum, quae inter ipsos antea dividebantur, assignata fuit; paroeciales enim reditus haud tales sunt ut omnium honestae sustentationi sufficere valeant. Unde exoptabat Parochus ut hic non aliter quam alii Viceparochi in cadaverum associatione considerandus esset. Obsistente at vero Urbana Congregatione, quae insuper penes Curiam institit ut decerneretur « *che d'or innanzi un solo Viceparroco intervenga all'accompagnamento de' cadaveri*, » Archipresbyter Parochus ad S. V. O. confugit supplici dato libello diei 5 Aprilis 1879 declarari expostulans: « 1° Se « possa il Parroco d'Acqui rivocare a se il diritto di far « la nota dei Preti interveniendi all'accompagnamento dei « cadaveri, non ostante la consuetudine più che centena« ria e confermata da alcuni Ordinari Diocesani, della qual « consuetudine gode la Congreg. Urbana? E in caso nega« tivo, 2° I Viceparrochi hanno il diritto di essere sem« pre preferiti, od almeno è conveniente che siano preferiti « agli altri Preti nell'associazione dei cadaveri? In via poi « sussidiaria, 3° L'umile Oratore supplica per grazia, che a « cagione delle ristrette sue finanze e dell'aumento sempre « progressivo di sua popolazione, la S. Sede si degni de« rogare alla consuetudine invocata dalla Congregazione « Urbana, e decretare, che *tutti* i Vice Curati della Par« rochia d'Acqui siano sempre preferiti ad ogni altro Pre« te, quando la Congregazione Urbana forma la lista dei « Sacerdoti suoi membri interveniendi all'associazione dei « cadaveri. »

Acceptae petitioni rescripsi « *Utatur iure suo coram Curia Episcopali*. Verum cum Episcopus mihi literas diei 29 Maii volventis anni dedisset, in quibus exorabat ut quaestio a S. V. O. dirimenda foret praecipue quia « *la decisione del Vescovo raffredderebbe in parte quella reciproca armonia che fortunatamente fu mantenuta fra me e il Clero di questa città* »; hinc acta omnia compleri mandavi. Quibus habitis causam in hodiernis comitiis disceptandam proposui sub dubiis in calce huius libelli relatis, nonnullis prius, uti fieri solet, utrinque animadversis in iure.

Et praeprimis favore Parochi actoris haec animadvertenda esse putarem. Licet iuris communis dispositione in-

specta ad haeredem pertineat destinare Clericos ad funus comitandum *Scarf. Lucub. can. tom.* 2 *lib.* 4 *tit.* 14 *num.* 34 *seqq.*, *Pignat. tom.* 4 *cons.* 205 *num.* 36. *Peyrin. ad Const. Leon. X. cap.* 4 *num.* 7 attamen nisi aliter, testatore silente, ab haerede fuerit dispositum, hoc ius ad Parochum pertinere censuit S. Congregatio teste *Amostaz De causis piis lib.* 6 *cap.* 2 *num.* 51 ubi habet « S. Congregatio in una Ferrariensi 7 Septembris 1613 censuit, « Parochum ad libitum vocare ad funus Clericos, quos « voluerit; nec cogitur vocare viciniores, nisi aliter fuerit « dispositum ab haeredibus defuncti, quorum voluntas est « servanda. Ex qua quidem declaratione satis depromi- « tur, intelligendum illam facultatem concessam esse Pa- « rochis, nisi aliter ab haeredibus defuncti dispositum fue- « rit, quibus in primis competit destinare numerum Sa- « cerdotum et cerae ad defunctum associandum, quolibet « praetextu Parochorum deducto non obstante, ut respon- « dit *Congr. Episcoporum* in una *Cas.* 5 *Maii* 1617, qui- « bus ab haeredibus designatis, Parochus alteros nequit « convocare, ut censuit Congregatio in *Laudensi* 20 *Augu-* « *sti* 1601. Quapropter prima declaratio solum est intel- « ligenda, quando haeredes nullos Clericos designaverint, « in quo casu Parochus eos designare poterit; quod idem « est dicendum, si designati fuerint a testatore defuncto « *Barbosa dict.* 3 *p. cap.* 26 *a num.* 57 *et de univers. iur.* « *lib.* 2 *cap.* 10 *a num.* 57. *Samuel. De sepult. tract.* 1° « *controvers.* 5 *conclus.* 10 *a num.* 21. *Lavorius dict. tit.* 2 « *cap.* 3 *a num.* 101 ».

Quod autem ius Parochi favore tam firmum est, ut ipsum Statutum Romani Cleri, quod iuxta Rotam in *Maioricen.* 2 *Iulii* 1708 §. *Hocque coram Humana* et S. C. in *Pisana Emolum. Funer.* 14 *Decembris* 1872 §. *Quod si* haberi solet pro lege, et normam Episcopis tribuere, sub *cap.* 5 §. 12 hoc ius ad unum Parochum competere decernat – ibi – « *Ad unum Parochum defuncti proprium pertinet presbyteros iuxta numerum ab haeredibus ipsius praefixum ad funus vocare*...Quo in iure posito, videretur nullimode praefatam Congregationem sibi adiumentum captare ex propriis statutis Episcopi auctoritate recognitis ut Parochum ab huiusmodi iuris exercitio in haeredis defectu excluderet, cum id decernere in Episcopi facultate non sit. Ad rem *Scarfant. l.c.n.*34: « Capitulum et Canonici etiam expresse adstipulante Episco-

« po, nequeunt eorum Statuto haeredes defunctorum adstrin-
« gere, ut ad funebres processiones ante alios convocent duos
« Presbyteros, qui in omnibus Missis cantatis eis inserviant
« pro Diacono et Subdiacono vel alios Capellanos servientes
« Ecclesiae *Glos. in cap. Tua nos. de Simonia Verb. Con-*
« *ventio, Roman. singul.* 363, *Sylv....* » Et minus ex consuetudine in contrarium introducta, quia ut inferius sentit recitatus auctor ipsa non valet « quia est contra ius natu-
« rale ac contra libertatem Ecclesiasticam *Curt. in cap.*
« *Cum tanto n.* 21. *De consuet.* et in puncto late docet
« *Fragos lib.* 8. *disp.* 19. *n.* 27 *tom.* 2. ». Si igitur Statuta et consuetudo, a quibus praesidium mutuari tantum valet praefata Congregatio, non sustinentur, illud remanet quod ex iure communi statutum est, nempe quod in subsidium testatoris vel haeredis hoc ius non exercentis, venit Parochus proprius defuncti, cui pro libito ius esse videtur notulam Presbyterorum efformandi ad cadavera associanda.

Neque subdas quae hucusque dicta sunt proprie pertingere testatorem vel haeredem, minime vero ius Parochi quod subsidiarium est, quodque et ordinatione Episcopi et contraria consuetudine destrui poterat. Statim ac enim hoc iuris exercitium subsidiarie ad Parochum de iure pertineat, Episcopi auctoritate infringi haud valet. Episcopus enim aliquid contra ius statuere non potest, ut per *Add. ad Buratt. decis.* 572. *lit. B* eoque minus contra Sacrarum Congregationum decreta ut per *Barbos. ad Concil. Trid. sess.* 1. *n.* 2., *Pignat. loc. cit. n.* 28; observantia vero contraria ei quod de iure est hoc in puncto minime relevaret, dum suam repeteret originem a conniventia et permissione antecessorum, quae non praeiudicat successoribus etiam si esset per longum tempus ceu totidem ferme verbis docet *Piton. discept. Eccles.* 50. *n.* 42 cum aliis inibi recitatis. Praeterquamquod observari debet talem consuetudinem veluti parochialium iurium laesivam tamquam abusum et corruptelam in iure reputari post Constitutionem Pii IV *In Principis Apostolorum Sede* et firmavit H.S.C. in *Nullius Sublacen. Iur. Paroch.* 18. *Sept.* 1824. minime obstante quod ipsa quadragenaria vel centenaria fuerit uti in *Baren. Iur. Paroch.* 28 *Aug.* 1756, *Oritana Iur. Paroch.* 22. *Sept.* 1877. §. *Incassum.* Profligatis ergo Statutis, expunctaque praetensa consuetudine, firmari posse videretur ad

parochum spectare ius notulam Clericorum efformandi, qui ad funebres processiones interesse debent iuxta numerum ab haerede definitum.

Hoc posito principio iam supervacaneum videretur ad ulteriora procedere; in perdita tamen hypothesi quod praetensa Congregationis Urbanae iura sint substinenda, nullimode Viceparochos, quotquot sint, excludendos esse censerem ad interveniendum cuilibet funeri extra turnum. Docent enim DD. post *text.* in *Can. Quia Sacerdotes* 10 *quaest.* 1. aequum esse, ut extraneis praeferri debeant Clerici Ecclesiae Parochialis in funerum associatione *Piton. loc. cit. n.* 15, *Pignatell. loc. cit. n.* 39. Cui dispositioni adhaesisse videtur H. S. C. in *Nullius Montis Cassini* 26 *Ian.* 1726 *ad* 9 *Dub.* in quo censuit *Licere haeredibus defunctorum solum parochum vocare* (ad funus) *sed quatenus alios presbyteros vocare velint, esse praeferendos illos Ecclesiae matricis in numero ipsis haeredibus beneviso.*

Ratio autem ob quam DD. hanc praecedentiam iis presbyteris tribuunt in hoc consistit, quod Clerus iste Parochiali Ecclesiae inservit. Affabre *Piton. loc. cit. n.* 14. – ibi – « quae quidem praelatio est in iure fundata cum « clerus inserviat Ecclesiae Parochiali praedicando, cele« brando Missas, et divina officia immo etiam adiuvando « et Parochum in administrando sacramenta Parochianis, « *Gratian...* » Age si praelatio isthaec in associandis funeribus Clero parochiali debetur, quia Parocho adiutorio est, nescio quomodo excludi possint Viceparochi qui in Paroecia pondus sustinent diei et aestus. Ad rem Parochus: « Pare contrario all'equità naturale, che uno o più « Vice-Parrochi siano esclusi dai funerali, o debbano fare « cogli altri il turno. Avranno i Vice-Parrochi tutto « il peso dell'assistenza dei moribondi e poi saranno esclusi « dalla funzione funebre che altro non è se non che l'ul« timo complemento della caritatevole loro opera? E ad « esclusione di questi interverranno ai funerali Preti, che « in Duomo mai o quasi mai si veggono, se non in oc« casione di funzioni mortuarie? S'aggiunga che questa esclu« sione è contraria al volere dei parenti dei defunti. Mentre « appena si venne dal popolo Acquese a saper della con« troversia insorta tra l'Arciprete e la Congregazione Urbana, « i parenti dei morti e gl'incaricati delle funebri funzioni

« vollero sempre compreso il terzo Vice-Parroco nella lista « dei Preti interveniendi alle sepolture ».

Omnis autem hac super re difficultas evanescere videtur, si spectes hoc ius ab ipsa Congregatione iugiter recognitum fuisse. Audiatur sane Parochus: « Un tale diritto « fu implicitamente riconosciuto dalla Congregazione me« desima. Perocchè quando la Parrocchia aveva un sol « Vice-Parroco, questi sempre intervenne alle funzioni mor« tuarie. Si consulti il libro della Congregazione e se ne « avrà chiara prova. Quando poi pel moltiplicarsi della « popolazione furono fissati due Vicecurati, questi a sem« plice richiesta del Parroco poterono far riconoscere il « loro diritto dalla Congregazione, si consulti il detto libro; « ove benchè si dica che per fare *cosa grata* all'Arciprete « si ammetteva la sua domanda, tuttavia è virtualmente « riconosciuto l'indicato diritto ».

Quibus ergo attente ponderatis videretur quod vicibus Parochi fungentes quotquot sint nullimode excludi possent a cadaverum associatione. Sin minus rationes hucusque deductae tales esse videntur, ut saltem ex gratia et benignitate Summi Principis, cui et legi, et consuetudini datum est derogare hoc ipsis de consilio S. O. largiatur.

Contra sed vero perpendas oportet quod in materia funeralium statur semper consuetudini, quando agitur de personis, quae in illis debent intervenire, ceu post Glossam in *Clem. Dudum* § *Verum ne parochiales, et in verb. Integre de Sepultur.* docet cum aliis *Gratian. Discept. for.* 492 *n.* 7. Consuetudinem porro istam quadraginta tantum annorum spatio introduci posse testatur *Pignatell. loc. cit.* n. 38 – ibi – « potest introduci ex consuetudine quadra« genaria ut certae personae ad funera evocentur, cum non « sit impedimentum liberae sepulturae sicut advertit in hac « specie *Gratian*.....» Atqui in themate non de quadragenaria sed plusquam centenaria consuetudine agi tot Episcoporum auctoritate firmata fidem facit ipse actor Parochus in propositis dubiis – ibi – *non ostante la consuetudine più che centenaria e confermata da alcuni Vescovi*. Cum igitur favore Congregationis militet consuetudo, qua cautum est ut turnus Presbyterorum a deputata persona efformetur in cadaverum associatione, videretur quod Parochus hoc ius ad se revocare non posset.

Quin obiici valeat hoc de iure spectare ad testatorem vel haeredem, subindeque consuetudo haec nequit introduci, prouti impeditiva libertatis. Haec enim talis non est ut cogat haeredes ad evocandum Clerum in funeribus, quo in casu dici posset impeditiva libertatis, sed tantum praelationem Cleri iuxta ordinationes et Statuta ab Episcopis firmata inducit, quando haeredes velint funus per alios associari, unde fit quod ipsa maxime rationabilis dici debeat iuxta *Pignatell. loc.* nuper *cit.* Praeterquam quod observare fas est, quod tam in decreto Episcopali de anno 1739, quam in Statutis Congregationis minime vetatur haeredibus ius benevisas sibi personas invitandi ad funus, sed tantum Presbyteris imponitur, ne ipsam conditionem accipiant.

Minusve suffragari videtur quod tali consuetudine Parochi ius laedatur quod praescribi non potest. Recolendum enim hic arbitror, quamplurimi aestimari solere ab H. S. O. peculiares locorum consuetudines, quae si rite introductae, praescriptae et probatae fuerint, vim legis obtinent iuxta *Reiffenst. lib.* 2 *Decret. tit.* 26 *n.* 140, *S. Congreg.* in *Romana* 24 *Martii* 1821 §.*Haec*. Idque etiam verificatur quamvis ius praescribenti resistat, dummodo tamen frequentiae actuum quadraginta annorum spatium cum titulo vel immemoriale tempus suffragetur ad *text. in cap.* 1. *de Praescript. in* 6, *De Luca De benef. disc.* 30. *n.* 11., *Reiff. loc. cit. n.* 121. 147 *et* 164; praecipue vero in funerum materia in qua maximi consuetudo solet haberi ex *Cap. Certificari De sepult. Rota decis.* 376 *n.* 1. *part.* 1 *recent.* et iuxta eam a S. C. quaestiones dirimi solent uti videre est in *Fabrianen. Quartae funeralis* 10 *Martii et* 7 *Aprilis* 1731, *et* 9 *Febr.* 1732, *Camerinen. Sepulturae* 18 *Dec.* 1819 *ad* 2 *Dub.* In casu autem nedum quadragenaria cum titulo et actuum frequentia in promptu est, dum originem repetit ex Episcopi confirmatione, qui est Parochus et Pastor totius Dioecesis, sed de praescriptione iugiter observata ac plusquam centenaria consuetudine firmata, quae secumfert meliorem de mundo titulum *quo mediante omnia praescribuntur: Rota in decis.* 962 *cor. Molines n.* 31. Imo tanta ipsi virtus inest ut praesumere faciat ipsum Apostolicum beneplacitum quamvis non probatum: *Bonfin. De iure Fideicommis. disp.* 114. *n.* 31., *Rota decis* 6. *n.* 21. *cor. Falconerio, et decis.* 624 *n.* 8, *cor. Olivatio.*

Ex quibus omnibus hucusque deductis optime inferi- videtur, quod Urbana Congregatio manutenenda esset in possessione notulam Sacerdotum efformandi pro cadaver rum associatione, Statutaque de anno 1777 confecta in suo pleno robore permanere. Eo vel magis quia ea pro se habent longaevam observantiam, quae praesumere facit, eadem a Sede Apostolica confirmata fuisse, ut per *Seraph. dec.* 507 *n.* 3 *et Buratt. decis.* 577 *n.* 4.

Post haec inutile disquirendum videretur circa admissionem Viceparochorum ad funera extra turnum. Statim ac enim Statuta de uno tantum Viceparocho loquuntur, hic, et non alii, admittendus esse videretur. Quin officiat actus Congregationis de anno 1843 saltem pro duobus Viceparochis admittendis extra turnum, respondet enim Congregatio quod « fu tale facoltà concessa per riguardi personali, « i quali ora cessati, la Congregazione nel restringere la « concessione di turno ad un solo Vicecurato non fa altro « che richiamare il Signor Oratore alle prime concessioni « come da Capitolato primitivo 8 Gennaro 1778, con cui « i Vescovi pro tempore vollero ordinare i diritti e i do- « veri del Parroco che della Congregazione ».

Neque demum id ex gratia concedendum esse videtur, quia ius tertii laederet, quod Pontifex tollere non intendit nec potest sine peccato, *Fagnan. in Cap. Consultationibus De Clericis aegrot. num.* 50. Quisquis enim alicui ius suum detrahit iniustitiam facit *cap.* 1. 22 *dist.* et *Gloss. ibi in vers. Iniustitiam* dicit nec Papam debere detrahere uni ut det alteri nisi subsit causa. Causa autem in themate exulare videtur, dum Viceparochi habent unde vivant, et Clerus in angustiis versatur. Unde refert Congregatio « che se i Signori Viceparochi hanno, come tali, « dei pesi speciali, fruiscono pure degli emolumenti rela- « tivi, e che se ora cresciuto il numero dei parrocchiani, « crebbero pure in proporzione gl'introiti dei proventi di « stola, il quale senza esagerare può dirsi duplicato, e che se « i tempi corrono calamitosi pei Viceparochi, non lo sono « meno per i membri della Congregazione, che anzi se finora « l'attuale governo rispettò tutti i beni parrocchiali (e fa « voti perchè ciò si avveri sempre) non può dirsi altrettanto del Clero inferiore, che privo tantosto dei be- « neficii semplici mena una vita assai più stentata che « non quei Preti che sono addetti alla Parrocchia ».

Hisce itaque summatim animadversis EE. VV. sequentia proponuntur dirimenda

DUBIA

I. *An ius sit Parocho Aquensi vocandi presbyteros iuxta numerum ab haeredibus praefixum ad associanda cadavera in casu.*

Et quatenus negative

II. *An unus, seu potius omnes Viceparochi semper praeferendi sint ceteris presbyteris in cadaverum associatione in casu.*

Et quatenus affirmative ad primam partem, negative ad secundam

III. *An Oratoris precibus annuendum sit in casu.*

Ad I. Negative.

Ad II. Negative ad primam partem affirmative ad secundam.

Ad III. Provisum in praecedenti.

Sess. 24 cap. 14 de Reform.

MONTIS ALBANI SIMONIAE. = Episcopus Montis-Albani die 21 Aprilis anni 1877 Sacrae Apostolicae Poenitentiariae, quae sequuntur, exponere curavit. « Iampridem a « S. Poenitentiaria declaratum est salaria quae tum in Bel« gio tum in Gallia Pastoribus et Canonicis a Gubernio sol« vuntur, induere Beneficiorum seu bonorum ecclesiastico« rum indolem adnexamque habere obligationem his bonis « inhaerentem, scilicet superfluum pauperibus vel in pias « causas erogandi et residendi sub poena non faciendi fru« ctus suos : unde merito concluditur ecclesiastica officia quae « tales pensiones adnexas habent *Beneficiis olim existenti« bus aequiparanda esse* quidquid sit de quaestione an vera « Beneficia dici possint. Nihilominus ea de re dubium « quoddam remanet oriens ex generali principio circa poe« nales leges quod nempe leges istae strictioris sint inter« pretationis. Itaque dubitatur :

« 1° Utrum ecclesiastica officia praefatas pensiones ad-
« nexas habentia scilicet Canonicatus, Parochiae sive ma-
« iores sive minores (curés de Canton ou succursales)
« Vicariae, Eleemosynariae (aumôneries d'hopitaux, de
« collèges, de prisons, de garnisons, de maisons religieuses)
« ita Beneficiis proprie dictis olim existentibus aequipa-
« randa sint, ut etiam poenales leges in Iure Canonico ha-
« bitae, Beneficia spectantes talibus officiis applicandae
« sint; ac proinde realem in eis simoniam committentes
« excommunicationem incurrant atque nullae sint talium
« officiorum collationes vel provisiones aut ad ea praesen-
« tationes?

« 2° Posito autem quod generatim affirmandum sit,
« utrum affirmativa haec solutio non solum Canonicatibus
« et maioribus Parochiis quae quidem pauciores sunt sit
« applicanda, sed etiam ad minores parochias multo nu-
« merosiores quarum titulares sunt, in praesenti rerum
« statu amovibiles?

« 3° An praeterea extendenda sit ad Vicarias, quas
« quidem titulares non habent nisi ad tempus; quous-
« que Parochiam obtineant sed quae ipsaemet sicut et Pa-
« rochiae sunt in perpetuum institutae?

« 4° An demum extendenda sit ad ista alia officia
« supra memorata quae eleemosynariae dicuntur quae pa-
« riter sunt in perpetuum vel saltem in indefinitum tempus
« instituta quamvis illorum titulares amoveri possint? »

Cum autem res ad S. H. O. per S. Poenitentiariam fuerit transmissa, praenunciatam quaestionem sub dubio in calce relato in hodierno EE. VV. conventu definiendam proposui nonnullis prius uti fieri solet in iure animadversis.

Et praeprimis videretur quod pensiones, seu salaria quae a gubernio ecclesiasticis viris solvuntur beneficiis ecclesiasticis comparanda non sunt ita ut simoniam in eis committentes ab excommunicationis labe immunes sint iudicandi. Canon enim rectae interpretationis secumfert ut poenales leges strictam interpretationem patiantur iuxta iuris principium firmatum in *cap. Odia De reg. iuris in* 6 et *Leg. Cum quidam ff. de lib. et posthum. – Odia sunt restringendi et favores ampliandi.* – Salaria autem de quibus in themate fit sermo, proprie dicta et veri nominis beneficia minime constituere videntur. Quandoquidem si ipsae pensiones ecclesiasticae nomine beneficii in odiosis non ve-

niunt, paritate rationis de hisce salariis idem videtur dicendum. Illud autem tradit *Riganti in reg.* 1. *Cancell.* §. 8. *n.* 122 – ibi – « in materia odiosa..... pensio « non venit nomine beneficii »; hocque obfirmat et tenet recitatus auctor in *reg.* 45 § 2. *n.* 126, *Fagnan.* in *cap. Ad Audientiam* 2. *de Rescript. n.* 98 *seq.*, *Gigas De Pension. quaest.* 52. *per tot.*, *Barbos. De offic. et pot. Episcopi alleg.* 62. *n.* 7.

Optimo subinde iure concludit Fagnanus *loc. cit. n.* 115 « pensionem transferens aut redimens pro pecunia sine « auctoritate Romani Pontificis quamvis committat simo- « niacam pravitatem; tamen non incidit in excommunica- « tionem latam in *Extravagant, secunda de Simonia* quia « ibi non excommunicantur nisi Simoniaci in ordine et be- « neficio secundum receptam sententiam de qua testatur « Navarr. *dict. cons.* 65 *n.* 1 *vers. secundo quod dici possit de* « *Simonia.* »

Quod si haec generice animadversa sint, specifice vero quoad officia manualia seu ad nutum amovibilia animadverti debet ipsa maxime in odiosis beneficii nomine venire non posse. Audiatur sane *Fagnan. loc. cit. n.* 118 – ibi – « beneficia manualia vere et proprie non sunt beneficia « ut tenent Staphil. *de litteris gratiae nona forma expecta-* « *tivar. n.* 29 Gambar. *de offic. leg. libr.* 4 *rubr.* 1 *n.* 1... « Duaren. in *tract. de benef. lib.* 2 *cap.* 4 ubi ait Prio- » ratus claustrales beneficiis non annumerari, quia perpe- « tui non sunt.... Navar. *cons.* 5 *de praeb.* et *cons.* 8 « *n.* 7 *de iurepatr.* dicens Capellaniam sic fundatam etiam « authoritate Episcopi non esse beneficium..... et *cons.* 27 « *de praeb.* ait Capellaniam desinere esse beneficium si « ex perpetua fiat ad nutum amovibilis ».

In perdita igitur hypothesi quod salaria a gubernio constituta pro ecclesiasticis officium inamovibile exercentibus ita beneficiis comparanda sunt, ut in eam simoniam committentes excommunicationem incurrant, de manualibus officiis idem minime esset affirmandum. Licet enim quodvis ecclesiasticum officium sit materia simoniae quoad peccatum non tamen quoad poenas iuris ut docet *Ugolin. de Simonia cap.* 48 §. 7.

Ad rem maxime faciunt quae habet Schmalzgrueber *t. V part. I tit.* 3 *num.* 265. « Nomine beneficii quoad hanc « (*excommunicationem*) et sequentes poenas intelliguntur

« beneficia proprie dicta sive saecularia sive regularia qua-
« lia sunt Regularium Praelaturae, quae non consistunt in
« nuda commissione ad nutum revocabili sed in munere
« ordinario ut sunt Generalatus, Abbatia . . . non vero
« pensiones, vicariae temporales, munus Inquisitoris, Legati,
« Delegati qui non sunt beneficia proprie dicta. Et hinc
« etsi simoniam committat qui emit aut vendit pensio-
« nem spiritualem aut vicariam temporalem, non tamen
« excommunicationem vel alias poenas mox referendas
« contrahit, ut notat *Covar. man. c.* 23 *num. III. Suar.*
« *c.* 57 *num.* 45, *Less. C.* 35 *num.* 137, *Palao p.* 25 *n.* 1
« *et alii.* »

Perpendendum sed contra venit quod subrogatum assumit naturam et qualitates ac omnia alia eius, in cuius locum subrogatur *L. Si eum* §. *Quid iniuriarum. ff. Si quis caution., L. Si donatae* §. *Si spons. de donat. inter vir. et uxor., Bart. in L.* 1 §. *Si haec actio ff. Si quis testam. lib. etc., Surd. cons.* 42 *n.* 11 *lib.* 1 ubi, quod procedit etiam in materia stricta et correctoria §. *Reliquum vers. Unde consequens auth. De haeredib. et falcid.. Gratian. discept. for. cap.* 557 *num.* 60. Dubitari autem non licet quod salaria, quae a gubernio solvuntur, subrogata fuerint et praebendis et beneficiis ceu liquet ex articulis concordati initi inter Sanctam Sedem et gubernium gallicum de anno 1801 et 1817. Colligendum ergo est quod haec salaria seu pensiones quae a gubernio solvuntur ita praebendis et beneficiis aequiparari debeant, ut in eis simoniam committentes in excommunicationem aliasque poenas contra Simoniacos latas incurrant.

Et quod reapse haec salaria tamquam verae praebendae atque ecclesiastica beneficia haberi debeant ex pluribus deductis rationum momentis docet *Bouix* in *tractatu De Capitulis par.* 1 *sectio* 3 *cap.* 3 §. 1. – ibi – « Dicendum est
« huiusmodi annuas Gubernii pensiones tamquam veras
« praebendas habendas esse; siquidem ex pacto Guber-
« nium inter et Sanctam Sedem statuta est illa pensio pro
« reditibus bonorum ecclesiasticorum; quae scilicet bona
« ea conditione alienata sunt, ut sufficienter provide-
« retur sustentando clero. Unde quemadmodum olim si
« vendita fuissent alicui praedia, quae praebendam con-
« stituebant ea conditione, ut emptor in perpetuum cer-
« tam pecuniae summam quotannis solveret, reditus ille

« annuus vere et proprie praebenda fuisset, ita nunc
« pensio Gubernii.

« Praeterea si quod dubium de hac re occurrere an-
« tea poterat, iam per Sanctae Sedis declarationem cer-
« ta omnino evasit. Factam autem fuisse huiusmodi de-
« clarationem testatur sequens responsum Sacrae Poeni-
« tentiariae diei 19 Ianuarii 1819 relative ad Belgium.
« Quaesitum fuerat. « *An salaria quae in Belgio solvun-*
« *tur Pastoribus et Canonicis induant naturam beneficiorum*
« *seu bonorum ecclesiasticorum, et annexam habeant obli-*
« *gationem inhaerentem his bonis, scilicet strictam et cano-*
« *nonicam obligationem expendendi superflua pauperibus seu*
« *piis causis, et residendi sub poena non faciendi fructus*
« *suos* – Sacra Poenitentiaria rescripsit iam alias a Sancta
« Sede responsum fuisse *Affirmative* ».

Iamvero semel admisso hoc principio supervacaneum esse videtur contrario argumento responsionem dare. Etsi enim verior sit sententia docens pensionem ecclesiasticam in odiosis non venire beneficii nomine, tamen haec obiectio nihil proficit in casu. Eatenus enim Doctores illi id docent, quatenus tenent pensionem ecclesiasticam esse ius temporale separatum et distinctum a beneficio, quod minime in themate contingit cum ipsae in beneficii locum suffectae fuerint. Unde fit quod Doctores ipsi una ferme echo concedunt pensionem esse proprie beneficium in eo tantum casu in quo pensio assignatur in titulum beneficii ceu monet *Fagnan. loc. cit. n.* 41.

Quamvis autem quae hucusque dicta sunt proprie pertingant Canonicatus, Parochias, Vicariasque perpetuas quae beneficio parochiali aequiparatae sunt ex *cap. Postulasti* 27 *de Rescrip., Ferraris Bibl. Eccles. verb. Vicarius Parochialis num.* 21 tamen idem consectarium tenendum videtur pro reliquis officiis etiam ad nutum amovibilibus. Hoc enim de officio Oeconomi, Vicedomini, Thesaurarii, Sacristae et similium tradit *Reiff.* in *Ius can. univ. lib.* 5 *tit.* 3 §. 2. *num.* 25 – ibi – « Talis item simonia *Iuris Ecclesiastici*
« est, quando venduntur officia Oeconomi, Vicedomini, The-
« saurarii, Sacristae, et alia similia officia ad rerum Ec-
« clesiae temporalium administrationem, defensionem, vel
« custodiam ordinata; licet enim haec officia sint quid
« mere temporale, consequenter in eorumdem venditio-
« ne detur solummodo temporale pro temporali, tamen

« quia Ecclesia id tamquam simoniacum prohibuit, *can.* « *Si quis Episcopus* 8 *caus.* 1 *q.* 1 *can. Salvator* 8 *cau.* 1 « *q.* 3 *can. consulere* 38 *h. t.* venditio huiusmodi labi et « poenis simoniae subiacet ».

Idem sentit *Pirhing*, qui *lib.* 5 *tit.* 3 *sect.* 4 §. 4 *num.* 120 *seq.* hanc quaestionem ponit; An officia temporalia Ecclesiae, cuiusmodi est officium Procuratoris seu Administratoris rerum temporalium Ecclesiae, Advocati aut Syndici, item Iudicis, quem potest Episcopus constituere in locis, ubi habet temporalem iurisdictionem etc. pro pecunia vendere sit simoniacum. Et respondet: « Non est simonia, « spectato iure naturali ac divino, ut ex communi docet « Suarez *cit. l.* 4 *de simon. c.* 29 *n.* 1 quia haec officia « non habent in se aliquid spirituale, nec ordinatum pro« xime ad actiones spirituales, sed tantum ad temporales, « ut sunt custodire et administrare res et bona Ecclesiae, « licet ordinentur etiam ad finem spiritualem, sed remote « solum ac extrinsece.... Veruntamen venditio horum offi« ciorum, tamquam simonia, est prohibita iure Canonico: « *c. Si quis* 8 *caus.* 1. *q.* 1; *c. Salvator.* 8 *caus.* 1. *q.* 3 *et* « *in C. Consulere* 38 *h. t.* quod est desumptum ex conci« lio Later. sub Innocentio III cap. 63 ubi generaliter « prohibetur, ne administratio rerum ecclesiasticarum per « pecuniam obtineatur, his verbis: = Quicumque Vice-Do« minatum, aut Vicariatum, vel aliam Ecclesiasticarum re« rum administrationem per pecuniam obtinere voluerint, « tam ementes quam vendentes cum Simone Mago per« celluntur, et ab Ecclesia, in cuius contumeliam dare et « accipere pecuniam voluerunt, iuste excluduntur. = Per « quem textum vendi prohibentur multa officia ecclesiasti« ca etiam temporalia, ut ait *Suar. l.* 4 *De Sim. c.* 29 « *num.* 3. Ratio est, quia licet haec officia ex se non « sint spiritualia, sunt tamen iis coniuncta, nam per illas « res sacrae valde propinque contrectantur, et ecclesiasti« ca bona administrantur, ac proinde si pretio vendan« tur, etiam iniuria redundat in ipsa spiritualia propter « viciniam, et sic simonia committitur iuris humani con« tra prohibitionem Ecclesiae *Suar. cit. c.* 29 *n.* 5 ».

Post haec inutiliter praesidium captari videretur ex Bulla *Apostolicae Sedis* a Pio IX fel. rec. edita, in qua, censuris latae sententiae limitatis, sub titulo *Excommunicationes latae sententiae Romano Pontifici reservatae* legitur

excommunicationi subiectos *Reos simoniae realis in beneficiis quibuscumque, eorumque complices;* subindeque cum neque vicariae temporales neque officia Administratorum sub beneficii nomine veniant in eis simoniam committentes minime excommunicatione ligantur. Ponderandum siquidem est, ut refert Episcopus, haec officia *beneficiis proprie dictis olim existentibus* adnexa fuisse, subindeque per subrogationem salariorum haud propriam et nativam mutasse naturam, ceu mox animadversum fuit. Eo vel magis et hoc specifice pro Vicariis amovibilibus procedit, quia ex dictae Bullae dispositione per verba illa *beneficiis quibuscumque* haud tantum comprehensa videntur beneficia inamovibilia et perpetua, sed etiam manualia, et ad nutum amovibilia.

Quibus omnibus igitur rite perpensis nedum apparet simoniam in themate committentes in excommunicationis poenam incurrere verum etiam et collationes et praesentationes simoniace peractas aperta nullitate laborare *Extrav.* 2. *De simon.*

Hisce utrinque breviter animadversis erit sapientiae EE. PP. sequens diluere

DUBIUM

An Simoniam committentes in beneficiis aut officiis tam inamovibilibus quam amovibilibus, quibus adnexum est stipendium a gallico gubernio debitum, in poenas a iure latas incurrant in casu.

Scribat Consultor Canonista.

Sess. 25 *cap.* 5 *de Reform.* MARIANNEN. ONERIS. MISSARUM. = Exposuit Sacrae Congregationi Vicarius Capitularis Dioecesis Mariannensis Seminarium Mariannense, vi cuiusdam donationis eidem factae de anno 1749 suscepisse onus perpetuum celebrandi tres Missas singulis hebdomadis itemque aliam quolibet anno in festo S. Bernardi. Huic oneri per annos septemdecim satisfactum fuisse a sua fundatione liquet ex libris rationariis eiusdem Seminarii; sed postea

per annos circiter centum Legati implementum fuit intermissum ita ut ultimus praesul ex tam longa interruptione ratus fuerit obligationem talem extinctam fuisse. Quocirca quaerit Orator utrum adhuc perduret onus Missarum, et quatenus affirmative rogat absolutionem pro praeteritis omissionibus, et reductionem dicti legati ad Missas octoginta annuatim a Seminario celebrandas. Acceptis hisce precibus sub die 15 Febr. 1877 rescriptum fuit *Eidem Ordinario qui transmissa particula donationis inspectisque actis sacrarum visitationum referat, an constet aut saltem argui possit causa vel titulus ob quem cessatum fuit ab implendo Missarum onere; quanti aestimentur bona donata. Et quot sint eorumdem reditus.*

Quibus obsequens mandatis Ordinarius sub die 15 Maii dicti anni sequentia retulit. «Nulla extat memoria factae visitationis Seminarii huius a suae diebus fundationis: « nihil etiam e libris rationariis eiusdem erui potest super « praefatae omissionis causa. Celebratarum Missarum usque « ad annum 1769, Divi autem Bernardi festi usque ad « 1792 tantummodo vestigia reperiuntur; nec ideo tamen « auderem asserere toto illo tempore, ab anno nempe « 1749 quo donata fuerunt bona, ad 1769 et 1792 onera « illa fuisse integre impleta.

« Quo ad vero donationis particulam bonorumque « valorem et reditus haec sunt, quae Eminentiae tuae re- « ferre valeam: Fundationis Missarum auctor primitus do- « navit villam cum septem domunculis, promisitque se « donaturum insuper servum summamque pecuniae qua- « tuor millia cruciatorum nummorum, seu 4,000 circiter ita- « licas libellas; quae promissa utrum re impleverit, rescire « nequii, quamvis ita fecisse facile credam.

« Villa autem illa cum septem domunculis donationis « tempore quater millia millium regalium nostrae monetae « seu 10,000 circiter italicas libellas, credebantur valere: « anno vero 1763 aestimabantur annuatim reddere centum « nonaginta duo millia regalium, seu 480 italicas vel gal- « licas libellas. Pro D. Bernardi festo donata fuerunt sex « millia cruciatorum nummorum, seu 6,000 italicae libellae.

« Quibus inspectis, cum olim fuisset pro unaquaque » Missa stipendium sexcenta regalia, apparet summa re- « dituum duplo pene superasse summam stipendiorum pro « tribus in singulas hebdomadas Missis celebrandis: at hodie,

« cum manualium Missarum stipendium elevatum fuerit
« ad duo millia regalium, toti reditus nequaquam suffi-
« cerent ad binas in hebdomada Missas celebrandas ».

His omnibus expletis causa proponi poterat. At cum ex consilio et sapientia Summi Pontificis Pii IX fel. rec. vacantes Ecclesiae proprio Pastore provisae fuerint, proindeque et vacans Mariannensis Sedes, operae pretium duxi hac super re novum audire Episcopum. Qui nulla interiecta mora exposita per Vicarium Capitularem confirmavit ipsius Vicarii precibus super absolutione et reductione, quatenus opus fuerit, suas adiungendo. Quapropter hodiernis in comitiis causam disceptandam duxi sub dubiorum formula in calce relata, nonnullis prius animadversis in iure.

Quamvis explorata sit donantis voluntas, ut dictae Missae in perpetuum celebrarentur, illi tamen derogatum fuisse videretur. Cum enim circa Missarum onera quid per integri saeculi lapsum acciderit in antiquitatis latebris delitescat, facile coniici potest eadem in posterum vel ab ipso donante ad certum tempus coarctata, vel interea temporis Apostolicae Sedis indulto abrogata fuisse. Facile sane credi non potest Mariannenses Antistites, quorum regimini subest Seminarium adeo suae salutis immemores fuisse ut praescripta Missarum onera impune praetermittere siverint. Hinc cum culpa et delictum praesumi non debeat ex *L. Factum* 197 *ff, de reg. iur.* et cum veritas alio modo investigari non possit praesumptioni standum esse videtur donec contrarium probatum non sit ad praescripta per *L. Nupturæ* 58 *ff. de iur. dot. L. Nummis ff. de Legat.*

Nihilo tamen secius serio etiam perpendendum venit an tanto temporis decursu Missarum onera fuerint praescriptione perempta. Certum siquidem est, et utrumque ius amico foedere praedicat, quamlibet actionem ad Ecclesiam vel piam causam pertinentem longissimi temporis praescriptione extingui *L. Ult. et Auth. Quas act. Cod. De Sacros. Eccles., Cap. Ad Aures* 8, *et cap. Illud* 8 *De Praescript.* Cum igitur ab hac generali regula lex non excipiat obligationem praescriptas celebrandi Missas, tenendum videretur privilegium praescriptionis in hoc etiam puncto locum habere. Quod reapse non parvae notae docent DD. hac praesertim ratione ducti, quia fundatio et beneficium admittunt praescriptionem ex *cap. Cum de Bene-*

ficio 5 *de Praeb. in* 6 *et ibid. Gloss. Pasqualig. De Sacrif. Missae quaest.* 1192 *et seq., Tambur. in Meth. celelebr. lib.* 3 *cap,* 7 §. 1 *Pellizear. tract.* 5 *cap.* 9 *num.* 92 qui ultra testatur viros doctos a se consultos eiusdem mentis esse. Quibus permulti alii accensendi sunt, quos recenset *Ferraris* in sua *Biblioth. can. Verb. Praescriptio art.* 1 §. 1 *num.* 6.

Imo non desunt in hoc negocio qui tam praescriptioni deferunt, ut extraordinariam, tricennalem nempe, praescriptionem ad hoc sufficere sustineant; quia fundator legati Missarum qui ex hac vita decessit accenseri absentibus debet, quorum immobilia sine iusto titulo possessa ex *L.* 8 *Cod. De praescript.* 30 *vel* 40 *annor.* triginta annorum effluxu praescribuntur, ita *Gobat in Expert. tract.* 3 *n.* 514 cum aliis inibi recitatis. Quae porro doctrina minime arridet Pasqualigo *loc. cit. quaest.* 1193 quia agendo de praescriptione contra Ecclesiam, ipsammet nonnisi 40 annorum decursu perfici posse contendit. Quidquid tamen sit, illud certum esse videtur iuxta memoratos Doctores quod tricennali, vel quadragenaria praescriptione Missarum onera deleri possunt. At in themate Mariannensis Seminarii favore, uti ex literis scatet Vicarii Capitularis, militare plusquam centenariam praescriptionem in comperto est. Remanet ergo dicendum quod Seminarium ab onere praescriptas Missas celebrandi destitutum manet, subindeque sive de absolutione sive de reductione inutile foret sermonem instituere.

In contraria sed vero hypothesi, haud spernendae viderentur ipsius Capitularis Vicarii et Episcopi preces oblatae ad obtinendam absolutionem pro praeteritis omissionibus et reductionem quoad futurum. Ex toto enim narrationis contextu apparet non dolo, sed bona fide Missarum onera inadimpleta fuisse. Iamvero bona concurrente fide in more esse S. Ordinis absolutionem a praeteritis omissionibus concedendi, millenae testantur resolutiones et praecipue in *Tudertina Reductionis et Absolutionis* 27 *Aprilis* 1805, *Bononien.* 24 *Maii* 1823, *Sorana Absolutionis et Interpretationis fundationis die* 27 *Iunii* 1857 *per Summaria Precum.* Reductionem autem ipsa aequitas suadet ob auctum Missarum stipendium: quod iustam indulgendae reductionis causam praebet iuxta constantem S. H. Congregationis disciplinam, de qua extant exempla in *Florentina*

Reductionis Onerum 2 *Augusti* 1823. *Imolen. Reductionis Missarum* 9 *Iunii* 1855 *per Summaria Precum* aliisque quamplurimis.

Ponderandum sed econtra est quod de oneris perpetuitate dubitari non potest, hocque per donationis contractum assumptum, quare satis non esse videretur praesumptio orta etiam ex centenaria ad onus illud delendum. Cum enim certo constet de onere perpetuo per donatarium accepto, priusquam ab eo se liberatum ipse censeat, claris argumentis extinctionem deberet ostendere, non simplici praesumptione ex centenaria exurgente etiam in linea praesumptiva Apostolici privilegii, uti videre est in *Romana Capellaniarum* 30 *Iulii* 1768 §. *Quaestio, Imolen. Legati Pii* 27 *Februarii* 1858 §. *An.* Et optimo quidem consilio, cum de facili onera praetermitti possent vel a Capellanis successive, vel ab universitate aut collegio, quod numquam moritur, et ita testatorum fraudarentur voluntates sub aegide centenariae.

Neque aliter dicendum de argumento ex praescriptione desumpto. Praescriptionem enim contra onera Missarum dari non posse sustinet *Felix Potestas tom.* 1 *part.* 2 *n.* 2335 quia ex iure res pupillaris, durante statu pupillari praescribi non potest *L. bonae fidei iunct. Gloss. verb. Pupil. ff. de acquir. rerum dominio.* Atqui defunctorum animae quoad eis debita suffragia sunt pupillae, quia sicuti pupilli ob defectum aetatis, ita ipsae ob defectum status agere non valent. Nulla ergo praescriptio contra demandata onera Missarum sustineri posse videretur.

Insuper praescriptio est a legibus introducta in poenam negligentium ius proprium *L. Ut perfectius* 2 *de Annali praescript. cap. Vigilanti* 5. *De Praescript.* Nulla autem negligentia aut patientia imputari potest defuncto, qui extra hominum commercium manens non potest petere quod sibi debetur. Unde adnotat perbelle *Pasqualig. loc. cit. quaest.* 1047 *num.* 7 « respectu ipsius non habet locum fundamen- « tum praescriptionis, nec haeres (et in themate nostro « donatarius) est in bona fide, quia non potest putare « quod defunctus non curet adimpleri legatum, quasi non « petat, peteret enim si posset. Accedit quod generaliter « praescriptio est inducta a legibus humanis pro quiete et tran- « quillitate reipublicae, et ideo non plus se extendit quam se

« extendunt leges humanae, hae autem non se extendunt « ad defunctos tamquam extra iurisdictionem humanam ».

At nedum ex dictis caderet praescriptionis fundamentum in patientia et negligentia consistens, verum etiam quia contrarium loquuntur defunctorum dispositiones quae semper ad legis instar obtestantur pro eorumdem adimplemento. Affabre *Pasqualig. loc.* nuper *cit. num.* 9. « Cum « defunctus non possit instare pro exequutione legati et « celebrationis Missarum, tamquam extra humanum com- « mercium, remanet in dispositione ultima voluntas « ipsius, quae sicut operatur post mortem, ita etiam in- « star legis impositae rebus suis continuo loquitur et in- « stat pro exequutione sui ipsius. Valet enim argumen- « tum a lege ad testatorem ut observat *Riminaldo consil.* « 540 *num.* 4 *vol.* 5, *Cravetta consil.* 291 *num.* 5 *lib.* 2, « *Cephal*.... Unde ex hoc quoque capite impeditur prae- « scriptio, et fit quod haeres sit in continuo statu pec- « cati mortalis quousque satisfaciat piae dispositioni te- « statoris ».

Haec autem sententia, quam alii tenent DD., uti probabilior esse videtur tamquam ab H. S. O. non semel recepta. Ac reapse in *Romana Oner. Miss.* 4 Maii 1715 cum ageretur de Missarum reductione ad rationem iuliorum trium pro qualibet Missa facta anno 1650 et 1653 a Cardinali Vicario, cuius conscientiae et arbitrio facultas remissa fuerat a S. C. et controversia hac super re exorta, quin de tanto temporis lapsu rationem haberet S. V. O. statuit esse celebrandas Missas in futurum ad manualem. Pariter in *Romana Legat.* 19 *Ian.* 1788 *ad* 1 *Dub.* onus hebdomadale a Laurentio Ciarpi relictum societati Sacrorum Vulnerum Christi in Ecclesia S. Philippi Nerii ad viam Iuliam erecta adimplendum esse decrevit, licet ex omissione 130 annorum beneficium cuiuscumque tituli pro exoneratione invocatum fuerit. Similiter, antiquioribus omissis, in *Imolen. Legati Pii* quae, proposita inter supplices libellos die 7 Iulii 1855 iussa fuit poni in folio, agebatur de Missarum perpetuo legato adimplendo ex reditibus fundi vulgo *Cenocchiare* iam ab anno 1694 ab Alexandro Monachi fundato. Praeter fundationem nihil de fundo et legati adimplemento compertum fuit usque ad annum 1790; quo quidem anno haeres fundatoris partem vendidit eiusdem fundi cum onere erogandi fructus in celebratione Missarum ; altera

autem pars anno 1793 divendita fuerat tamquam vacua et ab omni onere immunis, quam emptoris filii vendere cupierunt; atque exorto dubio num illa reapse ab onere immunis esset, S. C., haud excepta, quae proferebatur haeredum favore, praescriptione, eosdem obligatione devinctos esse censuit demandata onera adimplendi. Perquisita sane in 1° dubio: « *An constet de libertate fundi Cenocchiare nuncupàti ab onere Missarum* die 27 Februarii 1858 – respondit – *salvo Affirmative iure favore causae piae contra haeredes fundatoris pii legati pro indemnitate* »

Post haec ad petitam absolutionem et reductionem gradum faciens, neutra concedenda esse videtur. Non absolutio, quia non bona sed mala potius fide onera fuerunt omissa. Si enim attente facta ponderentur, videtur profecto quod Seminarii procuratores sensim sine sensu ab hoc onere semet expoliare pertentarunt. Reliquerunt primo onus hebdomadalium trium Missarum, et in posterum forte confisi ex Episcoporum segnitie aut impossibilitate Visitationis Seminarii peragendae idem quoad onus annuale servandum esse censuerunt. Cum ergo non bona sed mala fides in themate concurrere videatur, absolutio a praeteritis omissionibus esset deneganda. Minusque esset concedenda reductio. Ut enim primo intuitu apparet, obligatio isthaec ex assumpto contractu descendit, quo adstante Missarum reductionem concedendam non esse notant *Bened. XIV De Syn. Dioec. lib.* 13 *cap.* 25 *num.* 25, *Card. De Luca disc.* 33 *miscell. Eccl. num.* 5, *Pignatel. consult. can.* 69 *num.* 2 *tom.* 6. S. C. in *Faventina Oneris Missarum* 12 *Febr.* 1735, et in *Faventina reductionis Missarum* 18 *Novembris* 1747. Eo vel fortius in casu quia reditus haud impares esse videntur ad assumpta onera sustinenda post auctam Missarum eleemosynam, ceu innuit Vicarius ipse Capitularis edicens *quod si Seminarium ad integra legata adimplenda teneretur, vix sufficerent omnes reditus eorumdem legatorum.*

Quibus igitur hinc inde breviter animadversis dignentur EE. VV. ea qua pollent sapientia et prudentia quae sequuntur dirimere

DUBIA

I. *An constet de obligatione Seminarii adimplere faciendi Missarum onera in casu.*

Et quatenus affirmative

II. *An et quomodo absolutio et Missarum reductio indulgenda sit in casu.*

Ad I. Affirmative.

Ad II. Firmo remanente festo S. Bernardi affirmative iuxta petita facto verbo cum SSmo.

ANNECIEN. CANONIS. – A tempore, quod hominum memoriam excedit, introducta est consuetudo in Dioecesi Anneciensi exigendi quotannis a quolibet Parocho modicum canonem pro Sanctorum Oleorum materia comparanda remunerandisque ministris eadem distribuentibus. Canon iste in praesens 35 cent. summam non excedit pro qualibet Paroecia. Recenti tempore dubitatum est num legitime isthaec levis taxa exigi valeat, eapropter Antistes ipse ad omne dubium hac super re avertendum supplici oblato S. V. O. libello diei 19 Novembris 1878 humillime declarari expostulabat: « se possa o no continuare questa tassa di « 35 centesimi per Parrocchia. In caso negativo se ne as- « terrà per l'avvenire, implorando in pari tempo una con- « donazione per il passato ». *Sess. 24 cap. 3 de Reform.*

Affirmativa sententia in themate sequenda videretur si parumper spectes absque simoniae labe exigi aliquid posse ratione materiae, aut laboris. Unde sicuti vasa consecrata ad divina ministeria impune vendi possunt, ceu omnes tenent DD., ita paritate rationis aliquid pro sacrorum oleorum comparanda materia exigi posse videretur, cum ipsa sint in hominum commercio atque pretio aestimabilia. Dato autem et parumper minime concesso quod canon hic ab Episcopo sive ante sive post consecrationem exigi non valeret, tamen ipsius impositio sustinenda videretur propter parvam quantitatem materiae quae exigitur, quae etiam excusaret in casu Simoniae iuris divini *Pirhing. lib. 5 tit. 3 de Simonia.*

Omnis autem aufertur angustia si attendas consuetudinem immemorabilem quae Episcopi favore militat. Quan-

doquidem animadvertendum est venditionem oleorum sacrorum etiam secundum suam speciem physicam iure canonum tantum prohibitam fuisse ceu testatur Scavini in ***Theol. Moral. tract. De Simonia num.*** 182 ubi quaestioni ***Quot modis committitur Simonia iuris humani*** respondet ***Vendendo oleum benedictum vel sacrum chrisma etiam secundum suam speciem physicam***. Atqui quaevis Ecclesiastica lex immemorabili destrui valet, cum ipsa praesumptionem iuris et de iure pariat melioris cuiuscumque de mundo tituli ipso non excepto Apostolico privilegio ita, ut contra praesumptum hunc titulum non admittatur in contrarium probatio, *Menoch. lib.* 3 *praesumpt.* 131 *num.* 50, *Piton. De controv. Patron. alleg.* 59 *num.* 47. Et in specie de Simonia iuris ecclesiastici id docet *Frances De Eccl. Cath. cap.* 16 *num.* 97 *seq.* – ibi – « quae enim non inducunt Simo-
« niam de iure naturali vel divino, sed de iure positivo
« Ecclesiastico absque dubio contraria consuetudine pos-
« sunt abrogari... »

Eo vel magis quia isthaec consuetudo haud irrationabilis dici debet, cum aliquid vigore consuetudinis posse exigi pro chrismate vel Oleo Sancto in consecrationibus etiam Episcoporum ipse doceat D. *Thomas* 2, 2 *q.* 100 §. 2 – ibi – « apud quosdam est consuetudo quod
« in consecrationibus Episcoporum . . . . pro Chris-
« mate vel Oleo Sancto aliquid detur . . . et ideo
« si aliqua consuetudine exigantur quasi pretium rei spi-
« ritualis, est manifeste simonia, si vero exigantur quasi
« quaedam stipendia per consuetudinem approbata, non est
« simonia: (et superius) accipere aliqua ad sustentationem
« eorum qui sacramenta ministrant non est simonia ».
Unde iuxta S. Doctorem ex consuetudine potest aliquid accipi pro Oleo Sancto dummodo non detur tamquam pretium rei spiritualis annexae: Nil mirum subinde si hanc consuetudinem non modo in Anneciensi Dioecesi sed et in aliis vigere testatur *Scavini loc. cit.* quin audeat eamdem reprobare, ita enim habet: *Usus tamen in aliquibus Ecclesiis Cathedralibus invaluit ut aliquid ab Ecclesiis particularibus accipiatur pro compensandis sumptibus factis in materia comparanda.*

Contra sed vero perpendendum est quod aliquid exigi pro sacris oleis reprobatur iure canonum. Ita in Con-

cilio Barcinonensi sub Recaredo *can.* 2 statutum invenitur – ibi – *Ut cum chrisma presbyteris Dioecesanis pro neophitis confirmandis datur, nihil pro liquoris pretio accipiatur.* In Cabilonensi *can.* 16 habetur. « Quidam fra« tres dixerunt, consuetudinis antiquae esse in eorum Eccle« siis, ut pro balsamo emendo ad chrisma faciendum, sive « pro luminaribus Ecclesiae concinnandis, binos, vel qua« ternos denarios presbyteri darent. Unde omnes statui« mus, sicut pro dedicandis basilicis, et dandis ordinibus « nihil accipiendum est, ita etiam pro balsamo, sive lu« minaribus emendis nihil presbyteri chrisma accepturi « dent. » In Oxoniensi *can.* 21 PP. iudicarunt absurdum esse quod *pro chrismate, vel oleo aliquid exigatur cum toties hoc prohibitum esse reperiatur.* Eodem ferme modo concinunt *Concil. Barcinon. can.* 2, *Meldense can.* 45, *Aquisgranen.* 2 *part.* 1 *cap.* 5, *Emeritense can.* 9.

Hisce sapientissimis dispositionibus iugiter adhaeserunt Romani Pontifices, qui praesertim ad evellendas consuetudines et tergiversationes quascumque hac super re exortas insudarunt mandantes ne pro chrismate ab Ecclesiis pecunia exigatur etiam si hoc habeat consuetudo. Audiatur Innocentius in cap. *Ea quae* 16 *De Simonia* – ibi – « Ea « quae de avaritiae et cupiditatis radice proveniunt, et « in speciem Simoniacae pravitatis erumpunt, sunt pe« nitus extirpanda... Audivimus quod nummos pro chri» smate extorquetis, quos nunc cathedraticum, aliquando « paschalem praestationem, interdum Episcopalem consue« dinem appellatis. Quia vero hoc simoniacum esse co« gnoscitur, mandamus, quatenus praetextu alicuius con« suetudinis, vel praelationis praescriptos denarios nulla« tenus exigatis, pro certo scituri, quod si hoc praesump« seritis, periculum ordinis et dignitatis poteritis non im« merito formidare ».

Exinde fit quod Gonzalez in Commentario ad dictum caput consuetudinem aliquid exigendi *pro expensis factis in oleo et balsamo* corruptelam appellat, et resolvit contra Gibalinum simoniam proprie *in praesenti dari.* Similiter *Pirhing. lib.* 5 *tit.* 3 *sect.* 2 §. 4 *num.* 36 in dictum caput adnotat non tantum prohiberi pecuiam exigi pro Chrismate *sed etiam pro ipso liquore Chrismatis, sive balsamo et oleo consecrato . . . ut clarius habetur in can. Pla-*

cuit 102 *caus.* 1 *q.* 1 . . . *non obstante contraria consuetudine, quae non valet in iis quae suapte natura mala sunt et prohibita, non excusat malum sed magis accusat: glos. hic verb. consuetudinis.* Concinit Barbosa *De offic. et pot. Episc. alleg.* 31. *n.* 21 – ibi –« Nihil pro chrismate exigi valet ratio-
« ne olei *Cap. Ea quae de Simonia*..... quare eorum, qui
« praepositi sunt ad distributionem, consuetudo tollenda
« est, qui nolunt ea dare nisi ova aut aliquid aliud ipsis
« tribuatur ».

Nec secus a Congregatione particulari iudicatum narrat Bened. XIV *De synod. Dioec. l.* 5 *c.* 7 *n.* 10 ubi loquens de Anthiocheno Patriarca Maronitarum qui cum S. Olea distribueret, aliquam exigi consueverat pecuniae oblationem qua uteretur ad sui alimoniam et ad onera sustinenda, quae Patriarchali incumbebant officio, ait: « Quamquam autem con-
« stitisset pecuniam neque dari neque recipi animo nun-
« dinandi S. Olea, attamen ad omnem propellendam si-
« moniae suspicionem praedicta consuetudo fuit improba-
« ta a Congregatione particulari cui demandata est cogni-
« tio rerum ad Maronitas pertinentium, eiusque sententia
« fuit a nobis confirmata ».

Non obstat exemplum a calicis consecrati venditione deductum. Nam in vasis consecratis non est admixta consecratio ipsi argento seu auro, sed tantum formae vasorum, et inde est quod sublata forma evanescit consecratio *Sylvester in summa verb. Calix;* quo circa sicut argentum et aurum est separabile a consecratione ita eius venditio nullam inducit simoniam. Aliter at vero res sese habet in casu nostro quia oleum semel ac consecratum est ita consecratio rei consecratae inhaeret ut auferri non possit neque per Pontificem, uti notavit Caietanus in 22 *quaest.* 88 *art.* 11 et sequitur Navarrus in tractat. *de Spoliis* §. 18. *n.* 7. Ad rem Suarez *lib.* 4 *de Simon. cap.* 14 *t.* 1 *de Religione.* « Aliae vero sunt materiae quae sine respectu ad ar-
« tificialem formam quasi in sua substantia consecrantur
« et de his aiunt neque vendi posse ratione materiae....
« et haec sententia videtur indicari a *Glos. in dic. can.*
« 102 *in cap. Ea quae* et *cap. Non satis De simonia.* »

Minusque relevat quod canon exiguae sit quantitatis, ita ut propter eam neque simonia iuris divini incurratur. Parvitas siquidem materiae dari nequit contra natu-

ram simoniae cuius malitia sita est in contemptu rei spiritualis formaliter sumptae et non materialiter, adeoque eius malitia utpote indivisibilis tota semper relucet tam in magno quam in parvo *Giraldi in part.* 1 *lib.* 5 *Decret. tit.* 3 *sect.* 760.

Tandem inutile foret recurrere ad tempus solutionis, cum non appareat quo tempore canon iste solvatur. Siquidem variatio temporis in solvendo non excusat contractum alias illicitum ceu ponderat *Pirhing. loc. cit. n.* 37 ubi refert dispositionem Innocentii in cap. 36 De Simonia. Audiatur sane « Similiter simoniam esse pro Chrismate pecuniam « exigere, vel accipere, statutum etiam habetur in c. *in tantum* « 36 *h. t.* nam quidam Suffraganei, Cantuariensis Archiepi- « scopi, consueverunt certam quantitatem pecuniae pro « Chrismate recipere, non metuentes (in codicibus Vati- « canis, et quibusdam aliis omittitur *dictio non,* ut no- « tat *gl. marg. hic.*) poenam canonicam (quae est deposi- « tionis, *c. ult. caus.* 1 *q.* 3) et correctionem eludere cu- « pientes, anticipabant tempus solutionis, praecipientes in « media quadragesima, quod recipere consueverant in Pa- « schate, et Nomen denariorum variabant; nam denarios « quos prius Chrismales, postea Paschales vocabant, con- « suetudinem mediae quadragesimae nuncupantes. Perve- « nit hoc ad notitiam Papae Innocentii III qui respondit, « cum gratia sit gratis conferenda, et qui prius recepit « pretium quam conferat rem pretiosam (emptor enim « prius tenetur offerre pretium, quam venditor ei rem « tradat *l. Iulianus* 13 §. *Offerri ff. de act. empt. gl. hic V* « *qui prius:* etsi pretium praecedat traditionem magis « declaratur venditio, cum traditio rei fieri soleat ex va- « riis contractibus, non item traditio, seu solutio pretii. « *Abb. hic num.* 2 *not.* 3). Idcirco mandat Papa Ar- « chiepiscopo ut huiusmodi excessus corrigat, et Suffra- « ganeos suos eorumque Officiales a tam illicita exactione « compescat, ne aliorum culpa ipsi ob suam negligentiam, « imputetur ad poenam: quia, ut addit *gl. hic v. Alio-* « *rum,* subditorum delicta imputantur Praelatis. Hinc col- « ligitur, quod variatio temporis in solvendo, vel mutatio « Nominis non excusat contractum alias illicitum.... ».

Quatenus vero in negativam abeant EE. VV. sententiam hac super quaestione videant an concurrente in the-

mate bona fide saltem ad cautelam petita absolutio sit concedenda ; dum pro meo munere diluenda propono.

DUBIA

I. *An consuetudo exigendi annuum canonem sustineatur in casu.*

Et quatenus negative

II. *An absolutio concedenda sit in casu.*

Ad I. Consuetudinem tolerari posse.
Ad II. Provisum.

Sess. 21 *cap.* 4 *Sess.* 24 *cap.* 13 *de Reform.*

NETEN. DISMEMBRATIONIS ET IURIS SACRAS PERAGENDI FUNCTIONES. = Causa haec proposita fuit in Congregatione habita die 26 praeterlapsi Aprilis sub Dubiis I. *An sit locus dismembrationi Paroeciae in casu* II. *An constet de iure peragendi sacras functiones in Ecclesia S. Ioannis Baptistae in casu*: – quibus EE. VV. respondere censuerunt: – *Ad* I. *Affirmative* –. *Ad* II. *Sacras functiones a Capitulo peragendas non esse* –.

Hoc decretum aegre tulerunt Capituli Procuratores, qui in memorata discussione orationes super causae merito minime deducere existimarunt, hinc novae auditionis beneficium protinus expostularunt obtinueruntque de more. Hodie itaque de partium consensu quaestio reproponitur.

Defensor Administratorum Ecclesiae S. Ioannis una cum Patrocinatore Confraternitatis S. Mariae Dolorosae alteram protulit distribuendam Allegationem, in qua iam acta iterum agit, ideoque eius summam exponere inutile prorsus ac supervacaneum esset. Iterum enim aiunt memorati Oratores dismembrationem peragendam esse ob locorum distantiam difficultatemque accedendi ad Parochialem Ecclesiam S. Georgii: hocque confirmant, relatione topographica a quatuor tecnicis subscripta, qui iter ad paroecialem nuncupant – *difficoltosissimo* –; 2. ob multitudinem parochianorum, quae se ad 40000 extendit, prouti evincunt etiam ex

documento Consilii Communalis, in quo habetur quod Motuca « *rappresenta una popolazione di 40000 abitanti* »: 3 ob insufficientiam et perniciem Capellanorum, addentes quod alter de mense Augusti iam praeterlapsi in ius vocatus fuit coram Iudice laico, quia respuit defunctum puerum e domo levare et contumelias intulit in defuncti patrem, qui hac de re questus fuerat. Neque Parochum tanto malo remedium afferre posse subdunt, quia, ceu Capellani obtestantur, numquam a die captae possessionis S. Evangelium ipse populo explanavit et bis aut ter tantum ab anno 1873 sacramenta ministravit. 4. Ob rixas, iurgia et antipathiam inter fideles utriusque Ecclesiae; quod noviter adstruere curant relato testimonio Praepositi Parochi Netensis, qui octo per annos Vicarius extitit Capitularis, necnon Vicarii Generalis Episcopi La Vecchia et dein actualis Praesulis. 5. Demum ex redituum Ecclesiae pinguedine, qua fit, ut nullum praeiudicium matricis Ecclesiae Parocho afferatur.

Gradum facientes ad alteram quaestionem animadvertunt ex resolutione S. V. O. novum ius constitutum fuisse, independenter a proposito Dubio, per emanationem solemnis Decreti –*sacras functiones a Capitulo peragendas non esse*–; quod Decretum ob publicum bonum latum relaxandum non esse urgent ob nonnullorum petulantiam. Coeterum, prout in prima propositione, recolunt Capitulum ius non habere sacras peragendi functiones, attentis iure communi, Literis Apostolicis Urbani VIII, sententiis Episcoporum et observantia.

Ex parte Capituli S. Georgii, cuius causam communem sibi fecit Confraternitas sub titulo S. Antonii Patavini erecta in Ecclesia S. Antonii, quae in suffraganeae S. Ioannis ambitu sita est, binae mihi oblatae sunt Allegationes, in quarum altera de dismembratione, altera seorsim de iure sacras peragendi functiones in Ecclesia S. Ioannis agitur, una cum novis documentis pluribus, quae pro quaestionum opportunitate duobus in Summariis impressa sunt.

In Allegatione, qua dismembratio reiicienda sumitur, facti species ex integro repetita est, ut de S. Georgii Ecclesiae antiquitate constaret deque eius Matricialibus iuribus super omnes alias eiusdem Civitatis Ecclesias, de primis ad eam deprimendam conatibus per aemulam S. Petri Ecclesiam, de actuali reciproco statu duarum Col-

legiatarum Civitatis principalium, nec non de coniuncta opera, quam etiam nunc in eam adhibent S. Petri Capitulum et S. Ioannis Administratores.

Itaque Defensores narrant gravissimas anno 1636 exarsisse coram S. R. Congregatione de matricitate quaestiones, quas ipsa in *una Syracusana diei* 14 *Maii* dicti anni absolvit decernens « Ecclesiam S. Georgii esse Collegiatam in« signem, eique uti tali deberi praecedentiam et praee« minentiam super omnes alias Collegiatas eiusdem Ci« vitatis » et inter plura privilegia ab eadem Sac. Rituum Congregatione singillatim favore Capituli S. Georgii enumerata, illud continetur accedendi etiam ad Ecclesiam S. Petri pro functionibus peragendis. Decretum quoque est, quod, deficiente prima Dignitate, posset functiones peragere secunda, et ea absente tertia ordine successivo, et quod « fideles in die Paschatis recipientes San« ctissimum Eucharistiae Sacramentum in Ecclesia Matrice « S. Georgii satisfaciant obligationi de recipienda Commu« nione in Ecclesia Parochiali » et e contra » quod Archipresbyter S. Petri nullo modo valeret ministrare Sacramenta suis parochianis extra propriam Paroeciam –. Et quoniam S. Congregationis Decretis non acquieverat S. Petri Capitulum, haec S. Rituum Congregationis Decreta ab Innocentio XI confirmata sunt Litteris Apostolicis – *Alias emanarunt* – datis die 4 Iunii 1689. Narrant quoque ob ingravescentem Capituli S. Petri arrogantiam et populi seductiones motusque, quibus Capitulum illud utebatur, anno 1757 Civilem Auctoritatem sub die 6 Septembris decretum edidisse, quo utraque Collegiata Matricis titulo decorata est et ambitus proprii cuique Ecclesiae assignati sunt cum tribus suffraganeis pro unaquaque Matrice, quae iam existebant, et erant pro S. Georgio Ecclesiae S. Ioannis, S. Margaritae et S. Mariae de Catena; pro S. Petro Ecclesiae SS. Salvatoris, S. Mariae Succursus et S. Pauli, cumque iure peragendi in unaquaque filiali Ecclesia functiones, ut perfectae aequalitati unius et alterius Ecclesiae consultum esset.

Huic Decreto, licet suorum iurium iacturam pateretur, vi acquiescere debuit S. Georgii Capitulum, sed frustra; nam anno 1786 S. Ioannis Procuratores, ut S. Petri Capitularibus morem gererent, iura Canonicorum S. Georgii clam et aperte fuerunt inficiati, sed contra eos prodiit sen-

tentia Magnae Aulae Syracusanae et anno 1788 Regium Decretum, quo praecedentis Decreti anni 1757 leges omnino confirmatae sunt.

Anno 1824 S. Ioannis Procuratores proprio marte stalla in Ecclesia erexerunt, ad similitudinem Collegiatae, et acrius in id intenderunt, ut solemnioribus diebus Capitulum S. Georgii a functionibus peragendis removeretur. Verum eos redarguisse constat Episcopum Amorelli, et decretis dierum 21 Martii 1876, 26 et 30 Martii 1827 S. Georgii Capitulum in possessione iuris peragendi functiones servasse, et S. Ioannis procuratoribus indixisse, ut, si quid haberent quod valide S. Georgii Capitulo opponerent, actoris partes gerentes iudicio agerent.

Ad praesens iudicium tandem Oratores devenientes exponunt illi causam dedisse Decretum a S. Rituum Congregatione editum die 28 Aprilis 1874, quando S. Georgius Patronus Principalis Motucae cum festo de praecepto colendus dictus est. Etenim S. Petri Capitulum per hoc Decretum constitutam sui favore aequalitatem turbatam putans, bina aggressione aemulum Capitulum S. Georgii deprimere voluit: et formalem litem movendo pro S. Cataldi praetenso patronatu coram S. R. Congregatione, et inita cum S. Ioannis Procuratoribus societate, ut ius Capitulo S. Georgii functiones in filiali Ecclesia peragendi praepedirent per dismembrationis petitionem. Itaque primum anno 1875 dismembratio petita fuit, quam tamen S. haec Congregatio super informatione Episcopi Benedicti Lavecchia, nunc Syracusani Archiepiscopi, denegavit per Rescriptum latum die 24 Maii eiusdem anni *non expedire*.

Verum asserunt novi Episcopi adventum faciem rerum mutasse eumque totis viribus egisse, ut Capitulum S. Georgii omnia amitteret, et cuncta, quae volebant S. Petri Capitulum et S. Ioannis Administratores, obtinerent.

Ita duplicem controversiam de dismembratione et de iure sacras peragendi functiones propositam coram Vobis fuisse. Cuius decisio Capitulo S. Georgii, dilationem postulanti, adversa fuit omnino.

Haec in narratione: in disceptatione autem dismembrationis Defensores huius necessitatem oppugnant, Oratione in tria capita divisa, in quorum *primo* documenta ex adverso allata aggrediuntur; *secundo* dismembrationis causas enumerant, quae perniciosam dismembrationem evincunt.

Itaque primo in capite arguentes ex iuris axiomate,

quod litis consortes testimonium sibi ipsis facientes attendendi non sunt, singula ex adverso allata pro dismembratione argumenta a litis consortibus ad rem composita fuisse demonstrant, ideoque tamquam non sint habenda esse.

In secundo capite 1° nec de difficultate accessus, nec de distantia sermonem fieri posse contendunt: 2° per dismembrationem aequilibrium quod Episcopus quaerit et hodie existit, funditus turbari: 3° vel quisquilias Cleri non esse Capellanos Sacramentales, vel Administratores S. Ioannis de quisquiliis esse: 4° Capellanos omnes ad utriusque sexus confessiones excipiendas habiles esse, imo eorum aliquos fore concionatores eximios: 5° ius peragendi functiones non esse pro Canonicis vanam voluptatem, sed verum ius: 6° Factis ostendi in Ecclesia S. Ioannis nunquam a Capitulo, semper ab Administratoribus iurgia acta fuisse: 7° Divisionem paroeciarum actu impossibilem, et ad effectum quem sibi pollicetur Episcopus imparem omnino fore: 8° Congruam pro novo parocho non existere: 9° Periculum in mora in praeterita causae propositione ex adverso allatum, vanum fantasma fuisse: 10° Fideles omnes dismembrationi obsistere, immo et plures de Confraternitate Virginis Dolorosae, quae contra in causam intervenit: 11° Templa haereticorum Motucae non existere, nec concubinatus omnino praepediri posse.

Tertio in capite dismembrationis damnum et perniciem ostendunt ex materiali et morali damno Capituli, quod ad nihilum redigeretur: ex novis seditionibus ac tumultibus, qui certissime Motucae locum haberent. Non divisione, sed unitate malis occurrendum esse aiunt. Concludunt aut praevalere debere, quod semper et quandocumque dismembrationes sint indulgendae, aut si unquam dismembrationis reiiciendae casus occurrit, hunc certe ex his esse.

Haec summa est propositionum, quae demonstrandae susceptae sunt contra dismembrationem. Quomodo in satis longa Oratione eas enucleaverint Defensores, quoniam haec sero nimis mihi exhibita fuit et ad accuratam synopsim parandam tempus defuit, videant EE. VV.

Idem dicendum de separata Defensione circa ius functionandi Capituli, cuius pariter triplex est caput. In primo et secundo capite asserunt Defensores competere Capitulo ius functionandi tum ex *art.* 6 Decretis S. C. Rituum *diei* 24 *Septembris* 1636, tum ex immemorabili ob-

servantia. In quo immemorabilis observantia, cuius initium non agnoscitur, non contradicit reiiudicatae ortae inter partes ex ipso Rescripto S. Congregationis Rituum anni 1636, quae certam habet originem, nam rite quoque cum aliis titulis certis observantia immemorabilis in iudicio cumulatur, quum hi sint posteriores ipsi immemorabili illamque confirment, vel etiam, anterioribus illis existentibus, deducens immemorabilem, iis exclusive et taxative non adhaereat *Piton. disc. ecclesiast. disc.* 23 §. 26 et *de controv. patron. allegat.* 58 *num.* 28.

Quoad *art.* 6. Decreti S. C., aperte decernes Capitulum functiones agere posse cum Praeposito in Ecclesiis Motucae, de quo in primo Defensionis Capite, licet editum in quaestione matricitatis cum alia Ecclesia Parochiali itemque Collegiata S. Petri, rite tamen percellit etiam Ecclesiam S. Ioannis, quia cum in ea lite ageretur quaenam Ecclesia prior Motucae condita esset, cui propterea deberentur praeeminentiae matricitatis et definitum sit eam existere Ecclesiam S. Georgii, traditis praeeminentiis, oppido definitio universas alias Ecclesias Civitatis compraehendit. Una namque Ecclesia eodem tempore esse nequit prior et non prior, matrix et non matrix Civitatis.

Sed Defensores in secundo capite magis quoque observantiae innituntur duorum et ultra saeculorum, imo immemorabili, cum Canonici S. Georgii functiones agere consueverint in omnibus suis Ecclesiis filialibus ante ipsum Rescriptum S. Congregatione Rituum, uti ab eo palam eruitur. Idem prorsus ius peraeque semper exercuit in aliis Ecclesiis filialibus et Coadiutricibus, sicuti Ecclesia pariter S. Petri observat in omnibus suis filialibus et Coadiutricibus.

Haec observantia super iure functionandi pacifica extitit per fere duo saecula, solumque Presbyteri S. Ioannis illam exturbarunt post annum 1820, quando, erectis in propria Ecclesia choralibus scamnis sub duplici corona, in primo et celsiori Canonicorum loco quando functiones agerent, assidere volebant admixti cum Canonicis. Sed Capitulum in ipsis turbativis semper possessionem retinuit, ope plurium decretorum Episcopalium illud confoventium, usque ad diem 30 Decembris 1875, quando ab actuali Episcopo impeditum est. Itaque ipsa observantia, posterior anno 1820, maioris ponderis est atque efficaciae, quam

prima, utpote decretis Auctoritatis Ecclesiasticae et perenni possessione firmata, ceu docuit S. Rota in *Decis. Reatina Iurisdictionis 31 Ianuarii 1806 §. 7 coram Tassoni.*

Defensores perinde Capituli hac tutissima defensione tandem acquiescunt. Observantia enim immemorabilis, sicuti centenaria, melior titulus de mundo dicitur, quia omnes alios validissimos titulos praesumit, expers est vitiorum usucapionis, caret exceptione actus facultativi et omnibus obiici potest etiam proprio iure venientibus.

Nonnullas tandem Defensores Episcopi rationes persequuntur in denegatis initio Canonicis insigniis extra propriam Ecclesiam, adducentes etiam turbas ortas in Ecclesia S. Ioannis die 27 Decembris 1875, quando postrema vice functionarant, opportune excitari ab ipsis Presbyteris illius Ecclesiae, ut Auctoritati vim facerent et a possessione Canonicos dimoverent.

Has etiam aliasque rationes, late expositas cum pluribus documentis Emi et Rmi Patres plenius legere dignabuntur in hac altera Defensione: mei muneris interea est iterum enodanda proponere

DUBIA

I. *An sit standum vel recedendum a decisis in primo Dubio in casu.*

II. *An sit standum vel recedendum a decisis in secundo Dubio in casu.*

Ad I. In decisis et amplius firma obligatione Episcopi constituendi securam congruam Parocho, impositoque eidem Parocho onere praesentandi Ecclesiae S. Georgii in festo Titularis ac Patroni principalis Mothucae cereum trium librarum in signum matricitatis.

Ad II. In decisis et amplius.

MAZARIEN. CONTRIBUTIONIS ONERUM. = Roganti mihi in Comitiis diei 14 Decembris 1878: I. *An et quomodo sit locus contributioni onerum Missarum, nec non pensionis uncearum* 50 *et emolumenti Procuratoris ad exigendum in casu.* II. *An et quomodo reddendae sint rationes pro summis inexigibilibus, ita ut sit locus solutioni in casu.* III. *An sit locus contributioni, seu potius restitutioni favore Canonicorum praebendatorum* del 10 *nec non* del 4 per cento *in casu;* EE. PP. sequens dederunt consultissimum responsum: « *Ad* I. *Quoad onera Missarum et pensionem negative, quo vero ad emolumentum Procuratoris affirmative. Ad* II. *Provisum per cessionem diei* 10 *Aprilis* 1877. *Ad* III. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, salvo tamen favore Archidiaconi iure ad tramites decreti* Cum nuperrimis *coram quo et quatenus de iure* ». *Sess.* 24 *cap.* 12 *de Reform.*

Obtento infra iuris terminos novae audientiae beneficio a Procuratore Archidiaconi, causa iterum proposita fuit die 26 Iulii currentis anni 1879 sub dubiorum formula: I. *An sit standum vel recedendum a decisis in primo dubio in casu.* II. *An sit standum vel recedendum a decisis in secundo dubio in casu.* III. *An sit standum vel recedendum a decisis in tertio dubio in casu;* et S. V. O. ad instantiam Archidiaconi Ingianni, qui, praeter deducta in folio tunc distributo, dilationem repropositionis causae petebat ad ulteriora iura sua deducenda, respondere dignatus est: *Dilata ad primam post aquas.*

Interea supplex libellus ex parte Procuratoris Capituli Mazariensis ad me pervenit, qui petebat, *che venga ampliata la discussione del secondo dubbio sulle somme inesigibili, riformandosi se faccia anche d'uopo,* idque ad controversias omnes dirimendas in posterum de facili orituras. Hunc libellum die 26 Augusti 1879 de more remisi Episcopo pro informatione et voto auditis interesse habentibus, at nullum super eo responsum ad praesentem usque diem datum fuit.

Quare urgente EE. VV. praecepto de causae repropositione, eamdem hoc in statu reproponendam duxi tantum monens quod partes collitigantes ad praesentem usque

diem nihil novi deducere curarunt. Resumptis itaque praeteritis foliis, rogantur EE. VV. sequentia enodare

DUBIA

I. *An sit standum vel recedendum a decisis in primo dubio in casu.*

II. *An sit standum vel recedendum a decisis in secundo dubio in casu.*

III. *An sit standum vel recedendum a decisis in ter ti dubio in casu.*

Dilata.

INDEX

CONCLUSIONUM

QUAE ADNOTATAE SUNT IN FOLIIS CAUSARUM ANNI 1879.

CANONICI

CANONICUS POENITENTIARIUS

CAPITULUM

CAPPELLANIA

CAUSA

CLAUSULA

potest executionem rescripti *ibid.*

CLERICI

Nequeunt esse administratores laicorum, eorumque obsequiis abiectisque servitiis mancipari *pag.* 351 §. *Hisce.*

Clerici histrionum mimorumque vilissimas artes exercentes, si per annum artem illam ignominiosam exerceant, ipso iure sunt infames *pag.* 347 §. *Et haec.*

Si autem tempore breviori, et tertio moniti non resipiscant, carent omni privilegio clericali *ibid.*

COADIUTOR

Dignitatis praeeminentia fruitur ante omnes Canonicos *pag.* 225 §. *Hoc.*

Et sedere debet, etiam praesente coadiuto, post omnes dignitates, et ante omnes Canonicos *ibid.*

COEMETERIUM

Erectione coemeteriorum locus sepulturae tantum materialiter mutatus est, non vero ius sepeliendi, quod integrum manet *pag.* 130 §. *Quin.*

COLLEGIATA

Collegiatae erectio S. Sedi tantum reservatur *pag.* 101 §. *Altera.*

Et licet in ipsius erectione status ita immutetur ut Capitulum censeatur rector et sponsus Ecclesiae *pag.* 101 §. *Quibus.*

Fieri tamen potest ut erecta Paroeciali Ecclesia in Collegiatam cura penes Parochum ut antea remaneat *pag.* 96 §. *Perperam.*

Ad evincendam Collegialitatis qualitatem in defectu tabulae fundationis ad signa et coniecturas fit recursus *pag.* 95 §. *Communistarum*, *pag.* 101 §. *Altera.*

Signa autem sunt: 1° Commune sigillum; 2° Communis arca et massa; 3° Ius convocandi Capitulum penes eum qui gerit figuram capitis; 4° Electio et collatio canonicatus facta per Capitulum et Canonicos; 5° Possessio canonicatuum tradita cum assignatione stalli in choro et loci in Capitulo; 6° Iuramentum praestitum de servandis constitutionibus, statutis et Ecclesiae consuetudinibus; 7° Habitualitas curae penes collegium residens; 8° Insignia quibus Sacerdotes ornantur *pag.* 95 §. *Communistarum.*

De iure ac cessante particulari consuetudine, Dignitates non dicuntur de Capitulo *ibid.*

Dignitates quae proprios habent reditus ac separatos et nihil habent commune cum Capitulo, non obligant ad residentiam, et possunt retineri cum aliis Beneficiis residentiam requirentibus *ibid.*

Vide *Praecedentia.*

DISMEMBRATIO

Paroeciarum, utpote alienationem sapiens, odiosissima in iure reputatur *pag.* 63. §.*Et,pag.*418 §.*Neminem.*

Hinc ad ipsam deveniri non debet quoties exulat canonica causa *pag.* 418 §. *Neminem.*

Quae in actis per legitimas probationes constare debet *ibid.*

Ita ut sola Episcopi assertio non sufficiat *ibid.*

Causae autem canonicae in necessitate vel evidenti Ecclesiae utilitate consistunt *ibid.*

Unde alicuius incommoditatis ratio minime sufficit *pag.*63 §.*Et.*

Ideo hoc moderamen non nisi raro, prudenter ac non sine delectu admitti debet *pag.* 58 §.*Quin.*

Quando nempe coetera canonica remedia incassum fuerint adhibita *pag.*63 §.*Et.*

Tridentina namque Synodus in *cap.* 4 *sess.*21 *de Reform.* mandat Episcopis alios Sacerdotes adiungi ubi populus numerosus est *pag.*59 §. *Ulterius.*

Ubi vero locorum distantia, viarum difficultas intercedit, novas iubet erigi paroecias, *ibid.,pag.*202 §.*Administratorum,pag.*419 §.*Neque.*

Invitis licet Rectoribus *pag.* 59 §. *Ulterius pag.*202 §. *Administratorum.*

Quanta autem esse debeat conciliaris distantia adhuc in iure definitum non est *pag.* 422 §. *Sed.*

Ideoque prudenti iudicis arbitrio relinquendum *ibid.*

Et maxime hac in re Episcopi prudentiae deferendum *ibid.*

Agitur enim de quaestione nudi facti ex particularibus locorum circumstantiis decidenda *ibid.*

Et licet distantia duorum vel trium milliariorum aliquando causa insufficiens visa sit *pag.*64 §. *Hisce.*

Aliquando tamen etiam ob maius populi commodum fuit dismembratio concessa *pag.* 422 §. *Sed.*

Necnon ob auctum fidelium numerum *pag.* 69 *Ad*

DISPENSATIO

DISTRIBUTIONES

DOCTORATUS

ECCLESIA

EMPTIO-VENDITIO

EPISCOPUS

Habet iuris assistentiam super institutione Beneficiorum suae dioecesis *pag*. 274 §. *Quibus*.

Sed graviora onera sine Pontificis venia Beneficiis vel Cappellaniis superaddere nequit *pag*. 111 §. *Qui*.

Et neque per statutum dioecesis iuribus parochialibus ullam laesionem inferre valet *pag*. 133 §. *Aliam*.

Gravi tantum de causa potest dare Parochis licentiam abessendi a paroecia ad tres menses *pag*. 294 §. *Quod*.

Episcopus cogere potest simplices Sacerdotes docere christianam doctrinam *pag*. 490 §. *Denique*.

Limita tamen ad Sacerdotes qui diebus festis celebrant in Ecclesiis ruralibus *pag*. 492 §. *Cum*.

Quamvis Episcopus curare possit ut diebus festis prius celebretur Missa in parochiali, quam in aliis Ecclesiis *pag*. 83 §. *Verumtamen*.

De rigore tamen iuris id prohibere non potest *pag*. 85 §. *Nec*.

Etiamsi verificetur deficientia populi in parochiali Ecclesia *pag*. 86 §. *Absque*.

Nullam auctoritatem habet circa habitus seu insignia choralia, neque circa eorum colores, cum haec omnia Papae sint reservata *pag*. 106 §. *Sextum*.

Episcopus nequit dispensare super impedimento publico pro matrimonio contrahendo *pag*. 455 §. *Verum*.

Amplia, neque in articulo mortis, neque in alia urgentissima necessitate *ibid*.

Etiamsi contrahentes non possint expectare dispensationem Sedis Apostolicae *ibid*.

In impedimento occulto potest dispensare in imminenti mortis periculo, vel pro legitimanda prole, vel ad feminae vitandam infamiam *pag*. 461 §. *Cum*.

Dummodo tamen sequentes verificentur circumstantiae, nempe: 1°. Ut matrimonium iam fuerit contractum in faciem Ecclesiae omnibusque adhibitis solemnitatibus; 2°. Ut contractum fuerit bona fide ex iuris aut facti ignorantia; 3°. Ut sit consummatum; 4°. Ut impedimentum sit occultum; 5°. Ut non possit facile adiri prima Sedes; 6°. Ut non possit separatio fieri sine scandalo *ibid*.

Et haec dispensatio impedimenti occulti valet dumtaxat in foro conscientiae *ibid*.

Unde detecto impedimento et deducto ad forum contentiosum, dispensatio a Summo Pontifice impetranda est *ibid*.

matrimonium clandestinum huiusmodi impedimentum producere *ibid*.

Certum tamen est quod ex matrimonio clandestino occulto hoc impedimentum minime oritur *pag*. 179 §. *Ex*, *pag*. 182 §. *Iamque et seq*.

Vide, *Episcopus*, *Matrimonium*.

INDULTA

Merae gratiae quae in nullius cedunt gravamen, minime per non usum perimuntur *pag*. 311 §. *Quin*.

INTERPRETATIO

Locus est interpretationi quoties occurrit verbum dubitabile *pag*. 104 §. *Ad*.

Leges poenales strictam interpretationem patiuntur *pag*. 529 §. *Et*.

Vide *Gratia*.

IUS

Iura quae praedio adhaerent non pereunt in coacta venditione ad publicam utilitatem *pag*. 388 §. *Mox marchionissae argumentum*.

Quia pretium subrogatum fuit in partem rei ablatam *ibid*.

Ius parochialitatis in solidum haberi potest *pag*. 356 §. *Nec*.

IUS PATRONATUS

Ius patronatus super Ecclesia acquirit de iure sive qui aedificat cum consensu Ordinarii, sive qui collapsam suis sumptibus restituit *pag*. 394 §. *Modo*.

Ex recuperatione autem Ecclesiae vel instauratione absque dotatione minime iuspatronatus acquiritur *pag*. 392 §. *Nullum*.

LEGATUM

In ambiguo legato semper id quod minus est continetur *pag*. 141 §. *Quoniam*.

Legatum in dubio praesumitur perpetuum *pag*. 143 §. *Quidquid*.

Quod idem dicendum si satisfaciendum sit ex praedii fructibus et non ex fundi pretio *ibid*..

Quia fructus praedii sunt perpetui *ibid*.

Legatum relictum Rectori alicuius Ecclesiae nulla praecedente amicitia, Ecclesiae ipsi relictum censetur *pag*. 139 §. *Haec*.

Contra - vero iudicandum si a consanguineo, propinquo, amico, familiari, beneficato relictum sit *ibid*.

que coniuges intendant ullam sanctitatem accedere eorum coniugio *ibid.*

Sed actum mere civilem exercere *pag.* 172 §. *Quin.*

Et quatenus ante matrimonium actus civilis fuerit expletus, quamprimum contrahentes parere tenentur legibus Ecclesiae *pag.* 169 §. *Rursum.*

Quare qui matrimonium civile contrahit, nullum contrahit matrimonium *pag.* 176 §. *Tandem. et seq.*

Ipsum enim coram Ecclesia nullo in pretio haberi solet *nonchè di sacramento, neppur di contratto pag.* 174 §. *Quid.*

Unde neque est matrimonium in sensu Ecclesiae clandestinum *pag.* 171 §. *Iam vero.*

Hoc enim illicitum est gravibusque poenis subiectum *ibid.*

Illud licitum, opportunum atque expediens, adeo ut nonnulli opinaverint sine gravi culpa praetermitti non posse *pag.* 169 §. *Nedum.*

Neque insuper formam exhibet matrimonii etiam irriti *pag.* 176 §. *Tandem.*

Sed in se spectatum nil aliud est quam turpis concubinatus *pag.* 177 §. *Subdunt.*

Hinc licet non desint, qui tuentur matrimonium civile parere impedimentum iustitiae publicae honestatis *pag.* 161 §. *Sacra.*

Sacra tamen Congregatio contrarium tenuit, et consulendum SSmo censuit, ut id declarare ac statuere dignaretur, subindeque appositum evulgatum fuit decretum, quod habetur in *pag.* 182.

Matrimonium cum impedimento dirimenti initum nullius roboris est *pag.* 173 §. *Exemplum.*

Et per longum temporis spatium convalidari non potest *pag.* 455 §. *Verum.*

Matrimonium metu contractum nullum est *pag.* 327 §. *Sed.*

Dummodo malum quod rationabiliter timetur sit grave in se, metum incutiens potens et solitus sit minas exequutioni demandare; et patiens impar sit ad easdem evadendas *ibid.* et *pag.* 330 §. *Sed.*

Quibus adstantibus conditionibus matrimonium metu initum non convalidatur nisi rursus adhibita conciliari forma *pag.* 328 §. *Qua.*

Limita nisi intercesserit habitatio diutina vel copula cum affectu maritali, et impedimentum fuerit occultum ac parti reconvalidanti cognitum *pag.* 332 §. *Haec.*

Matrimonium celebratum

MISSA CONVENTUALIS

ipsos Missas maiores canere illis diebus quibus ex statutis, vel legitima illius Ecclesiae consuetudine tenentur *pag*. 283 §. *Quae*.

Missae conventualis eleemosyna vel nulla debetur, vel desumenda est ex massa distributionum *pag*. 284 §. *Nec*.

MONIALES

Moniales participant de privilegiis quae habent viri Ordinis, cui subiacent *pag*. 126 §. *Quoad*.

Unde a Parochi iurisdictione liberantur *ibid*.

Atque ideo associatio cadaverum defunctarum ad sepulchrum spectat ad Confessarium *pag*. 127 §. *Neque*, *pag*. 130 §. *Quin*.

Qui earumdem verus Parochus est *pag*. 127 §. *Neque*.

Intellige de monialibus tantum quae vere regulares sunt *pag*. 135 §. *Magis et ad Dub. I*.

Eae nempe quae vota solemnia emittunt, et sub regula vivunt ab Apostolica Sede approbata *pag*. 131 §. *Ex*.

OBREPTIO ET SUBREPTIO

Dolosa vitiat Bullam *pag*. 515 §. *Quae*.

OBSERVANTIA

Maximi ponderis est, si decretis auctoritatis ecclesiasticae et perenni possessione firmetur *pag*. 551 §. *Haec*.

Totum facit in praecedentiae materia *pag*. 431 §. *Omnis*.

Quaeque subinde non de facili est alteranda *ibid*.

Cum novitates perturbent et non sine scandalo induci soleant *ibid*.

Observantia centenaria supplet vices expressi privilegii Apostolici cum sola nominali differentia quae inest inter tacitum et expressum *pag*. 99 §. *Nec*.

Vide *Consuetudo*.

OECONOMUS

Oeconomi deputatio in absentia a Parocho est facienda *pag*. 294 §. *Quod*.

Debet tamen ab Ordinario approbari *ibid*.

OFFICIA MANUALIA

Seu ad nutum amovibilia in odiosis non veniunt nomine Beneficii *pag*. 530 §. *Quod*.

OLEUM SANCTUM

Invaluit usus in quibusdam Ecclesiis Cathedralibus

OPTIO

ORATORIUM

Capellae in Seminariis, Xenodochiis, Conservatoriis et Carceribus erectae, uti publicae habendae sunt *pag.* 84 §. *Altera.*

Quare non comprehenduntur sub prohibitione Tridentini Missas in privatis Oratoriis celebrari vetantis *ibid.*

Et in iis licitum est cuivis Sacerdoti celebrare, et fidelibus audiendae Missae onus implere *ibid.*

Vide *Missa.*

PAROCHUS

Ad parochum in propria Ecclesia spectat functiones omnes peragere *pag.* 101 §. *Quibus.*

Contraria minime obstante consuetudine *ibid.*

Minime vero in Ecclesiis intra suae Paroeciae limites sitis, *pag.* 208 §. *Animadverso.*

Nisi agatur de functionibus mere Parochialibus *ibid.*

Quoties Parochus bono animarum suae paroeciae incumbere haud valet, Coadiutores et Vicarii deputantur *pag.* 297 §. *Quapropter.*

Ad perpetuam privationem vel suspensionem Parochi tria requiruntur, nempe causa gravis, concludens illius probatio, et canonica servata forma *pag.* 294 §. *Ac.*

Praecedere idcirco debet trina monitio, vel si necessitas postulat, una peremptoria quae trinae aequivalet *ib.*

Ob parochianorum aversionem, nisi fuerit innixa pravis Parochi moribus, removeri non potest *pag.* 296 §. *Posita.*

Sed si timeantur rixae in populo ex Parochi praesentia, de aequivalenti beneficio providendum *pag.* 296 §. *Ceterum.*

Imo si infra annum inimicitiae sedari nequeant, ac verisimile sit eas diutius protrahi posse, Parochus licet innocens modis omnibus inducendus est ad libere paroeciam resignandam vel immutandam cum alia *pag.* 299 §. *Quae.*

PAROCHIANUS

Ut quis parochianus alicuius Ecclesiae existat, requiritur ut ibidem se transtulerit ob causam quae talis non sit, ut possit probabiliter ex incontinenti cessare. *pag.* 128 §. *Nec.*

PAROECIA

Tridentina Synodus *sess.* 24 *cap.* 13 demandat uni-

PATRONUS

PENSIO

POENITENTIARIUS MAIOR

PRAECEDENTIA

PRAESCRIPTIO

PRAESUMPTIO

PRIVILEGIUM

PROBATIO

PROCURATOR

PROMISSIO

PUNCTATURA

QUARTA FUNERARIA

REDUCTIO

TITULUS S. ORDINATIONIS

TRANSACTIO

ULTIMUS STATUS

FINIS



